SC. SUP: 23. Pl. 4.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBOLENSE
32
10 B
28

Digitized by Google

INSTITUTIONES
THEOLOGICAE

AUCTORE

JOANNE BAPTISTA DALL' OCCA

Sacræ Theologiæ Doctore Collegiato, ac Bononiæ in Patria Universitate publico Professore, nec non perinsignis Collegiatæ S. Petronii Canonico.

EDITIO ALTERA

Tomi I. Pars II.

LUCÆ MDCCLXXXIX.

Typis DOMINICI MARESCANDOLI

Cum Approbatione.

TRACTATUS

DE DEO QUOAD NATURAM DIVINAM CONSIDERATO.

TRactatum hunc in quinque Dissertationes divido. In prima agam de existentia & essentia Dei: in secunda de ejus intellectu & scientia: in tertia de illius veracitate: in quarta de illius voluntate: in quinta de illius visibilitate & respective visione.

DISSERTATIO I.

De exiſtentia & eſſentia Dei.

DIssertationem hanc in quatuor capita divido. In 1. examinabo utrum & quomodo possit probari existentia Dei. In 2. agam de attributis Dei in genere. In 3. examinabo an & quomodo attributa a natura & a se invicem distinguantur. In 4. de illis singillatim Dei perfectionibus agam, de quibus in Scripturis fit mentio frequentior.

CAPUT PRIMUM.

De existentia Dei.

Tria hic inquiram: 1. utrum & quomodo possit probari existentia Dei: 2. utrum hæc propositio: *Deus existit*, sit per se nota: 3. utrum possit dari ignorantia invincibilis existentiæ Dei.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. illos, qui Dei existentiam negant, *Atheos* vocari.

Noto 2. me hic non loqui de probationibus desumptis ex lumine Fidei, quibus etsi uti possimus ad confirmandam Dei existentiam, postquam per lumen naturale cognovimus existere tum Deum, tum veram Religionem & Fidem; si tamen iis primo uteremur, ut Atheo Deum existere ostenderemus, admiteremus petitionem principii, cum Revelationem supponentes Deum pariter existere supponeremus, quem tamen existentem probare volumus.

Noto 3. certum esse non posse probari existentiam Dei a priori; cum hæc probatio desumatur ex causa, Deus autem nullam habeat causam:

Noto 4. plures esse conceptus Dei seu plura prædicata, quæ Deo competunt, & sub quibus potest considerari: Deus enim E. G. est causa prima omnium rerum, est cumulus omnium perfectionum, est infinitus &c. Licet autem hæc omnia prædicata reipsa habeat Deus, seu potius hæc omnia Deus sit; quæ tamen probationes evincunt Deum existere sub uno conceptu, non semper eodem modo evincunt illum existere sub altero; ut si E. G. videam hominem a longe se moventem, ita ut non cognoscam an homo sit, an brutum, motus quidem probat ibi existere hominem sub conceptu animalis, non vero sub conceptu rationalis. Examinandum igitur utrum sub aliquo & sub quo conceptu probari possit Deum existere.

Assertio prima. *Potest probari existentia Dei sub conceptu causæ primæ, adeoque improductæ.*

Prob. Datur Ens productum. Ergo etiam producens. Ergo prima causa, adeoque improducta (subintellige semper *ab alia causa*). Posterior consequentia prob. Ideo in suppositione, quod detur ens producens, non daretur prima causa, quia vel aliquid semetipsum produxisset, vel duo produxissent se mutuo, vel ens producens & ipsum esset ab alio productum, & hoc ab alio in infinitum, quin tandem ad ens improductum deveniretur. Nihil ex his dici potest. Ergo &c.

Prob. minor quoad primam partem. Implicat quod ens semetipsum producat; tunc enim esset, quia supponeretur producere, & non esset, quia supponeretur indigere, ut produceretur. Ergo &c.

Prob. eadem minor quoad secundam partem. Implicat quod duo entia se mutuo producant; nam si ens productum produceret producens se, esset, quia produceret, & non esset, quia indigeret produci. Ergo &c.

Prob. tandem eadem minor quoad tertiam partem. Quodlibet ens productum est insufficiens ad dandum sibi esse. Ergo etiam tota illorum collectio. Ergo quod dat esse isti collectioni debet esse aliquid improductum, adeoque tandem deveniendum est ad ens improductum. Prima consequentia patet; nam valet hoc argumentum: *quilibet pauper est insufficiens, ut se divitem faciat. Ergo etiam tota pauperum collectio:* itemque hoc aliud: *quilibet cereus extinctus est insufficiens, ut se accendat. Ergo etiam tota cereorum extinctorum collectio.* Igitur valet etiam hoc: *quodlibet ens productum est insufficiens ad dandum sibi esse. Ergo etiam tota illorum collectio.* Altera consequentia & ipsa est manifesta; nam si collectio entium productorum est insufficiens ad dandum sibi esse, quod ergo dat esse debet reperiri extra illam collectionem, adeoque esse improductum, consequenter ad istud tandem est deveniendum.

Obj. contra probationem hanc ultimæ partis. Currit totum argumentum, si supponatur possibi-

lis regreſſus cauſarum in infinitum; nam hoc ſuppoſito nunquam deveniri poteſt ad primam cauſam improductam. Poſſibilem autem eſſe hunc regreſſum patet ex quo non repugnat progreſſus in infinitum earumdem cauſarum; ut enim poſita una cauſa poſſumus ad aliam a priori productam progredi, & ab iſta ad alia, & ſic in infinitum, ſic non repugnat, quod poſita una cauſa aſcendamus ad cauſam, quæ iſtam produxerit, ab hac ad aliam, & ſic in infinitum. Ergo &c.

Sunt qui argumento reſpondent & quidem ſatis probabiliter non repugnare quidem progreſſum in infinitum, repugnare autem regreſſum, quod oſtendunt exemplo catenæ in aere pendentis, in qua dato primo annulo fulcro ſuſtentato potes imaginari infinitos ſucceſſive annulos, quorum unus ab altero ſuſtentetur, ſed ſi in infinitum retrocedendo illum primum non invenias, nullum potes invenire ſuſtentatum. Ex quo patet, in ſuſtentatione annulorum iſtius catenæ poſſe quidem haberi progreſſum, non vero regreſſum in infinitum. Sed quoniam aliqua poteſt eſſe difficultas in negando hoc infinito regreſſu ex eo maxime deducta, quod juxta multorum ſententiam potuiſſet Deus mundum condere ab æterno, adeoque condere aliquod ens, quod aliud produxiſſet, & hoc aliud &c., quo poſito, cum hæc entia eſſent infinita, daretur regreſſus in infinitum (hæc autem ſententia vera ne ſit, an falſa hic non quæro; fateor tamen eſſe probabilem) idcirco ut ab hac difficultate me eximam, ita

℟. Eſt poſſibilis regreſſus in infinitum in cauſis, diſtinguo: hoc ſenſu præciſe, quod aſcendendo poſſint infinitæ cauſæ reperiri, omitto: hoc ſenſu, quod poſita infinita ſerie cauſarum non ſit tandem deveniendum ad primam aliquam, quæ aliis ſit prior ſaltem natura, nego. Omitto ergo quod poſſit dari aliquis regreſſus in infinitum in cauſis modo explicato, dico tamen hoc non obſtante ante iſtas omnes anterioritate ſaltem naturæ admittendam eſſe primam cauſam improductam. Nam, etſi infinitæ ſupponantur cauſæ produ-

ductæ, de his tamen omnibus semper verificatur, quod sint ex se insufficientes ad existendum: unde addere tales infinitas causas, est addere insufficientiam insufficientiæ, ex qua additione nunquam resultabit aliqua sufficientia. Sic, ut stem in adductis exemplis, cum collectio illa pauperum sit insufficiens ad se ditandum, non evadet sufficiens, si supponatur infinita; cum collectio illa cereorum extinctorum sit insufficiens ad se accendendum, semper erit insufficiens, etsi supponatur infinita. Ergo a pari &c.

Assertio secunda. *Potest probari existentia Dei sub conceptu entis æterni.*

Prob. Ex prima assertione datur ens improductum. Sed hoc debet esse æternum. Ergo &c. Probo minorem. Si non esset æternum, nunquam posset esse: nam si non esset æternum, aliquando non fuisset. Debuisset ergo a non esse transire ad esse. Nunc peto: debuisset-ne transire ex se? At ex supra visis nemo potest dare sibi esse. Debuissetne transire ope alterius? At hoc repugnat enti improducto. Ergo &c.

Assertio tertia. *Potest probari existentia Dei sub conceptu entis necessarii.*

Prob. argumento simili superiori. Datur ens improductum. Sed hoc est necessarium. Ergo &c. Probo minorem. Si non esset necessarium, non esset ex se determinatum ad esse. Hoc non; nam sic deberet determinari ex alio, quod repugnat enti improducto. Ergo &c.

Assertio quarta. *Potest probari existentia Dei sub conceptu sapientissimi administratoris rerum omnium, quæ sunt in natura.*

Prob. Ex inspectione ordinis rerum naturalium. Creatio sane & conservatio corporum sive cælestium, sive terrestrium, animatorum, vel inanimatorum: admirabilis item series naturalium effectuum satis ostendunt ea a sapientissimo principio provenire, quod ea ad certos fines ordinavit, semperque usque adhuc direxit ac modo etiam dirigit.

Assertio quinta. *Potest probari existentia Dei sub conceptu regulæ honestatis.*

Prob. Ipsi experimur nos honestum ab inhonesto discernere, & in honestum ita ferri, ut, si quando in oppositum declinemus, cognoscamus nos errare, & conscientiæ remorsum statim persentiamus. Hic autem instinctus a quonam tandem provenire potest, nisi a prima regula honestatis?

Confirmari hæc possunt ex consensu omnium omnino Nationum, quæ etsi varie de Divinitate sentientes, in aliquo tamen statuendo supremo Numine conveniunt.

Cæterum quidquid sit an omnes adductæ probationes sint demonstrativæ, nec ne, sunt tamen hujusmodi, ut iis positis existentia Dei saltem prudenter negari nequeat. Licet autem ex iis non probaretur existere Deum sub conceptu illius entis, quod de facto Deum esse nos docet Fides; adhuc tamen probatur existere Deum sub talibus notis, quæ satis verum Deum distinguunt a quocumque alio, & facile ab ea qualicumque notitia Dei possumus in cognitionem devenire veræ Religionis, veræque Fidei, cujus ope naturam Dei (quantum homini licet) cognoscemus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Noto propositionem *per se notam* ab Angelico aliam dici per se notam *quoad se*, aliam *quoad nos*. Prima est, in qua præcise prædicatum includitur in ratione subjecti: secunda in qua ita clare includitur, ut statim ac menti objicitur, determinet ipsam ad præstandum assensum. Sunt qui respuunt hanc divisionem, nec immerito; nam cum dicitur propositio per se nota, id dicitur relate ad intellectum nostrum, unde quæ talis non est, poterit quidem dici vera, sed non per se nota: & alias posset etiam dici per se nota hæc: *Deus est Trinus*. Sed quidquid sit de hac lite.

Certum est in primis hanc propositionem *Deus existit* esse per se notam quoad se; nam exi-

exiſtentia includitur in conceptu Dei. Utrum vero ſit per ſe nota quoad nos controvertitur. Et quidem controverſia eſt de cognitione intellectus humani per ſe conſiderati; nam quid dicendum ſit de intellectu angelico, vel etiam de humano ſupernaturali auxilio elevato, non ſatis conſtat. In hac controverſia cum negantibus ſit.

Assertio. *Hæc propoſitio* Deus exiſtit *non eſt per ſe nota quoad nos*.

Prob. Ad cognoſcendam veritatem hujus propoſitionis opus eſt aliqua ratiocinatione, ut patet ex praxi Patrum & Doctorum, qui omni ſtudio conati ſunt contra Atheos illam demonſtrare, inutiliter ſane laboraturi, ſi hæc ex terminis eſſet aperta, ut inutiliter laboraret qui oſtendere niteretur totum eſſe majus una ſui parte. Ergo &c.

Obj. ex Patribus. Plures ex his docent eſſe nobis ingenitam ideam Dei. Ergo eſt nobis per ſe notum Deum exiſtere.

℟. Illos hoc docere vel quia ideam Dei a parentibus adhuc pueri acquirimus, vel quia facile a creaturis in cognitionem devenimus alicujus principii; quod non ſolum eſſe utcumque principium, ſed etiam eſſe Deum, ideſt omnium perfectionum cumulum per ratiocinationem eruimus. Et ſane ſi cognitio exiſtentiæ Dei, prout hic importat cumulum omnium perfectionum, eſſet nobis ingenita, quomodo potuiſſent tam immaniter a vera Dei notione aberrare tot Idololatræ, qui in Divinitatem tot imperfectiones & vitia invexerunt? Si igitur ita erraverunt, patet hominibus non eſſe a natura ingenitam cognitionem exiſtentiæ Dei ſaltem ſub conceptu cumuli omnium perfectionum.

Dixi *ſaltem ſub conceptu cumuli omnium perfectionum*; nam fortaſſe idea Dei, prout eſt præciſe ſupremum Ens & mundi Dominus & gubernator & prima honeſtatis regula, omitti poſſet nobis ingenita. Sed ex hoc ne inferas eſſe per ſe notam exiſtentiam Dei; cum enim Deum dicimus; intelligimus nedum ſupremum Ens & Dominum mundi &c., ſed etiam cumulum infinitum perfectio-

ctionum, quem sane nonnisi adhibita ratiocinatione possumus cognoscere Deo revera competere.

Obj. ex ratione. Patet ex terminis hæc propositio: *Deus existit*; nam nomine Dei venit cumulus omnium perfectionum, inter quas sane est ipsa existentia: unde qui in dubium revocaret existentiam Dei, in dubium pariter revocaret, an cumulus omnium perfectionum sit perfectissimus, quod implicat. Ergo &c.

℟. Deum a nobis quidem concipi ut cumulum omnium perfectionum, sed an talis de facto sit, nonnisi mediante aliqua ratiocinatione a nobis cognosci potest; nam ex quo præcise rem aliquo modo concipiamus, inferre non licet eam tali modo esse.

ARTICULUS TERTIUS.

Noto I. ignorantiam aliam esse *vincibilem* aliam *invincibilem*. Prima dicitur quæ est voluntaria, scilicet quæ tolli posset, sed non tollitur; ut esset E. G. ignorantia rustici, qui nesciret quibus diebus vigeat obligatio jejunii quia noluit, cum tamen potuisset adire Parœciam, ubi pervigilia annunciantur: secunda quæ est involuntaria, quia tolli non potest; ut esset ignorantia illius, qui vel nunquam advertit obligationem quærendi aliquam veritatem, vel, si advertit & quærit, non potest illam invenire.

Noto 2. divisos esse Doctores circa hanc quæstionem, alii enim negant posse unquam dari ignorantiam invincibilem existentiæ Dei: alii id affirmant, quamvis ut plurimum illam ad breve solum tempus restringant.

Noto 3. negantes possibilitatem ignorantiæ invincibilis Dei non contendere Deum semper debere cognosci sub omnibus iis conceptibus, sub quibus de facto cognoscibilis est, sed solum sub aliquo ex illis. His prænotatis sit

Assertio. *Moraliter impossibilis est ignorantia invincibilis Dei sub aliquo conceptu.*

Di-

Dictum est *moraliter* &c. Non enim contendo illo instanti mathematice sumpto, quo homo acquirit usum rationis, primam cogitationem debere esse de Deo, sed solum tam brevi illam affuturam, ut moraliter dici possit hominem nunquam illa cariturum, adeoque nunquam invincibiliter ignoraturum Deum: eo proportionaliter modo, quo, licet primo instanti usus rationis mathematice sumpto possit menti non occurrere cogitatio de illo principio *omne vel est vel non est*, tam brevi tamen occurret, ut possit dici hominem nunquam illud ignoraturum.

Prob. ergo assertio ex Scripturis semper supponentibus culpabilem ignorantiam Dei. Ita dicitur (a): *Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt, & in Regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.*

Prob. ex Patribus. Tertullianus ait (b): *Hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt.* Et S. Augustinus (c): *Hæc est vis vera divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omnino ac penitus possit abscondi.*

Prob. ratione. I. enim tot præbent Dei indicia creaturæ, ut impossibile videatur, quod homo non acquirat aliquam Dei saltem confusam cognitionem per subsequentem postea discursum reformandam. II. Statim ac ad usum rationis homo pervenit, cognoscit alia sibi licere, alia non. Cognoscit ergo Deum saltem sub conceptu alicujus supremi Legislatoris, vel saltem de illius existentia aliqua in eo suborietur dubitatio & advertentia obligationis de quærenda veritate, quam si non quærat, ignorabit quidem Deum existere, sed talis ignorantia in illo erit culpabilis. III. Juxta leges supernaturalis providentiæ a Deo statutæ Fides expli-

(a) *Psalm.* 78. (b) *Apolog. cap.* 17.
(c) *Tract.* 106. *in Jo.*

plicita in Deum necessaria est necessitate medii ad salutem. Ergo statim ac homo ad usum rationis pervenit, Deus illi præsto erit auxilio suo, ut Deum ipsum aliquo modo possit cognoscere. Ergo &c.

CAPUT SECUNDUM.

De Essentia & Attributis Dei in genere.

EXponam hic 1. quid importet essentia Dei: 2. quomodo divinæ perfectiones in illa essentia contineantur.

ARTICULUS PRIMUS.

Essentia Dei alia est *physica* alia *metaphysica.* Metaphysica (sumitur hic nomen essentiæ metaphysicæ pro differentia essentiæ constitutiva) importat perfectionem illam, quæ juxta nostrum concipiendi modum est veluti origo & fons aliarum omnium. Quænam autem ea sit litigant inter se Theologi, aliis statuentibus infinitatem, aliis intellectionem, aliis & quidem communius asseitatem. Quidquid sit de hoc, certum est essentiam Dei physicam omnem omnino perfectionem modo infra explicando complecti.

ARTICULUS SECUNDUS.

Noto 1. perfectiones divinas alias esse *absolutas*, alias *relativas*. Absolutæ sunt quæ Deo conveniunt præcise ratione essentiæ, ut sapientia, justitia &c. Relativæ sunt, ob quas una Persona ordinem habet ad aliam, ut paternitas, filiatio &c.

Noto 2. perfectiones in genere alias esse *simpliciter simplices*, alias non. Perfectio simpliciter simplex definitur ex Anselmo, *quæ in quolibet, in quo est, melior est ipsa quam non ipsa*, idest quæ in suo conceptu nullam imperfectionem includit, nec excludit aliud perfectius vel æque perfectum: talis est sapientia, bonitas &c. Alia est quæ vel ali-

liquam in conceptu suo imperfectionem includit, vel aliquid perfectius aut æque perfectum excludit, ut esset motus, corporeitas &c., & hinc dicitur illa, *quæ non est melior ipsa, quam non ipsa*. Ex quibus videtur inferri divinas relationes originis non esse perfectiones simpliciter simplices, cum una excludat aliquid æque perfectum, & ita E. G. paternitas excludit filiationem, quæ est æque perfecta ac paternitas. Sunt tamen qui & relationes volunt esse perfectiones simpliciter simplices, quatenus & nullam habent admixtam imperfectionem, & melius est naturæ divinæ eas habere, quam non habere: & præterea quælibet earum reddit illam divinam Personam, cui inest, tam perfectam quam esse potest, sicque est melior ipsa, quam non ipsa non quidem absolute, sed comparate ad illam divinam Personam, cui inest. Ita E. G. paternitas, licet sit æqualis perfectio in divinis, ac filiatio, adhuc tamen respectu Patris est major perfectio quam filiatio, quia Patri magis congruit esse Patrem, quam Filium, imo absolute congruit esse Patrem, & repugnat esse Filium. Hæc discrepantia, ut patet, est in nomine; nam in re omnes conveniunt.

Noto 3. tripliciter unum posse contineri in altero, *formaliter*, *virtualiter*, *&* *eminenter*. Unum in altero continetur formaliter, cum illius in altero continetur forma & essentia: sic calor, continetur in igne. Unum in altero continetur solum virtualiter, cum vel hoc habet virtutem illud producendi, vel illi æquivalet: sic planta continetur in semine, sic duo semiaurei in aureo continentur. Unum continetur in altero eminenter, cum nec continetur secundum suam formam & essentiam, nec quatenus præcise continens possit producere contentum, nec quatenus præcise contento æquivaleat, sed quatenus vel nedum producere potest contentum, sed aliquid etiam amplius, vel nedum æquivalet contento in perfectione, sed illud etiam superat. Ita notio festucæ continetur in Gigante, obulus in aureo &c.

No-

Noto 4. idem non esse rigorose loquendo *perfectionem divinam*, ac *divinum attributum*. Nomine enim perfectionis divinæ venit omne id, quod de Deo dicitur: nomine vero attributorum veniunt illæ dumtaxat inter divinas perfectiones, quæ sunt simpliciter simplices, & quæ ab ejusdem essentia metaphysica juxta nostrum concipiendi modum ut proprietates dimanant. Omne igitur attributum est perfectio, sed non e contra: plerumquæ tamen hæc promiscue sumuntur.

Noto 5. attributa divina alia esse *positiva* alia *negativa*. Priora dicuntur, quæ nullam in suo conceptu negationem involvunt, qualia sunt sanctitas, visibilitas &c. alia, quæ per negationes intelliguntur & explicantur, ut infinitas, ineffabilitas &c. Hæc tamen divisio non oritur ab ipsa re, sed ab imperfectione intellectus nostri; nullum enim in Deo rigorose loquendo est attributum negativum, sed solum melius hæc attributa intelligimus atque exprimimus per negationem. Ita E. G. immutabilitas Dei, quæ est attributum negativum, nihil aliud tandem est nisi summa Dei firmitas: incomponibilitas nihil aliud nisi summa simplicitas &c.

His positis, cum dictum est essentiam divinam continere omnes perfectiones, diverso modo id est intelligendum de perfectionibus simpliciter simplicibus, ac de perfectionibus non simpliciter simplicibus. Priores enim & consequenter omnia attributa, sive sint positiva, sive negativa, in Deo continentur formaliter. Nam cum Deus sit cumulus omnium perfectionum, quo majus aut excellentius cogitari nihil potest; debet omnes perfectiones in se secundum illarum verum esse veramque naturam habere, quæ, cum adsunt, subjectum est melius, cum non adsunt, non est. Tales sunt perfectiones simpliciter simplices. Ergo &c.

Quod attinet ad alias, vel proceditur juxta sententiam negantem relationes divinas esse perfectiones simpliciter simplices, vel juxta contrariam. Si juxta primum, distinguendum inter perfectiones non simpliciter simplices ex una parte, quæ aliquam imperfectionem involvunt, vel quæ impediunt ma-

majorem perfectionem, & illas ex altera, quæ ſolum impediunt perfectionem æqualem. Priores in Deo formaliter non poſſunt eſſe, alias Deus non eſſet perfectiſſimus, cum vel aliquam haberet imperfectionem, vel tantam non haberet perfectionem, quantam habere poteſt: ſunt tamen in ipſo virtualiter & eminenter: virtualiter quidem, quia Deus habet virtutem illas producendi: eminenter vero, quia poteſt ipſe ſine ulla imperfectione, imo multo melius ea præſtare, quæ a rebus præſtarentur tales perfectiones formaliter habentibus. Aliæ vero poſſunt eſſe formaliter in Deo, & ita in Deo ſunt formaliter divinæ relationes.

Si vero procedamus juxta ſecundam ſententiam, abſolute aſſeri poteſt perfectiones non ſimpliciter ſimplices non eſſe in Deo formaliter, ſed ſolum virtualiter & eminenter; non enim obſtat tunc generalitati hujus regulæ continentia formalis divinarum relationum in eſſentia divina, cum eædem relationes tunc ſupponantur perfectiones ſimpliciter ſimplices. Ergo &c.

CAPUT TERTIUM.

An & quomodo Attributa Dei ab ipſius Natura, & a ſe invicem diſtinguantur.

ENumerabo hic 1. errores & opiniones circa hoc punctum: 2. ſtatuam aſſertiones ad illud ſpectantes.

ARTICULUS PRIMUS.

Circa hoc variæ fuerunt excogitatæ ſententiæ, aliæ jam ab Eccleſia reprobatæ, aliæ quæ ſalva fide hinc inde inter Catholicos agitantur.

Quoad priores erravit 4. ſæculo Eunomius, qui inter alia docuit attributa divina a natura & inter ſe nullo modo ne cogitatione quidem diſtingui, ſed ſolo nomine. Hoc autem docuit cohærenter ad alium errorem, quem adoptaverat, Filium ſcilicet in divinis & Spiritum S. non eſſe ejuſdem cum

Pa-

Patre naturæ. Cum enim ratio ingeniti, quæ est propria divinæ naturæ, per ipsum nullo modo distinguatur a ratione ingeniti, quæ Patri convenit ut Pater est, cumquæ hæc posterior non conveniat Filio & Spiritui S., consequens est per ipsum, ut nec illis conveniat ratio ingeniti propria Divinitatis, sicque ut neuter sit Deus.

Huic errori alium oppositum excitavit 12. sæculo Gilbertus Porretanus Pictaviensis Episcopus, qui tamen error non eodem modo ab auctoribus explicatur. Contendunt enim aliqui ipsum admisisse realem distinctionem attributorum inter se; alii realem solum attributorum & essentiæ distinctionem ab ipso Deo; alii solum inter Divinitatem & proprietates relativas. Quinam rectius procedant judicent Critici. Hoc tamen ut certum statui potest, distinctionem aliquam realem in Deo (præter eam, quæ est inter Personas) a Gilberto admissam fuisse. Damnatus fuit error Gilberti in Concilio Remensi ad hoc indicto ab Eugenio III.

Sociniani sic dicti a Lelio & Fausto Socino hæreticis 16. sæculi, ut defenderent Spiritum S. non esse Deum quamvis a Scripturis vocetur *virtus Dei*, dixerunt attributa ab essentia realiter distingui.

Non multum ab hoc distat error Palamitarum sic dictorum a Gregorio Palama Thessalonicensi Episcopo schismatico, qui sæculo 14. cum aliis plerisque docuit se, cum caput ad pectus reclinaret, inusitato quodam modo videre lumen quoddam increatum atque æternum, quod tamen non esset substantia Dei, sed ipsius tantum operatio. Operationes autem Dei ab ipso Deo realiter distinguebat, & nomine harum operationum nedum intelligebat quas *transeuntes* dicimus, ut est creatio, gubernatio &c., sed ipsa quoque divina attributa, ut sapientiam, bonitatem &c., quo posito contendebat divinam substantiam non esse per se operativam, sed tantum per istas a se distinctas, ut ajebat, *euergias* bonitatem, sapientiam &c. Hæc autem dicebat, licet non essent de substantia Dei, imo illa minora, esse tamen Deo coæterna: quod exemplo splendoris solis explicabat, qui non est de

ipsius

ipſius ſolis ſubſtantia, quamvis illi coævus ſit. Operationes tamen Dei appellabat *deitates*.

Mediam inter hos errores viam tenet doctrina catholica aliquam admittens contra Eunomium mentalem diſtinctionem tum inter eſſentiam divinam & attributa, tum inter ipſa invicem attributa, ſed contendens contra alios jam recenſitos diſtinctionem hanc non eſſe realem.

Quænam igitur erit? Hic dividuntur Catholici Doctores. Primo Scotiſtæ diſtinctionem adſtruunt formalem ex natura rei. Hujus autem diſtinctionis naturam ſubtiliter de more ita proponit inſignis Scotiſta Pontius. Quæcumque exiſtunt poſitiva triplicis ſunt ordinis, aliqua per ſe ſine aliis, quæ non includunt, poſſunt exiſtere, ut eſſent Petrus & Paulus, & dicuntur *res*: alia per ſe non poſſunt exiſtere, poſſunt tamen alteri de novo advenire, ut ſeſſio, ambulatio &c. & dicuntur *modi*: alia tandem nec poſſunt exiſtere per ſe, nec etiam alteri de novo advenire, ut rationalitas reſpectu hominis, & dicuntur *formalitates*.

Hoc poſito, inquit ipſe, dupliciter duo poſſunt inter ſe identificari: primo ut præciſe ſit verum: *hoc eſt illud*, quomodo animalitas in homine identificatur cum rationalitate: ſecundo ut præterea ſit verum: *hoc, quia eſt hoc, eſt illud*, quomodo homo non ſolum eſt animal rationale, ſed etiam quia eſt homo, eſt animal rationale. Prior identitas dicitur *realis*, poſterior *formalis*, & diſtinctio priori identitati oppoſita dicitur *realis*, oppoſita poſteriori *formalis*. Diſtinctio ergo formalis ex natura rei eſt diſtinctio quædam independens a noſtro intellectu, quæ inter duo intercedit, quorum unum eſt quidem aliud, ſed non quia eſt unum, eſt etiam aliud.

Ut autem ſtatuant Scotiſtæ an unum, quod eſt aliud, ideo quia eſt hoc, ſit etiam aliud, nec ne, confugiunt ad definitionem utriuſque, & ſi una & eadem ſit utriſque definitio, aut ſi unum ex iis inſerviat alteri pro definitione, tunc dicunt hoc, quia eſt hoc, eſſe etiam alterum, ac proinde non ponunt inter ea diſtinctionem formalem,

ſe-

secus si secus. Ita nullam ponunt distinctionem formalem inter hominem ex una parte, & animalitatem ac rationalitatem ex altera, quia & homo est animal rationale, & ex hoc ipso, quod est homo, est etiam animal rationale, cum animalitas & rationalitas sint ipsa hominis definitio: ponunt vero inter animalitatem & rationalitatem, quia licet animalitas sit etiam rationalitas, non tamen una & eadem est utriusque definitio, neque una inservit pro definitione alterius. Distinctione ergo hac formali volunt Scotistæ distingui in divinis tum attributa ab essentia, tum eadem attributa a se invicem.

Thomistæ e contrario nullam dari volunt actualem distinctionem & independentem a nostro intellectu inter attributa & naturam, & ipsa invicem attributa. Hæc proinde omnia volunt esse unam & eandem indistinctam entitatem, quæ tamen præstet, quæ plures res distinctæ præstarent. Hanc autem virtutem præstandi, quæ plura distincta præstarent, appellant *distinctionem virtualem*, quam duplicem faciunt *propriam* atque *impropriam*. Primam dicunt æquivalentiam unius rei indistinctæ pluribus distinctis *qua distinctis*, secundam dicunt æquivalentiam unius rei indistinctæ pluribus distinctis *non qua distinctis*: aliqua enim a duobus distinctis præstantur vi distinctionis: aliqua item sunt, quæ non præstantur vi distinctionis. Duo semiaurei E. G. sunt talis valoris, ut illis quis possit emere ulnam panni: en effectus, qui a duobus distinctis præstatur non qua distinctis; perinde enim posset quis ulnam panni emere integro aureo, ac duobus semiaureis. Duo semiaurei sunt hujusmodi, ut unum possim sursum jacere, alterum deorsum, unum domi relinquere, alium mecum in crumena deferre: en duo effectus, qui a duobus distinctis præstantur qua distinctis; ideo enim illos aureos adhibeo ad præstandos effectus oppositos, quia sunt distincti. Res igitur, quæ æquivalet pluribus distinctis sed non qua distinctis, dicitur habere distinctionem virtualem impropriam. Quod si aliqua daretur res, quæ pluribus distinctis æquivaleret qua di-

distinctis (quod tandem importaret, ut sustinere posset prædicata opposita) diceretur habere distinctionem virtualem propriam. Utramque autem in Deo ponunt Thomistæ.

Nominales inter attributa & essentiam, & ipsa invicem attributa ponunt distinctionem tantum *rationis ratiocinantis*, scilicet volunt nullam inter ista dari realem distinctionem, nec etiam ejusdem distinctionis fundamentum, sed solum quamdam distinctionem, quæ pro libito fingatur a nostro intellectu.

Alii tandem *distinctionem* adstruunt *rationis ratiocinatæ*, volunt scilicet nullam dari realem distinctionem inter attributa & essentiam, nec inter ipsam invicem attributa & essentiam, nec inter ipsa invicem attributa, sed solum quæ fingatur ab intellectu nostro cum fundamento tamen in ipso Deo.

ARTICULUS SECUNDUS.

Præstat nunc ut assertiones ponam, quibus & errores rejiciam, & illam ex catholicis sententiis probem, & quæ verisimilior appareat. Quod tamen antequam præstem, noto me hic loqui de perfectionibus Dei tum absolutis, tum relativis, quas omnes sub generali attributorum nomine hic considerabo, & circa has examinabo, an & quomodo distinguantur tum perfectiones absolutæ a relativis, tum absolutæ ab absolutis, tum absolutæ & relativæ a natura. De distinctione tamen perfectionum relativarum a se invicem hic non erit sermo, cum de ea acturus sim in Tractatu de Trinitate.

Assertio prima. *Aliqua est mentalis distinctio inter divinam naturam & attributa, & ipsa invicem attributa*. Est contra Eunomium.

Prob. ratione I. Diversus est conceptus naturæ ac singulorum attributorum; nam cum concipimus naturam, omnes simul perfectiones concipimus: cum vero concipimus singula attributa, concipimus unam tantum vel alteram perfectionem. Præterea diversus est conceptus singulorum attributorum; nam cum E. G. concipimus omnipotentiam, concipimus id, quo potest Deus facere omnia, cum sapien-

pientiam, id, quo Deus omnia scit. Et sane ita est affectus intellectus noster, ut, cum videt rem plures producentem effectus sive pluribus æquivalentem, plures in illa re concipiat distinctas perfectiones, quarum una uni effectui, altera alteri correspondeat. Sic in sole imaginatur duas virtutes indurativam atque liquefactivam, sic in animo humano tres distinctas potentias, intellectum, memoriam, ac voluntatem. Cum igitur essentia divina pluribus distinctis perfectionibus æquivaleat, & tam multa præstet ipsa per se, quam præstarent plura distincta, datur locus pluribus conceptibus hæc omnia singillatim repræsentantibus. II. In divinis intellectus generat, voluntas spirat, intellectus non spirat, essentia nec generat nec spirat: quæ omnia posita identitate etiam mentali inter ista verificari non possent. Ergo &c.

Obj. ex ratione I. Simplicitas Dei tanta esse debet, quanta esse potest. Non autem esset talis posita assertione: nam esset major si nec per mentem posset unum attributum ab altero præscindi; tunc enim nulla neque rationis compositio admitteretur in Deo, quæ tamen juxta assertionem admittitur,

II. Admissa distinctio præcisiones objectivas supponit; nam supponit, quod e duobus simul realiter identificatis unum possimus ab altero mente præscindere Hoc autem est impossibile, nam tunc idem conciperetur & non conciperetur.

III. Admissa ea distinctione aliquo modo dici posset Deum non esse sapientem, non esse immortalem &c., nam ea admissa, idea, quæ correspondet uni nomini, non correspondet alteri: idea E. G., quæ correspondet sapientiæ, non correspondebit immortalitati. Deus igitur qua est sapiens, non erit immortalis, & viceversa, sicque dici aliquo modo poterit Deum non esse vel sapientem, vel immortalem.

IV. Ratio, ob quam per nos unum attributum mente ab altero distinguitur, est diversitas effectuum ab ipsis productorum. Sed hæc ratio non subsistit, secus enim omne attributum deberet in plu-

plura dividi, ut E. G. justitia dividi deberet in plures justitias, quarum una præmio, altera pœnæ corresponderet; remuneratio enim & pœna sunt duo effectus inter se diversi. Ergo &c.

Ad I. ℟. Simplicitatem quidem Dei in statu reali tantam esse debere, quanta esse potest, non sic vero etiam in statu intentionali; cum mens nostra non tam res concipiat ut sunt, quam ut sibi objiciuntur. Cum igitur in re simplicissima æquivalente tamen pluribus plures objiciantur perfectiones, ideo illas ita concipit, ac proinde concipit etiam in Deo realiter simplicissimo. Audiatur S. Gregorius Nyssenus qui ait (a): *Quis ita stupidus, ut ignoret divinam quidem naturam, quidquid tandem secundum essentiam est, esse unam & uniformem atque compositionis expertem, humanam vero animam humi jacentem, quoniam non potest, quod quæritur, liquido perspicere, per multas notiones ad inexplicabilem naturam diverse ac multipliciter contendere, non una aliqua cogitatione quod latet indagantem?* Addo illam omnimodam simplicitatem mentalem Deo repugnare; hæc enim importaret Deum pluribus distinctis non æquivalere, quod esset imperfectio.

Ad II. ℟. Et distinctione admissa non necessario supponi præcisionem objectivam, cum etiam salvetur per solam præcisionem formalem. *Præcisio objectiva* sive *ex parte objecti* habetur, cum ex duobus inter se identificatis unum concipitur, alterum non: *formalis* habetur, cum totum quidem objectum concipitur, omnesque concipiuntur illius formalitates, sed tantum in ordine ad quædam connotata, & non ad alia, ut E. G. in ordine ad quosdam tantum effectus & non ad alios. Ita si animalitatem in homine concipio non concepta rationalitate, præscindo ex parte objecti. Si vero animalitatem & rationalitatem simul considerans, illas

(a) *Orat.* 12. *contr. Eunom.*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

las tantum refero ad effectus sentiendi, non consideratis effectibus ratiocinandi, tunc præscindo formaliter, seu, ut dici solet, *ex parte connotatorum*. Prima præcisio ob rationem in objectione adductam videtur impossibilis, non sic vero altera. Hæc autem sola est necessaria ad adstruendam distinctionem rationis inter divina attributa; etsi enim cum concipio unum attributum, conceptus hic ad omnia attributa terminetur utpote cum priore identificata, si tamen omnia ista attributa referam ad unam tantum seriem effectuum, & non ad aliam, hoc sufficit, ut dici possit me unum attributum ab altero distinguere,

Ad III. ℟. Ex quo prædicatum subjecto non conveniat sub quadam particulari ratione considerato, non sequi illud nullatenus subjecto convenire: ita ex quo rationalitas homini non conveniat, quatenus animal est, non sequitur eidem nullo modo convenire. Igitur a pari licet Deus qua sapiens non sit immortalis, est tamen immortalis aliunde. Non est autem necesse, ut Deus sub omnibus respectibus, sub quibus considerari potest, appareat immortalis.

Ad IV. ℟. Non quamcumque diversitatem effectuum arguere mentalem diversitatem perfectionum in Deo, sed illam solum, quæ efficiat, ut ab eadem perfectione considerata, ut a nobis concipitur, non possint provenire. Sic imaginamur in Deo sapientiam distinctam a justitia, quia effectus unius & alterius sunt ita disparati, ut juxta nostrum cogitandi modum ab una & eadem causa non videantur posse provenire: e contra optime concipimus unam & eandem justitiam & punire & remunerari, quia isti effectus non sunt ita disparati, ut nobis videatur ad illos producendos duas distinctas perfectiones requiri. Ergo &c,

Quæ hucusque sunt dicta contra Eunomium proportionaliter valent contra Nominales.

Assertio secunda. *Inter naturam divinam & attributa, & ipsa invicem attributa considerata, ut supra explicatum est, non datur distinctio realis* Est saltem ex parte contra Gilbertum Porretanum. Que-

Quoad attributa absoluta respectu naturæ prob. ex Scriptura. Nam attributa hæc & natura Dei prædicantur de se invicem in abstracto, quod fieri non posset, si realiter inter se non essent identificata. Ita Christus de se ait (a): *Ego sum via & veritas & vita*, & alibi (b): *Ego sapientia habito in consilio*, & Apostolus (c) *Prædicamus Christum Dei virtutem, & sapientiam*. Ergo &c.

Prob. ex Concilio Remensi contra Gilbertum congregato, in quo habetur: *Credimus & confitemur simplicem naturam divinitatis esse Deum .... Sicubi vero Domini sapientia sapientem, magnitudine magnum, divinitate Deum esse, & alia hujusmodi, credimus non nisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse, nonnisi ea magnitudine, quæ est ipse Deus, magnum esse, nonnisi ea æternitate, quæ est ipse Deus, æternum esse, nonnisi ea unitate unum, quæ est ipse, nonnisi ea divinitate Deum, quæ est ipse, idest seipso sapientem, magnum, æternum, unum, Deum*. Ergo &c.

Prob. ex Patribus I. S. Augustinus ait: (d) *Non percepit Deus sapientiam, qua esset sapiens, sed ipse sapientia est*. II. S. Bernardus (e) ait: *Multa dicuntur esse in Deo, & quidem sane catholiceque, sed multa unum. Alioquin si diversa putemus, non quaternitatem habueris, sed centenitatem: verbi causa dicimus magnum, bonum, justum, & innumera talia, sed nisi omnia unum in Deo & cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum*.

Prob. ratione I. Deus est simplicissimus. Talis autem non esset, si attributa ab essentia realiter distinguerentur, cum Deus tunc constaret ex pluribus simul conjunctis. II. Si hæc attributa realiter ab essentia distinguerentur, jam essentia non esset per se perfectissima, sed per aliquid a se realiter

liter

(a) *Jo.* 14. (b) *Prov.* 8. (c) 1. *Cor.* 1.
(d) *Lib.* 15. *de Trin. cap.* 5.
(e) *Lib.* 5. *de Consid. cap.* 7.

liter diſtinctum, puta per ſapientiam, potentiam &c., quæ realiter eſſent ab ipſa diſtinctæ. Ergo &c.

Quoad perfectiones abſolutas inter ſe comparatas prob. ex Patribus. Auguſtinus ait (a): *Bonitas atque juſtitia nunquid inter ſe in natura Dei ſicut in ejus operibus diſtant, tanquam duæ diverſæ ſint qualitates Dei, una bonitas, alia juſtitia? Non utique. Sed quæ juſtitia ipſa bonitas, & quæ bonitas ipſa beatitudo.*

Prob. ratione: nam admiſſa diſtinctione perfectionum a ſe invicem non ſalvaretur ſimplicitas Dei.

Quoad perfectiones vero relativas, illas ab eſſentia realiter non diſtingui prob. ex Lateranenſi IV. in quo hæc habentur: (b) *Credimus & confitemur, quod una quædam ſumma res eſt, incomprehenſibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus S., tres ſimul Perſonæ, ac ſingulatim quælibet earumdem. Et ideo in Deo Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas, quia quælibet trium Perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſive natura divina*. Si autem perfectiones relativæ in Deo diſtinguerentur a natura, jam in Deo non ſolum eſſet trinitas, ſed etiam quaternitas; nam iſta quatuor eſſent inter ſe realiter diſtincta *natura, paternitas, filiatio, & ſpiratio paſſiva*.

Quæ poſſunt objici contra aſſertionem ſoluta videbis infra, cum de ſententia Scotiſtarum erit ſermo.

Assertio tertia. *Non datur realis diſtinctio inter eſſentiam Dei, & ipſius operationes*. Eſt contra Palamitas.

Prob. Vel enim *operationum* nomine veniunt attributa, & hæc ſupra probatum eſt ab eſſentia realiter non diſtingui: vel intelliguntur actiones ipſius Dei, & neque has debemus a ſubſtantia diſtin-

(a) *Lib.* 15. *de Trinit. Cap.* 5.
(b) *Cap.* Firmiter.

stinguere, cum substantia Dei sine ulla superaddita entitate possit per se ipsam agere. Ergo &c

Obj. ex ratione. Essentia Dei fuit ab æterno, non sic fuerunt operationes, saltem quæ sunt ad extra. Ergo &c.

℟. In operatione aliud esse entitatem, aliud respectum, quem habet ad terminum. Licet autem hic respectus non semper habitus sit, semper tamen fuit ejusdem operationis entitas, quod sufficit ne ipsa ab essentia realiter distinguatur.

Assertio quarta. *Non datur distinctio formalis ex natura rei inter essentiam & perfectiones divinas, vel inter ipsas invicem perfectiones, vel inter essentiam & Personas*. Est contra Scotistas.

Prob. Rationibus supra adductis pro assertione secunda. Istæ enim sunt, I. quod Deus est sua attributa: II. quod unum attributum est aliud: III. quod in Deo sit tantum Trinitas non quaternitas &c. Hæ autem æque militant contra distinctionem formalem; nam hac admissa Deus non erit sua attributa: unum attributum non erit aliud: in Deo admitteretur non sola Trinitas, sed quaternitas, imo tanta multiplicitas, quot sunt Dei perfectiones. Ergo &c.

Audio Scotistas reponentes nihil ex his sequi admissa distinctione formali; nam hæc stat cum identitate reali, qua posita & Deus est sua attributa, & unum attributum est aliud, & Trinitas tantum in Deo admittitur. Sed

Contra. Licet distinctio formalis stet cum identitate reali, ut hæc explicatur a Scotistis, non tamen cum illa stat, ut intelligitur a Conciliis & Patribus, ex quibus supradictæ probationes desumptæ sunt. Ab his enim intelligitur ut excludit omnem distinctionem ab intellectu independentem, cum identitas realis, quæ stet cum aliqua distinctione ab intellectu independente, ante Scotum esset ignota: illorum autem locutiones sint Scoto anteriores. Ergo cum identitate reali ab his admissa non stat distinctio formalis, quæ est ab intellectu independens. Ergo &c.

Obj. ex ratione pro diſtinctione formali inter attributa abſoluta ad invicem.

Independenter ab omni mentis cogitatione verum eſt, Filium generari a Patre per intellectum, non per voluntatem, Deum punire per juſtitiam, non per miſericordiam. Ergo independenter ab operatione mentis intellectus a voluntate, miſericordia a juſtitia diſtinguuntur. Non realiter. Ergo formaliter.

II. Quæ habent diverſam definitionem, habent quoque diverſam naturam. Divinæ perfectiones habent diverſam definitionem, Ergo & diverſam naturam. Non realiter. Ergo formaliter.

℟. ad I. diſtinguendo illam propoſitionem: *independenter a cogitatione mentis Pater generat Filium per intellectum, non per voluntatem*: independenter quoad rem ſignificatam, concedo, quoad modum ſignificandi, nego. Res per illam propoſitionem ſignificata eſt, quod Pater Filium generet per entitatem, quæ de ſe eſt tum intellectus, tum voluntas, ita tamen ut, ſi per impoſſibile eſſet ſolum intellectus & non voluntas, generaret, ſecus ſi ſecus: hoc autem totum verificatur independenter a cogitatione noſtra. Modus autem ſignificandi eſt, quod Pater generet per illam perfectionem, quæ ſignificatur nomine intellectus, ut præciſam a perfectione, quæ ſignificatur nomine voluntatis: & hoc non verificatur niſi dependenter ab operatione noſtræ mentis, cum intellectus ſic a voluntate præciſus non detur, niſi dependenter a tali operatione. Ex his tantum evincitur diverſo modo a nobis concipi in Deo intellectum ac voluntatem, adeoque admittendam eſſe inter illa aliquam diſtinctionem rationis, quam de facto & nos admittimus. Hoc idem proportionaliter dicendum de miſericordia, & juſtitia, aliiſque ſimilibus attributis.

Ad II. ℟. ex diverſitate definitionum erui diverſitatem definitorum, cum illæ dantur de rebus ut ſunt in ſe, non cum dantur de rebus ut a nobis concipiuntur. Definitiones autem, quæ de divinis attributis dantur, de illis non dantur, ut

ſunt

sunt in se, & ut sunt definibilia ab ipso Deo, ita enim unicam haberent definitionem, sed de illis ut a nobis concipiuntur. Igitur ex diversitate definitionum diversitas erui non poterit attributorum, nisi ad summum quoad conceptum nostrum, quod nos ultro admittimus.

Obj. pro distinctione formali inter essentiam & perfectiones relativas ex Conciliis. In Lateranensi IV. (a) dicitur falsa hæc propositio: *essentia generat*, cum tamen generet paternitas. Ergo essentia & paternitas distinguuntur. Non realiter. Ergo formaliter.

℟. Falsam quidem esse propositionem, si accipiatur, ut de facto ibidem accipitur, essentia *formaliter* & *reduplicative* ut essentia, non vero si accipiatur *materialiter*, prout est identificata cum paternitate; sic enim generat, scilicet generat entitas, quæ est & essentia & paternitas, non prout est essentia, sed prout est paternitas. (De hoc autem fusius in tractatu de Trinitate). Ergo &c.

Obj. ex ratione. Aliqua debet admitti distinctio inter perfectiones relativas & naturam; paternitas enim filio a Patre non communicatur, utique vero communicatur natura: quod idem proportionaliter de aliis omnibus relativis dici potest. Cum autem communicari & non communicari sint contradictoria si de eodem verificentur, paternitas ergo & natura non erunt idem. Ergo distincta: non distinctione reali: repugnat enim Fides. Ergo distinctione formali.

℟. concedendo communicari Filio a Patre naturam, non paternitatem. Sed undenam probant Scotistæ hanc communicationem & non communicationem esse contradictoria? Sane si de iis claram haberemus notionem, ut habemus de iis communicationibus & non communicationibus, quæ in

(a) *Cap.* Firmiter.

creatis observantur, tunc aliquid de iis asserere tuto possemus. Sed cum communicatio illa & non communicatio, quæ in Deo reperiuntur, longe superent captum nostrum, quis audebit asserere omnia in illis verificari requisita ad veram contradictionem? Et de facto fateamur oportet diversæ esse conditionis divina ab humanis, & aliqua a Deo præstari posse sine ulla contradictione, quæ nobis relicti putaremus non posse sine contradictione præstari. Suppone quod asseratur Deum moriturum: nonne statim homo sibi relictus contradictionem in hoc inveniet, cum Deus essentialiter immortalis mori non posse videatur? Et tamen modum invenit Deus, quo moreretur, assumendo humanitatem, in qua mortem subiret. Quidni igitur dicamus posse naturam a Patre Filio communicari non communicata paternitate, absque ulla contradictione, licet omnimoda sit inter illa identitas ex natura rei?

At inquiet Scotista, Si hic deficit aliqua conditio ad contradictionem, & nescimus quænam ea sit, fortasse igitur ea erit perfecta identitas formalis. Fortasse igitur dabitur distinctio formalis, Ergo saltem absolute non est hæc rejicienda, sed de ea erit dubitandum.

℟. ex fundamentis conclusionis satis probabiliter apparere, quod non adsit in Deo distinctio formalis. Ergo conditio, quæ ad contradictionem deficit, ex distinctione formali non est repetenda. Ergo aliunde. Ex quonam autem determinate nescimus.

Ad pleniorem autem dictorum confirmationem noto, quod cum Scotistæ distinctionem formalem in Deo ponant præcipue ad evitandas contradictiones, quæ in Deo sine illius præsidio, ut putant, admitterentur, inutiliter videntur id facere, cum aliæ etiam contradictiones juxta illorum sententiam appareant. Aliquas accipe. Certum est per Scotistas paternitatem & filiationem, licet formaliter juxta ipsos distinctas a natura, realiter tamen esse illi identificatas. Ergo deberent etiam realiter esse inter se identificatæ, cum illa, quæ sunt aliquo determinato modo identificata uni tertio, eodem

dem modo debeant esse identificata inter se: & tamen contrarium docet Fides. Rursus natura est etiam per Scotistas identificata realiter cum paternitate: filiatio vero non est cum paternitate identificata realiter. Ergo natura & filiatio non deberent esse identificata realiter inter se, cum duo, quorum unum est aliquo modo idem cum tertio, alterum non est, non debeant esse eodem modo inter se idem, quod tamen est contra Fidem. En angustiæ, en apparens contradictio, quam sane ope distinctionis formalis non tollet Scotista, sed confugiendum & ipsi erit ad infinitum excessum, quem habent divina supra captum nostrum, qui excessus facit, ut, quamvis fateri cogamur nullam in his esse contradictionem, assignare tamen nesciamus quid ad contradictionem desit. Cur ergo non licebit & nobis huc confugere ad tollendam contradictionem, quam ille objicit, absque quo ad prætensam distinctionem formalem confugiamus.

Assertio quinta. *Perfectiones Dei neque a natura, neque a se invicem distinguuntur distinctione virtuali propria*. Est contra Thomistas.

Dictum est *distinctione virtuali propria*; nam impropriam & ipse infra admittam.

Prob. ratione. Ex una parte non potest probari adesse necessitatem hujus distinctionis, ex alia illa distinctio est impossibilis. Ergo &c. Antecedens quoad primam partem constat ex dictis in superiore conclusione. Prob. itaque quoad secundam partem. Distinctio virtualis propria est virtus, quam habet res aliqua, sustinendi prædicata opposita; atqui virtus hæc est impossibilis. Ergo & distinctio. Prob. minor. Illa virtus est impossibilis, cujus est impossibilis actus; atqui actus hujus virtutis est impossibilis. Ergo etiam virtus. Major patet; si enim actus alicujus virtutis est impossibilis, jam virtus faciendi hunc actum est virtus faciendi impossibile. Sed virtus faciendi impossibile est impossibilis. Ergo &c. Prob. igitur minor. Actus hujus virtutis est verificatio prædicatorum oppositorum de eodem, ut E. G. res

simul sit, & non sit; atqui hæc verificatio, ut patet, est impossibilis. Ergo &c.

Huic argumento duplicem afferunt Thomistæ responsionem. I. dicunt verificationem oppositorum de eodem esse quidem impossibilem, cum illud, de quo verificantur, nullam habet ne virtualem quidem distinctionem; at cum hanc habet, talem verificationem non esse impossibilem.

II. dicunt distinctionem virtualem non verificare opposita, sed tantum efficere, ut quæ sine illa essent opposita, illa admissa non sint: eodem modo, quo distinctio actualis, quæ intercedit inter duo; quorum unum sit, alterum non sit, non conciliat opposita, sed efficit, ut illud *esse* & *non esse* non sint opposita. Sed

Contra I. asserere verificationem oppositorum esse impossibilem seclusa distinctione virtuali, illa vero supposita possibilem, idem est ac asserere hanc verificationem esse impossibilem seclusa illius virtute, possibilem vero illa supposita. Atqui ille actus, qui est possibilis tantum supposita virtute illum producendi, est solum *signate* possibilis, revera autem & *exercite* est impossibilis, cum nulla ex una parte, ut dixi, possit esse virtus, quæ aliquid in se impossibile producat: ex alia si quod est ex se impossibile, evaderet possibile supposita virtute illud producendi, jam omnia impossibilia evaderent possibilia, Ergo &c. Horum autem omnium ratio est, quod possibilitas rei extriniseca consistens in hoc, ut detur virtus producendi aliquem effectum, semper supponit possibilitatem intrinsecam in hoc consistentem, ut effectus in se consideratus non repugnet produci. Cum igitur non adest possibilitas intrinseca, neque aderit extrinseca, & consequenter si verificatio oppositorum de eodem intrinsece repugnat, rupugnabit quoque virtus ea verificandi.

Contra II. manifesta est disparitas inter distinctionem realem, & virtualem; nam realis aufert oppositionem, quia aufert requisita ad illam. Cum enim ad oppositionem requiratur, ut opposita sint de eodem, statim ac E. G. *est* verificatur

de

de uno, *non est* verificatur de altero, non verificantur amplius de eodem. At non obstante distinctione virtuali prædicata opposita verificarentur de eodem. Ergo non obstante distinctione virtuali subsistunt omnia requisita ad oppositionem, adeoque subsistit oppositio. Quod si instes prædicata opposita verificari quidem de eodem, sed de eodem distincto virtualiter, idest æquivalente pluribus, ℟. hoc non subsistere; sic enim nihil esset amplius impossibile; nam quæcumque sunt impossibilia, talia sunt ob contradictionem, quam involvunt. Si igitur tollatur contradictio, tolletur ipsa quoque impossibilitas. At si prædicata cæteroquin opposita non essent amplius opposita, cum verificarentur de eodem distincto virtualiter, idest æquivalente pluribus, jam posset tolli quæcumque contradictio: semper enim adesset modus vitandi contradictionem; dicendo prædicata non esse contradictoria, cum verificentur quidem de eodem, sed de eodem distincto virtualiter; nam ut non repugnat in uno casu rem in se ipsa realiter indistinctam ita æquivalere pluribus, ut prædicata cæteroquin opposita de ea verificata non sint amplius opposita, ita nulla poterit afferri repugnantia, ne hoc in aliis etiam casibus eveniat. Ergo &c. Quod si posset evenire, en sublata omnis contradictio & omnis impossibilitas a natura.

Obj. ex ratione. Juxta responsiones traditas objectionibus Scotistarum illa communicari & non communicari, quæ in divinis habentur, non sunt contradictoria, cum tamen verificentur de eodem. En igitur virtus, quæ efficit, ut tollatur cotradictio, & consequenter en distinctio virtualis.

℟. Dictum quidem fuisse illa communicari & non communicari non esse contradictoria, sed diverso modo ac dicant Thomistæ. Hi scilicet volunt, integris remanentibus cæteris requisitis ad veram contradictionem, Deum tamen esse hujusmodi subjectum, quod statim ac illa prædicata, ut sic dicam, attingunt, exuant contradictionem. At in supradictis responsionibus dictum est, illa non esse contradictoria non ex virtute subjecti, de quo ve-

verificantur, sed ex defectu alicujus alterius conditionis ad veram contradictionem requisitæ. Hæc duo inter se esse diversa patet hoc exemplo. Aliud est si dicam: peccatum & gratia inter se pugnant quidem, sed potest dari aliquod subjectum, in quo non pugnent: aliud si dicam: fieri potest, ut peccatum non repugnet gratiæ ex defectu alicujus conditionis ad veram repugnantiam requisitæ, ut si peccatum esset tantum veniale, quo posito defectu poterit idem subjectum utrumque in se habere. Juxta primum modum loqui videntur Thomistæ, juxta posteriorem a me supra responsum est. Et quamvis sit dictum a nobis ob infinitum excessum, quem habeat divina supra captum nostrum, assignari non posse quæ sit conditio ad contradictionem deficiens, hoc tamen solum evincit, divina esse supra lumen naturale, cum e contrario Thomistæ contradictionem tollentes per distinctionem virtualem, divina facere videantur eidem lumini adversari.

Assertio sexta. *Inter naturam Dei & ipsius perfectiones, nec non inter ipsas invicem perfectiones datur distinctio rationis ratiocinatæ:*

Prob. ratione. Nam ea posita distinctione salvatur quidquid de Deo salvandum est, scilicet salvatur nullam in Deo dari compositionem realem, cum attributa & natura independenter a nostro intellectu sint omnino idem: salvatur multiplicitas conceptuum, sub quibus & natura & attributa divina menti nostræ obversantur; nam cum attributa & natura, licet sint una simplicissima entitas, plura tamen præstent & pluribus æquivaleant, fundamentum præbent intellectui nostro, ut per plures conceptus illa sibi representet. Ex hoc autem patet distinctionem hanc esse rationis ratiocinatæ, quia fit quidem a nostro intellectu, sed cum fundamento in ipso Deo, & etiam posse dici virtualem impropriam, quia per hanc eadem simplicissima divina entitas pluribus distinctis æquivalet, licet non qua distinctis.

Quæ contra hanc assertionem objici possunt, facile ex iis, quæ supra dicta sunt, solvi poterunt.

CA-

CAPUT QUARTUM.

De illis singillatim Dei perfectionibus, de quibus in Scripturis fit mentio frequentior.

QUamvis infinitæ sint divinæ perfectiones, aliquæ tamen sunt, de quibus utpote peculiarem habentibus respectum ad creaturas, Scriptura frequenter mentionem facit. De his proinde nunc breviter est agendum, reservatis tamen ob materiæ ubertatem ad sequentes dissertationes hujus Tractatus iis, quæ spectant ad intellectum, ad veracitatem, ad voluntatem, & ad visionem Dei.

Agam itaque 1. de unitate Dei, 2. de illius simplicitate, 3. de illius spiritualitate, 4. de illius infinitate, 5. de illius immensitate, 6. de illius æternitate, 7. de illius immutabilitate, 8. de illius omnipotentia, 9. de illius misericordia, 10. de illius justitia.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. me hic non loqui de unitate *transcendentali*, quæ omnibus rebus convenit, sed de unitate, quam vocant *solitudinis*, importante ut nullus alius sit Deus præter unum, quo sensu Deus non tam *unus* dicitur, quam *unicus*.

Noto 2. unitatem Dei negatam esse præcipue a Gentilibus, qui Politheismum seu Deorum pluralitatem invexerunt, a Marcionitis & Manichæis, qui duo statuerunt prima principia, unum bonum & alterum malum, & a Tritheitis, qui personas SS. Trinitatis etiam natura distinguentes a se invicem, tres proinde Deos effecerunt.

ASSERTIO. *Unicus est Deus*. Est de fide.

Prob. ex Scripturis. *Videte*, inquit Deus, (a) *quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me*;

(a) *Deut.* 32,

me: rursus (a) *Quis Deus præter Deum nostrum?* rursus (b): *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum*: & Apostolus ait: (c) *Scimus quia nihil est Idolum in mundo, & quod nullus est Deus nisi unus*. Ergo &c.

Prob. ex Conciliis. Lateranense IV. (d) ait: *Confitemur, quod unus solus est verus Deus* &c. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. In iis plures Dii asseruntur; nam I. Moyses dicitur (e) constitutus Deus Pharaonis.

II. Dicitur: (f) *Deus stetit in Synagoga Deorum*, & (g) *Ego dixi Dii estis*. Ergo &c.

℟. Ad I. illos, qui præter unum Deum dicti sunt Dii, tales dictos esse impropriæ solum & metaphorice, videlicet vel quia Deum aliquo peculiari modo repræsentabant, vel ob auctoritatem vitæ & necis, ut Judices, vel ob ornamentum gratiæ sanctificantis, ut Justi, vel ex quo nomine & auctoritate Dei loquerentur, ut Prophetæ.

Ad II. patet responsio ex dictis.

Obj. ex ratione cum Manichæis. Plura sunt mala in hoc mundo. Hæc autem a Deo summe bono provenire non possunt. Remanet ergo, ut a principio seu Deo malo proveniant, adeoque duo isti Dii sunt admittendi.

℟. Mala omnia alia esse physica, alia moralia. Utraque a Deo bono provenire possunt quanquam diversimode: physica quidem positive, moralia vero solum permissive. Et sane Deus hic dedit homini libertatem: ex hac fieri potuit, imo factum est, ut homo peccaret: en malum morale, quod permisit. Ut Deus autem hoc malum morale pro sua justitia puniret, plura mala physica

---

(a) *Psalm.* 17. (b) *Jo.* 17.
(c) 1. *Cor.* 8. (d) *Cap.* Firmiter.
(e) *Exod.* 7. (f) *Psalm.* 81.
(g) *Ibidem*.

sica homini intulit: & en malum physicum, quod voluit positive in pœnam peccati. Quid hic repugnat bonitati Dei? Ut interim omittam, quod aliqua sunt mala physica, quæ talia non sunt nisi respective ad aliquos: quod aliqua sunt, quæ couducunt ad perfectionem universi: quod iis utitur Deus. ut homines retrahat ab amore terrenorum &c.

Nihil hic dicam de modu conciliandi trinitatem Personarum cum unitate Dei; nam hoc spectat ad Tractatum de Trinitate, & præterea aliqua circa hoc obiter alibi in hoc ipso Tractatu afferuntur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Noto 1. *simplicitatem* esse immunitatem a compositione. Duplex porro est compositio, *realis* & *rationis*. Prima est, quæ in re habetur independenter a nostro intellectu, & consistit in hoc, quod plura realiter distincta sint in illa simul posita. Secunda est, quæ in re non habetur, sed ab intellectu fingitur.

Noto 2. præter plures antiquos, qui simplicitatem Deo denegarunt, celebre esse nostris temporibus systema Pantheistarum, qui duce vel saltem illustratore Benedicto Spinosa docent Deum esse hoc ipsum Universum, quod dicunt constare ex immensa cogitatione & extensione, adeoque ex his etiam volunt constare Deum, cujus attributorum volunt esse modificationes omnes alias res. Ex hoc sequitur, quod sicut universum est compositum, ita etiam compositus sit Deus. Altas hoc tempore radices jecit præsertim in Anglia Pantheistarum systema.

Assertio Prima. *Nulla est in Deo realis compositio, adeoque Deus est realiter simplicissimus.* Est de Fide.

Prob. ex Conciliis. Lateranense IV. (a) ait: ...

(a) *Cap.* Firmiter.

Cum ſubſtantia Patris indiviſibilis ſit, utpote ſimplex omnino. Ergo &c.

Prob. ratione generali. Repugnat ſummæ perfectioni Dei, ut in ipſo plures partes dentur, ex quarum mutua dependentia exurgat ipſe Deus. Ergo &c. Ex quo ſequitur Deum non habere in ſe materiam aut formam, ſubjectum & accidens, aut partes quantitativas, aut alia hujuſmodi.

Prob ratione particulari contra Spinoſiſtas. Si Deus eſſet compoſitus, ut vult Spinoſa, ſequeretur I. Deum eſſe formaliter plantam, lapidem, brutum &c. II. eſſe Deum obnoxium viciſſitudinibus, quibus obnoxia ſunt quæ ſunt in hoc univerſo: III. in Deo eſſe formaliter omnia mala phyſica, quæ in hoc univerſo ſunt: IV. in Deo itidem eſſe formaliter omnia mala moralia, quæ ſunt in univerſo: V. in Deo eſſe formaliter plura contingentia: VI. in Deo eſſe plura inter ſe pugnantia, ut ſunt in univerſo. Quæ omnia tam eſt evidens eſſe abſurda, ut oratione abutatur qui hoc probare contendat.

Obj. ex ratione. Tres ſunt Perſonæ unitæ in natura. Ergo ſunt plura in Deo ſimul unita, adeoque eſt compoſitio.

℟. Cum S. Thoma Divinas Perſonas nullam in Deum inducere compoſitionem; nam vel Perſonæ comparantur ad eſſentiam, & ſic cum ea ſunt unum & idem: vel comparantur ad ſe invicem, & ſic non ſunt unitæ, ſed potius opponuntur, & ut ita dicam, per impoſſibile ſeparantur. Unio autem ad conſtituendam compoſitionem requiritur. Ergo &c.

Assertio secunda. *Poteſt in Deo admitti aliqua compoſitio rationis.*

Prob. ratione. Tanta enim eſt perfectio Dei, ut intellectus noſter nequeat commodius illum concipere, quam plures in ipſo concipiendo perfectiones, ut capite ſuperiore explicatum eſt, ex quibus ſimul poſitis & unitis Deus componatur. Fatendum tamen hanc compoſitionem rigoroſe loquendo non eſſe in Deo, ſed tantum in intellectu noſtro cum fundamento in ipſo Deo.

AR-

ARTICULUS TERTIUS.

Noto *spiritualitatem* Dei fuisse 5. Ecclesiæ sæculo negatam a Monachis quibusdam Ægyptiis, qui ob id dicti sunt *Antropomorphitæ*, quia Deo humanam formam affingebant. Per aliquos etiam idem prius docuerat Melito Sardensis & Tertullianus: ut Idololatras omittam, qui Deos corporeos adorabant. Spiritualitatem etiam Dei negant moderni Materialistæ substantias spirituales de medio tollentes.

Assertio. *Deus est omnino spiritualis*. Est de Fide.

Prob. ex Scripturis. Ibi dicitur (a) *Spiritus est Deus*: rursus (b): *Dominus spiritus est*: quæ loca semper Ecclesia intellexit de vera spiritualitate. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. Hæ tribuunt Deo membra corporalia, ut (c) manus (d), aures (e), pedes &c. Præterea dicitur homo factus ad imaginem & similitudinem Dei (f). Cum ergo homo habeat corpus, habebit etiam Deus. Ergo &c.

℟. Humana membra tribui Deo, ut ostendatur ipsum posse omnia præstare, quæ ope membrorum peragunt ipsi homines. Qua de re audiatur Augustinus ita disserens (g): *De membris Dei, quæ assidue Scriptura commemorat, ne quisquam secundum carnis hujus formam & figuram nos esse crederet similes Deo, propterea eadem Scriptura & alas habere Deum dixit, quas nos utique non habemus. Sicut ergo alas cum audimus, protectionem intelligimus, sic & cum audimus manus, operationem intelligere debemus, & cum audimus pedes, præsentationem, & cum audimus oculos, vi-* sio

(a) *Jo.* 4. (b) 2. *Cor.* 3. (c) *Job.* 10.
(d) *Psalm.* 129. (e) *Isai.* 66. (f) *Genes.* 1.
(g) *Ep. ad Fortunatianum cap.* 4.

sionem, qua cognoscit, & cum audimus faciem, notitiam, qua innotescit. Similitudo porro, quæ habetur inter hominem & Deum, in corpore non est sita, sed præcipue in anima. Verum de hac similitudine ex professo in Tractatu de homine. Ergo &c.

ARTICULUS QUARTUS.

Noto Dei *infinitatem* duo importare, & quod collectio, ut ita dicam, perfectionum ipsius sit infinita, & quod infinitæ pariter sint singulæ perfectiones, qua de causa hoc attributum dicitur transcendentale.

Assertio prima. *Deus est infinitus.*

Prob. ex Scriptura. Dicitur (a): *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis:* rursus: (b) *Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.*

Prob. ex Patribus. S. Hilarius (c) hæc habet: *Hæc Dei prima & præcipua laudatio est, quod nihil in se mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum & magnitudinis suæ habeat & laudis. Virtus ejus opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiatur, temporibus non subditur: Arctus ad id sensus noster est, ingenium hebes est, sermo mutus est. Finem magnificentiæ ipsius nescit, & aliquam emetiendi se opinionem immensa magnitudo non patitur. Extenta ubique extenta semper est, hanc habens infinitatis suæ laudem: cæterum omnem intelligentiam infinitæ hujus in se qualitatis excedens.* Ergo &c.

Assertio secunda. *Deus est infinitus simpliciter.*

Prob. ratione. Nihil in eo reperibile est finitum ac limitatum. Ergo &c.

As-

(a) *Psalm.* 144. (b) *Baruch.* 3.
(c) *in Psalm.* 144. *n.* 6.

Assertio tertia. *Deus est infinitus per essentiam.*

Prob. ratione. Ipse infinitatem habet ex conditione propriæ naturæ. Ergo &c.

Assertio quarta. *Deus solus est modis jam dictis infinitus.*

Prob. ratione. Nihil potest reperiri infinitum ut Deus est; quodcumque enim aliud præter ipsum hac saltem carebit perfectione, nimirum independentia, cum ab ipso omnia necessario dependeant.

Omnes positæ assertiones sunt de Fide.

ARTICULUS QUINTUS.

Infinitatis sunt veluti species *immensitas* & *æternitas*. Quoad immensitatem, quæ importat, ut Dei substantia nullis terminis circumscribatur.

Noto 1. immensitatem fuisse Deo negatam inter veteres a Valentinianis, Gnosticis & Manichæis, inter recentiores vero a Socinianis, & quibusdam Calvinistis.

Noto 2. rem esse posse in loco pluribus modis, nempe *circumscriptive*, idest ita ut una illius pars uni parti loci correspondeat, alia alteri, ut sunt in loco corpora: *definitive*, idest ut res sit tota in toto aliquo determinato loco, & tota in qualibet loci parte, extra quem tamen locum non sit: *sacramentaliter*, scilicet ut Christus est in Eucharistia, de quo ex professo in Tractatu de Sacramentis: & *repletive*, ut placet aliquibus dicere, ita scilicet ut res sit tota in quolibet loco, & tota in qualibet loci parte. Priores tres modi existendi in loco, Deo, ut patet, non conveniunt, prior quidem, quia est proprius corporum, alter vero & tertius quia excludunt Dei præsentiam in omnibus locis. De quarto modo procedet assertio statuenda. Sit Ergo

Assertio. *Deus est immensus*. Est de Fide.

Prob. ex Scripturis. Dicitur (a): *Magnus est*

&

(a) *Baruch.* 3.

& non habet finem excelsus & immensus. Rursus (a): *Quo ibo a spiritu tuo? & quo a facie tua fugiam? Si ascendero in Cœlum tu illic es, si descendero in Infernum ades*. Rursus: *Numquid* (b) *non Cœlum & Terram ego impleo dicit* Dominus? Tandem (c): *Si Cœlum & Cœli Cœlorum capere te non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi?* Ergo &c.

Prob. ex Conciliis. Lateranense IV. (d) inquit. *Firmiter credimus . . . quod unus solus est verus Deus . . . immensus* &c. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. Dicitur Deus in Cœlis residere: *Cœlum* (e) *sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum*: dicitur residere in Templo: *Dominus* (f) *in Templo sancto suo*: dicitur residere in anima justi (g): *Ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus*: dicitur aliquis fugisse a facie Domini, ut Cain (h). Præterea sæpe dicitur Deus accedere, recedere, descendere, ambulare &c. quæ omnia immensitati repugnant. Ergo &c.

℟. Ideo Cœlum vocari sedem Dei, quia ibi speciali ratione residet; ibi enim & ostendit se ipsum, & specialiter laudatur & honoratur, qua ratione etiam Templa dicuntur sedes Dei: in anima pariter justi ipsum specialiter residere, quia ibi residet non solum tribus illis modis, quibus communiter in aliis residet, scilicet *per essentiam*, quia illis est propria natura intime præsens, *per præsentiam* quia intime omnia cognoscit & intuetur, *per potentiam*, quia omnia producit, conservat, & regit, sed etiam *per gratiam*. Qui dicuntur fugisse a facie Domini, ideo dicuntur, quia fugerunt a loco, vel ubi illis apparuerat, vel ubi specialiter juxta superius dicta residebat. Accessus autem, recessus &c. Deo tantum metaphorice tribuuntur, adeoque dicitur Deum E. G. ad nos accede-

(a) *Psalm*. 138. (b) *Jerem*. 23. (c) 3. *Reg*. 8.
(d) *Cap*. Firmiter. (e) *Isai*. 66.
(f) *Psalm*. 10. (g) *Jo*. 14. (h) *Genes*. 4.

cedere, cum nobis beneficia largitur, a nobis recedere, cum retrahit eadem beneficia: dicitur Deum descendere ad aliquem locum, vel per illum ambulare, cum mirabile aliquid & extraordinarium facit in eo loco, ut etiam explicat S. Augustinus inquiens (a): *Vide ne adscensionem & descensionem localem sentias. Indignum est hoc de incorporea & ubique tota sentire substantia, sed descendere dicitur Deus, quando curam humanæ fragilitatis habere dignatur*, vel (b) *cum aliquid facit in terra, quod præter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum præsentiam ejus quodammodo ostendat*.

Obj. ex ratione. Si Deus esset immensus, esset etiam extra mundum, adeoque in spatiis imaginariis. Hoc non, cum illa spatia sint merum nihil, adeoque Deus in illis existens, in nihilo existeret. Ergo &c.

℟. Plures negate majorem, idque ex ratione adducta. Hi tamen Deum fatentur immensum, cum se extendat ad omnia loca, inter quæ non numerant spatia imaginaria. Alii tamen plures concessa majore negant minorem; dicunt enim primo spatia imaginaria, licet sint nihil quatenus non sunt aliquid positivum, sunt tamen capacitas recipiendi in se aliquid: in hac autem capacitate Deus certe erit. Secundo si in illis spatiis Deus non esset, jam posito quod vellet condere alios mundos extra hunc, deberet pariter extra hunc extendere substantiam suam, quod est inconveniens. Tertio supponamus quod Deus destruat hunc mundum, vel substantia Dei remanet, ubi erat prius, vel non; si non, ergo coarctatur: si remanet, ergo remanet in spatiis imaginariis. Cur ergo in aliis extra mundum non erit? Quarto Deus est extra illud tempus, quo res existunt. Ergo etiam extra locum, in quo reperiuntur. Ergo etiam in spatiis ima-

(a) *Serm. 70. de temp.*
(b) *Lib. 16. de Civit. Dei cap. 5.*

imaginariis. Hæc si valent (valere autem non tam facile negarem) patet jure negari minorem. Alterutrum modum adbibe, & habebis solutam objectionem.

ARTICULUS SEXTUS.

Noto 1. *æternitatem* ita definiri a Boetio: *interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio*, idest possessio vitæ carens principio & fine, absque ulla successione partium.

Noto 2. æternitatem Deo negatam fuisse a Gentilibus, qui Deos ab aliis in tempore genitos finxerunt, adeoque illis posteriores, & consequenter non æternos: & a Valentino hæretico 2. sæculi, qui & ipse plures Deos, idest triginta finxit Eonas ab ipso appellatos, quorum alii ab aliis successive fuissent progeniti.

Assertio. *Deus est æternus.* Est de Fide.

Prob. ex Scripturis. Inquit Deus (a) *Vivo ego in æternum*, & alibi: (b) *Dominus in æternum permanet:* & (c): *Ipsi peribunt, tu autem permanes*, & tandem (d): *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*.

Prob. ex Conciliis. Lateranense IV. ait: (e) *Credimus quod unus solus est verus Deus æternus* &c. Ergo &c.

In Deo igitur ex parte ipsius non est nec præteritum nec futurum, sed unicum *nunc* semper stans, quod necessario coexistit omnibus temporum differentiis non quidem simul sumptis & coexistentibus, sed divisim sumptis & sibi mutuo succedentibus, ita ut tota Dei æternitas hodie coexistat toti hodierno diei, cras tota extitura sit diei crastino, & sic deinceps.

AR-

(a) *Deut.* 32. (b) *Psalm.* 9.
(c) *Psalm.* 101. (d) *ibidem*
(e) *Cap.* Firmiter.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Noto *immutabilitatem* Deo negatam fuisse a pluribus Gentilibus.

Assertio. *Deus est immutabilis*. Est de Fide.

Prob. ex Scripturis. Ibi dicitur: (a) *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur*: rursus (b): *Ego Dominus & non mutor*: tandem: (c) *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Ergo &c.

Prob. ex Conciliis. Lateranense IV. (d) inquit: *Credimus, quod unus solus est verus Deus... incommutabilis* &c.

Obj. ex Scripturis. Hæ aliquando tribuunt Deo pœnitentiam & tristitiam, ut cum dicitur: (e) *Pœnituit Deum, quod hominem fecisset. Et tactus dolore cordis intrinsecus* &c. aliquando iram, ut: (f) *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Hi autem affectus mutuationem aliquam in Deum inducunt. Ergo &c.

℟. hos affectus nonnisi metaphorice Deo tribui: pœnitentiam ad significandam mutationem ab ipso faciendam in rebus a se constitutis: iram ad significandam divinam vindictam: tristitiam ad significandam maximam impietatis execrationem, unde Augustinus inquit: (g) *Quando eum pœnitet, non mutatur & mutat, sicuti quando irascitur, non movetur & vindicat, & quando miseretur, non dolet & liberat, & quando zelat, non cruciatur & cruciat*. Ergo &c.

Obj. ex ratione. Ante mundi creationem Deus non erat creator, post ipsam vero fuit: ipse ali-

---

(a) *Num.* 23. (b) *Malach.* 3.
(c) *Jacob.* 1. (d) *Cap.* Firmiter.
(e) *Genes.* 6. (f) *Psalm.* 37.
(g) *Lib.* 1. *contr. Advers. legis. & Prophet. Cap.* 20.

aliquando hominem diligit, aliquando odit: ipse est liber, potest consequenter modo unum velle, modo illud nolle: in Incarnatione novam naturam acquisivit. Hæc omnia mutationem important. Ergo &c.

℟. ex creatione quamvis facta in tempore mutatum non esse Deum (quod idem de alia quamvis operatione in tempore facta dicatur); nam Deus non creavit per actionem novam, sed per actionem, quæ semper fuit, quamvis relationem tantum haberet ad illud peculiare tempus, quo de facto mundum creavit. Voluit scilicet Deus ab æterno creare mundum in tempore, unde extitit ab æterno entitas hujus actus volitivi, quamvis ille terminaret non ad quodcumque, sed ad tale, ut ita dicam, virtuale instans æternitatis: unde S. Augustinus inquit: (a) *Ad opus novum non novum, sed sempiternum adhibet consilium*. Et quamvis per actiones in tempore factas novas denominationes & relationes acquirat Deus, per has tamen non mutatur, nisi ad summum extrinsece eo proportionaliter modo, quo palus in medio flumine defixus, quamvis ex motu aquæ circa ipsum varias acquirat denominationes & relationes, (modo enim unam aquæ portionem tangit, modo alteram, modo est uni proximus, modo alteri, modo eadem portione inferior, modo superior) non tamen intrinsece mutatur. Aliquando sane Deus hominem diligit, aliquando odit, sed idem entitative est actus amoris & odii, qui, prout terminatur ad justum, dicitur amor, prout terminatur ad peccatorem, dicitur odium, ut idem solis calor respectu luti est indurativus, respectu nivis liquefactivus. Nec immutabilitati Dei officit ipsius libertas, quæ non in hoc consistit, ut possit modo velle, modo cessare a volendo, sed in hoc, quod

(a) *Lib.* 12. *de Civit. Dei Cap.* 17.

quod illa, quæ ab æterno libere voluit, potuisset non velle (sed circa hoc vide quæ infra de libertate Dei dicentur.) Tandem nec per Incarnationem mutatus est Deus, sed sola mutata est humanitas ab ipso assumpta, quæ aliquam imo summam perfectionem novam acquisivit; ipse autem nihil de novo acquisivit, cum affectiones humanitatis, quas cœpit in se habere formaliter, jam prius eminenter haberet. De hoc autem ex professo in Tractatu de Incarnatione.

ARTICULUS OCTAVUS.

Noto 1. nomine *omnipotentiæ* hic non venire virtutem faciendi quæ sunt in se impossibilia (hæc enim esset nugatoria), aut faciendi quæ in Deum imperfectionem inducerent, ut esset peccare, mori &c. (hæc enim esset imperfectio), sed tantum virtutem faciendi omnia alia præter ista.

Noto 2. omnipotentiam fuisse Deo negatam ab Hermogene, qui contendebat non potuisse ab ipso mundum educi ex nihilo, sed solum ex præexistente materia, quam proinde Deo coæternam existimabat, a Petro Abaelardo, qui teste S. Bernardo soli Patri plenissimam potentiam tribuebat, aliquam tantum Filio, nullam Spiritui Sancto.

Assertio. *Deus est omnipotens*. Est de Fide.

Prob. ex Scripturis. Ibi dicitur: (a) *Domine Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tuæ resistere voluntati*: rursus: (b) *Unus est altissimus creator omnipotens*: tandem (c): *Apud Deum omnia possibilia sunt*. Ergo &c

Prob. ex Conciliis: Lateranense IV. ait: (d) *Credimus, quod unus solus est Deus .... omnipotens* &c. Ergo &c.

AR-

(a) *Esther*. 13. (b) *Eccl*. 1.
(c) *Matt*. 19. (d) *Cap*. Firmiter.

ARTICULUS NONUS.

Noto *misericordiam* posse sumi pro affectu tristitiæ, qui in nobis ex aliena miseria excitatur, & pro voluntate subveniendi eidem miseriæ. Priore modo in Deo non est misericordia; de posteriore sit.

Assertio. *In Deo est misericordia*, Est de Fide.

Prob. ex Scripturis. Ibi (a) dicitur: *Domine Deus misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem & scelera atque peccata:* rursus: (b) *Miserator & misericors Dominus, patiens & multum misericors*. Ergo &c.

ARTICULUS DECIMUS.

Noto *justitiam* esse inclinationem ad retribuendum præmium vel pœnam juxta merita vel demerita.

Assertio. *Est in Deo justitia*. est de Fide,

Prob. ex Scripturis. Ibi dicitur: (c) *Justitia ante eum ambulabit*: rursus (d) *Justus es Domine & rectum judicium tuum*: rursus (e) *Reddet unicuique secundum opera ejus*: tandem: (f) *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, Fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex*. Eego &c.

DIS-

(a) *Exod.* 34. (b) *Psalm.* 144.
(c) *Psalm.* 84. (d) *Psalm.* 118.
(e) *Matt.* 16. (f) 2. *Timot.* 4.

DISSERTATIO II.

De Intellectu & Scientia Dei.

DIſſertationem hanc in quinque capita divido. In 1. notionem exhibebo divini intellectus & divinæ ſcientiæ: in 2. examinabo quotuplex ſit ſcientia Dei: in 3. exponam ſtatum, originem, & progreſſum celebris controverſiæ de ſcientia futurorum liberorum conditionatorum: in 4. agam de medio, in quo videt Deus hæc futura a creaturis ponenda: in 5. agam de ſcientia viſionis, ubi etiam corollaria quædam addam ex generali doctrina de ſcientia deducta.

CAPUT PRIMUM.

Notio exhibetur divini Intellectus divinaque Scientiæ.

AFferam 1. quæ generaliter pertinent ad divinum intellectum divinamque ſcientiam: 2. agam de objecto ejuſdem ſcientiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

In Deo eſſe *intellectum* oſtendit Scriptura inquiens: (a) *Qui fecit Cœlos in intellectu:* rurſus: (b) *Apud ipſum eſt ſapientia .... ipſe habet conſilium, & intelligentiam*. Accedit ratio; nam intellectus eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, adeoque Deo conveniens.

Di-

(a) *Pſalm.* 135. (b) *Job.* 12.

Divinus autem intellectus, cum sit infinitæ perfectionis, est per se semper determinatissimus ad intelligendum, unde semper est in actu secundo intelligendi: & hinc dicitur divinus intellectus esse *suum intelligere*. Nec ipse debet excitari ab objectis ad ea cognoscenda, sed omnia ex se etiam additissima pervadit, & ideo quæ a Deo cognoscuntur divinæ cognitionis dicuntur non *principia* sed *termini*.

Hinc patet in Deo admittendam esse *scientiam*, non illam quidem, quæ dicitur notitia certa & evidens per demonstrationem deducta (Deus enim, ut infra etiam videbitur, ratiocinatione non indiget, ut sciat) sed perfectissimam cognitionem cujuslibet rei cognoscibilis. Hanc etiam innuunt Scripturæ dicentes: (a) *Domine qui habes omnium scientiam:* rursus: (b) *Cognovit Dominus omnium scientiam*: & tandem: (c) *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Innuit pariter ratio; scientia enim est perfectio simpliciter simplex adeoque Deo concedenda. Præterea est necessaria scientia ad constituendum Deum beatum, ad constituendum ipsum aptum rerum omnium gubernatorem &c.

Divina scientia ab omnibus iis defectibus est immunis, qui scientiæ humanæ conveniunt. In nobis enim scientia est accidentalis, in Deo essentialis: in nobis ab objectis pendet, secus in Deo, qui, ut supra dixi, ab objectis non indiget excitari ad cognoscendum, & præterea se cognoscens omnia cognoscit, quæ in ipso veluti in speculo perfectissime repræsentantur; in nobis plures actus importat, scilicet per plures actus scimus quæ scimus, in Deo est simplicissima; unico enim actu omnia cognoscit, semperque cognovit: in nobis est mutabilis, quia transit de non esse ad esse,

(a) *Esther.* 14. (b) *Eccl.* 42.
(c) *Rom.* 11.

se, & è contra, secus in Deo, in quos semper eadem fuit, est, & erit: & licet objecta scientiæ subinde mutentur, ipsa tamen non mutatur, sed ea semper repræsentat pro tali temporis differentia futura, pro alia præsentia, pro alia præterita: in nobis per ratiocinationem gignitur, secus in Deo, qui non indiget unum ex altero inferre, licet eorum connexionem, & unius ab altero dependentiam optime cognoscat, adeoque etiam fundamentum, quod talis connexio & dependentia præbent ratiocinationi: in nobis scientia est ut plurimum inadæquata cognoscibilitati objecti, scilicet ut plurimum non cognoscimus objecta omni modo, quo sunt cognoscibilia, in Deo est semper comprehensiva, scilicet cognoscit Deus in objectis quidquid est cognoscibile, ac proinde essentiam, qualitates, modos, causas &c. tandem in nobis præter actum scientiæ datur etiam habitus, scilicet promptitudo & facilitas ad sciendum, qui & perficit potentiam intellectivam, & potest stare sine actu, in Deo autem hic habitus rigorose loquendo non datur, cum divinus intellectus sit de se paratissimus & determinatissimus ad intelligendum, nec possit stare, ut supra etiam dixi, sine actu.

ARTICULUS SECUNDUS.

Illa, de quibus quæri potest an cognoscantur a Deo, sunt vel ipse Deus, vel res extra Deum. Res autem extra Deum aliæ in aliqua temporis differentia existentiam habent, aliæ nunquam existent. De his omnibus agendum. Et quoniam de rebus nunquam exstituris præcise ut talibus non est, cur peculiariter sermo instituatur; cum ad has ventum erit, agam de rebus nunquam quidem exstituris absolute, sed tamen exstituris conditionate, quæ utrum a Deo cognoscantur examinandum est, ut via sternatur iis, quæ infra circa scientiam conditionatorum dicenda sunt. Sit ergo

Assertio prima. *Deus perfectissime cognoscit imo comprehendit seipsum*. Est de Fide.

Prob. ex Scripturis. Inquit Apostolus (a): *Quæ Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei*, ubi etiam docet cognitionem, quam Deus habet de se, esse comprehensivam, dum inquit: *Scrutatur etiam profunda Dei*. Ergo &c.

Prob. ratione. Cum intellectus divinus sit optimus, qui haberi possit intellectus, debet intelligere quidquid est intelligibile, & omni modo, quo est intelligibile. Cum igitur ipse Deus sit intelligibilis, debet proinde divinus intellectus Deum ipsum cognoscere & quidem omni modo, quo est cognoscibilis, adeoque comprehendere.

Obj. ex Patribus. Augustinus (b) ait: *Quidquid scientia comprehenditur scientis comprehensione finitur*. Cum igitur Deus nulla ratione finiri possit, nec poterit comprehendi.

℟. Augustinum id solum asserere, quatenus nihil objecti visibilis eum latet, qui illud comprehendit. Hoc etiam de Deo seipsum cognoscente verificari potest. Ergo &c.

Obj. ex ratione. Scientia & omnipotentia Dei idem sunt. Hæc non potest habere pro objecto Deum. Ergo nec illa.

℟. Scientiam & omnipotentiam esse quidem realiter idem, sed tamen diversos habere respectus, ob quos cogitatione nostra distinguuntur. Eadem igitur divina entitas, ut respicit cognoscibilia, dicitur scientia, ut respicit agibilia, omnipotentia. Cum autem non omne id, quod est cognoscibile a Deo, sit etiam ab ipso factibile (ut enim sit cognoscibile, sufficit si habeat veritatem, quod non sufficit, ut sit factibile,) proinde non omne, quod est objectum scientiæ, est etiam objectum omnipotentiæ.

Assertio secunda. *Res extra Deum in aliqua temporis differentia existentes a Deo perfectissime cognoscuntur.* Est de Fide.

Prob.

(a) 1. *Cor.* 2.
(b) *Lib.* 12. *de Civit. Dei cap.* 18.

Prob. ex Scripturis. Et I. generaliter dicitur: (a) *Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita, sic & post perfectum respicit omnia*: rursus: (b) *Ipse fines mundi intuetur & omnia, quæ sub Cœlo sunt, respicit*: tandem: (c) *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus*. II. particulariter de rebus futuris dicitur: (d) *Scio quia prævaricans prævaricaberis*: rursus: (e) *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos*: tandem: (f) *Scit præterita & de futuris æstimat*. III. particulariter de rebus occultis dicitur: (g) *Scrutans corda & renes Deus*: rursus: (h) *Novit abscondita cordis*: tandem (i) *Intellexisti cogitationes meas de longe*. Ergo &c.

Prob. ex Patribus. Et I. generaliter Clemens Alexandrinus (k) dicit Sapientiam divinam *solidam rerum divinarnm & humanarum cognitionem firmam . . . & quæ comprehendit ea, quæ sunt, & præterita & futura &c.* Et S. Augustinus asserit (l) *in una Dei sapientia esse immensos quosdam atque infinitos thesauros rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam visibilium & mutabilium, quæ per istam facta sunt*. II. particulariter de rebus futuris dicit Augustinus: (m) *Confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est*. Ergo &c.

Prob. ratione supra attacta. Nam intellectus perfectissimus, ut est divinus, debet omnia cognoscibilia cognoscere, inter quæ sunt omnia in aliqua temporis differentia existentia.

(a) *Eccl.* 23. (b) *Job.* 28. (c) *Heb.* 4.
(d) *Isai.* 48. (e) *Isai.* 41. (f) *Sap.* 8.
(g) *Psalm.* 7. (h) *Psalm.* 43. (i) *Psalm.* 138.
(k) *Lib. 6. Strom.*
(l) *Lib.* 11. *de Civ. Dei cap.* 10.
(m) *Lib.* 5. *de Civ. Dei Cap.* 9.

Obj. ex Scripturis. I. hæ docent Deum non cognoscere internos hominis motus; dixit enim Abrahamo: (a) *Nunc cognovi quod times Deum*. Ergo antecedenter non cognoscebat.

II. Hæ docent Deum non cognoscere peccata; dicit enim ipse de Sodomitis: *Descendam* (b) *& videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam*. Indigebat igitur inquirere peccata. Ergo saltem antea non cognoscebat. Præterea dicitur: (c) *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris*.

III. Hæ docent Deum non cognoscere futura libera; nam inducitur loquens dubitativo modo. Ita (d): *Si forte audiant & convertantur*: rursus: (e) *Si forte vel ipsi audiant, & si forte quiescant*: & alibi: (f) *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis*. Ergo &c.

℟. Ad I. sensum illius *nunc cognovi* vel esse *feci te nosse*, vel *feci, ut cognosceretur ab aliis* (dicitur enim Deus scire quod alteri manifestat, ut dicitur nescire quod alteri non manifestat, juxta quod dixit Christus se ignorare diem Judicii, illum non manifestando), vel *cognovi scientia approbationis*, de qua infra, vel tandem cognovi *scientia experimentali*: quæ omnia stant cum antecedente scientia rigorosa.

Ad II. ℟. hoc dictum esse, vel quia Deus visibili specie per Angelos suos descendit ad videnda peccata Sodomorum. vel etiam ut innuatur Judices, antequam pœnam infligant, debere diligenter crimina & criminum conditiones examinare. Cæterum Deum etiam antecedenter novisse peccata Sodomorum colligitur ex illis: (g) *Clamor Sodomorum & Gomorhæorum multiplicatus est*. Habacuc solum ne-

(a) *Genes.* 32. (b) *Genes.* 18.
(c) *Habac.* 1. (d) *Jerem.* 26.
(e) *Ezech.* 2. (f) *Jo.* 8. (g) *Gen.* 18.

negat mala opera a Deo cognosci scientia approbationis: simplicem enim illorum cognitionem Deo tribuendam probant verba immediate sequentia: *Quare respicis super iniqua agentes, & taces devorante impio justiorem se?*

Ad III. ℟. formulas illas dubitativas ideo tantum adhibitas a Deo, ut exprimeret vel dubium ex parte hominum, vel maximam difficultatem ex parte eorumdem, vel ut denotaret id, de quo agebatur, esse penes hominis liberum arbitrium.

Obj. ex Patribus. Docet S. Hieronymus a Deo non cognosci res parvi momenti; inquit enim: (a) *Absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula quot nascantur culices, quotve moriantur, quæ cimicum & pulicum & muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua notent, & qui de minoribus majorum prædæ cedere debeant*. Ergo &c.

℟, S. Hieronymum loqui de scientia, quæ sit conjuncta cum peculiari providentia, qualem exercet Deus circa homines. Scientiam autem conjunctam cum providentia generali, qua Deus omnia curat, non negat S. Doctor. Patet responsio ex contextu; hæc enim præmiserat: *Sicut in hominibus etiam per singulos Dei currit providentia, sic in cæteris animalibus generalem quidem dispositionem & ordinem cursumque rerum intelligere possumus*. Tum post verba in objectione relata subdit: *Non simus tam fatui adulatores Dei, ut, dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem rationabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicentes*.

Obj. ex ratione. Deus saltem futura libera non cognoscit; nam si cognosceret, hæc non essent libera, non enim possent non evenire, cum divina scientia sit infallibilis. Hoc non Ergo &c.

℟. Præsentiam Dei non officere libertati futurorum; nam licet, supposito quod Deus aliquid

(a) *In cap. 1. Habac.*

sciat, illud necessario sit futurum, hæc tamen necessitas non est antecedens, sed consequens, adeoque non tollens libertatem; necessitas enim *antecedens* est quæ causat actionem, *consequens* quæ solum ab actione causatur. Necessitas E. G., quam habeo sedendi in suppositione quod sedi sim alligatus, est antecedens, quia causat sessionem: necessitas, quam habeo sedendi solum ex suppositione quod sedeam, est consequens, quia præcise a sessione oritur. Patet autem necessitatem, quæ præcise ab actione causatur, illamque consequitur, non tollere libertatem. Talis est necessitas, quam habet res existendi, cum a Deo est prævisa extitura; nam prævisio Dei ipsam actionem supponit; & ab ea tanquam ab objecto oritur, non enim res erit, quia a Deo præscitur, sed ideo præscitur, quia erit: unde sicuti præsentia libera non possunt esse aliter, quam ut a Deo cognoscuntur, quin hæc cognitio illorum lædat libertatem, ita etiam futura. Ergo &c.

Assertio tertia. *Futura libera etiam tantum conditionate extitura a Deo cognoscuntur.*

Prob. ex Scripturis, Interroganti Davidi Deum his verbis: (a) *Si tradent me viri Ceilæ in manu ejus*, idest Saul & *si descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel indica servo tuo:* respondit Deus, *descendet*, *tradent*. Hic agebatur de futuro non absoluto, sed tantum conditionato, quod tamen Deus revelavit, adeoque præscivit. Rursus inquit Christus: (b) *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.* Et hic revelavit Christus, quod futurum fuisset, si in Tyro & Sidone facta fuissent miracula, quæ in Judæa facta sunt, & quæ tamen nunquam in Tyro & Sidone facienda erant. Ergo &c.

Prob. ex Patribus. S. Augustinus inquit; (c) *Nun-*

(a) 1. *Reg. cap.* 23. (b) *Matt.* 11.
(c) *De dono Persev. cap.* 9.

Nunquid possumus dicere etiam Tyrios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent? cum de eis ipse Dominus adtestetur, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum. Et infra (a) docet Deum noluisse, ut miracula patrarentur coram nonnullis, qui, si illa vidissent, prævidebantur credituri; inquit enim: *Hi, quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus non vult subvenire non subvenit, de quibus in sua prædestinatione occulte quidem, sed juste aliud judicavit.* S. Gregorius Magnus docet ideo electos variis modis vexari, quia alioquin prævidentur lapsuri: *Quia*, inquit (b) *mira potentia prævidet, quod, si quieti ac liberi in tranquillitate persisterent, tentationes ferre adversarii non valentes, mentis prostrati vulneribus jacerent.* Ergo &c.

Prob. ratione. Hæc futura sunt cognoscibilia, cum habeant determinatam veritatem. Ergo a Deo cognoscuntur.

Obj. ex Patribus. S. Augustinus explicans illud: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus*, ait: (c) *Hoc dictum est secundum pericula vitæ hujus, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat.* Ergo &c.

℟. S. Augustinum non negare in Deo scientiam conditionatorum, sed improbare præcipue Semipelagianorum abusum de tali scientia. Quoniam autem de hoc abusu infra rediturus est sermo, ideo hic quoad præsens caput ulteriora verba non facio.

CA-

(a) *Cap.* 11. (b) *Lib.* 33. *Moral. cap.* 19.
(c) *De Prædest. Sanct. cap.* 14.

CAPUT SECUNDUM.

Quotuplex ſit Scientia Dei.

AGam hic 1. de illis divinæ ſcientiæ ſpeciebus, quæ ab omnibus admittuntur, 2. de ſcientia media, quæ ab omnibus non admittitur.

ARTICULUS PRIMUS.

Nullam Scientiæ realem multiplicitatem in Deo reperiri certum eſt; ipſe enim unico & ſimpliciſſimo actu res omnes ac omnes rerum modos, affectiones & reſpectus cognoſcit, ſed pro varia objectorum, in quæ tendit, conditione, aut pro vario, quo tendit modo, ratione noſtra multiplex dividitur.

I. Dividitur in *ſpeculativam* & *practicam*. Speculativa ſiſtit in contemplatione objecti, practica dirigitur ad opus.

II. Dividitur in *ſcientiam approbationis & reprobationis*. Per illam videt Deus quæ approbat, per hanc quæ reprobat. Hæc etiam in Scripturis nonnunquam dicitur *neſcientia* juxta illud: (a) *Nunquam novi vos*, & aliud: (b) *Amen dico vobis neſcio vos*.

III. Dividitur in *ſcientiam ſimplicis intelligentiæ* & *ſcientiam viſionis*. Prima eſt, qua Deus cognoſcit objecta præciſe ut poſſibilia, ſecunda qua cognoſcit objecta ſub aliqua temporis differentia actu exiſtentia.

IV. Dividitur in *naturalem* ſive *neceſſariam*, & in *liberam*. Illa eſt quæ verſatur circa objecta neceſſaria tum ex parte Dei (ideſt nullum in Deo præſupponentia decretum liberum, ut talia ſint, qualia repræſentantur), tum ex parte ipſorum

(quæ

(a) *Matt.* 7. (b) *Matt.* 25.

(quæ ſcilicet non ſunt indifferentia ad eſſe & ad non eſſe, ſed ex ſe determinata ſunt ad eſſe), ut eſt exiſtentia Dei: hæc, ideſt libera, eſt quæ verſatur circa objecta contingentia, tum ex parte ipſorum (ſcilicet quæ poſſunt eſſe & etiam non eſſe), tum ex parte Dei (ſcilicet quæ ſupponunt liberum Dei decretum ut ſint, qualia ræpreſentantur), ut eſſent exiſtentiæ creaturarum.

Hic noto non idem eſſe ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & ſcientiam neceſſariam, ſicuti non idem eſt ſcientiam viſionis & ſcientia libera; nam ſcientia, qua Deus cognoſcit ſuam exiſtentiam qua talem, eſt neceſſaria, & tamen non eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ſed viſionis.

ARTICULUS SECUNDUS.

Binas ultimo loco commemoratas diviſiones ſcientiæ Dei plures exiſtimant adæquatas. Et ſane omnia objecta ſcibilia ad aliquam ex adductis ſcientiæ claſſibus poſſunt revocari. At per alios non videntur poſſe ad eaſdem revocari omnes illi reſpectus, ſub quibus poſſunt illa objecta conſiderari. Objecta namque contingentia & libera, conſiderata ut futura (de objectis ponendis a creatura præcipue loquuntur, & de his ſemper in progreſſu erit ſermo) ſolum conditionate, qua talia non videntur poſſe revocari ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quia hæc ſolum conſiderat in objecto poſſibilitatem, futuritio autem conditionata eſt aliquid amplius, quam mera poſſibilitas: non ad ſcientiam viſionis; nam hæc conſiderat in objecto abſolutam exiſtentiam: rurſus non videntur poſſe revocari ad ſcientiam neceſſariam, quia hæc verſatur circa objecta neceſſaria, cum tamen futura hæc conditionata, ut ſupponimus, ſint contingentia: neque poſſunt revocari ad ſcientiam liberam, quia hæc in Deo ſupponit liberum decretum actuale, quod reſpectu talium futurorum per eoſdem non datur.

Ideo his Auctoribus aliam placet pro his futuris admittere ſcientiam, quam *mediam* vocant,

quia scilicet inter adductas scientiæ classes media est; nulla enim ex illis, ut vidimus perfecta est, participat tamen aliquid de omnibus: de scientia quidem simplicis intelligentiæ, quia non considerat actualem rerum existentiam: de scientia vero visionis, quatenus non considerat meram rerum possibilitatem: de scientia autem libera, quia versatur circa objectum contingens: de scientia porro necessaria, quatenus nullum præsupponit actuale decretum Dei.

His visis circa divisiones divinæ scientiæ superest, ut quod utilius est circa singulas illius species tradatur. Ac primo quidem postularet materiæ ordo, ut de scientia simplicis intelligentiæ dissererem; sed quoniam multa supersunt dicenda, & quidem magis necessaria circa scientiam mediam & scientiam visionis, proinde tractationem de scientia simplicis intelligentiæ omitto, ut etiam de sciensia necessaria, ad alias duas commemoratas scientiæ divinæ species sermonem convertens, qua occasione multa etiam dicentur de scientia libera.

CAPUT TERTIUM.

Exponitur status, origo, & progressus celebris controversiæ de Scientia futurorum liberorum conditionatorum.

EXponam 1. statum quæstionis: 2. historice referam originem & progressum ejusdem.

ARTICULUS PRIMUS.

Si tota de his futuris quæstio huc reduceretur, utrum scientia, quam de illis habet Deus, sit appellanda media an vero simplicis intelligentiæ, an aliter, parvi profecto momenti esset, nec satis Theologo digna. Sed quoniam ex systemate scientiæ divinæ circa hæc futura dependent gratiæ efficacis systema, modus conciliandi cum humana libertate decreta Dei, & alia hujusmodi, propterea

ea quid de ipsa probabilius sentiendum sit, diligenter est quærendum.

Illud itaque dicitur *futurum liberum conditionatum*, quod ex se indifferens est ad esse & ad non esse, sed tamen esset supposita aliqua conditione, ut conversio Tyriorum supposita prædicatione Christi juxta dicta superius.

Conditiones, quarum positionem sequitur effectus, triplicis sunt speciei. Aliæ sunt *disparatæ*, scilicet ex se neque conducentes ad effectum, neque illum impedientes. Narratur E. G. (a) Elisæum præcepisse Regi Joas, ut percuteret terram, quam cum ille ter percussisset, & postea stetisset, iratus Elisæus ait: *Si percussisses quinquies aut sexies sive septies percussisses Syriam usque ad consumptionem:* patet hic victoriam Joas completam de Syria dependisse tanquam a conditione a toties illa repetita percussione, quæ tamen conditio ex se erat omnino disparata ab eadem victoria. Aliæ sunt *necessario connexæ cum effectu*, ut esset approximatio stupæ ad ignem respectu combustionis. Aliæ tandem nec sunt disparatæ, nec necessario cum effectu connexæ, sed solum *ad illum conducentes*, ut est prædicatio respectu conversionis peccatoris. De his postremis conditionibus in præsenti est sermo.

Rursus futura libera conditionata alia sunt in ordine præcise naturali, alia in supernaturali. Priora alia sunt moraliter mala, alia bona, alia indifferentia. De omnibus his futurorum speciebus quæritur quomodo a Deo cognoscantur.

Thomistæ putant ea a Deo cognosci in decreto suo prædeterminativo absoluto & efficaci; nam, inquiunt, etiam supposita in casu conditione ad effectum conducente, ut effectus habeatur, necessarium est decretum Dei, quo ipse efficaciter statuat conjungere conditionatum cum conditione,

C 6 seu

(a) *Lib.* 4. *Reg. cap.* 13.

seu efficere, ut posita conditione sequatur conditionatum: & quidem decretum non *quod esset*, sed *quod sit*. Hoc proinde decretum vocant *absolutum ex parte actus* sive *subjecti*. Sed cum idem decretum versetur circa rem ut exrituram solum conditionate, ideo illud appellant *conditionatum ex parte objecti*. Hoc autem decretum ideo per ipsos est infallibiliter connexum cum effectu, quia per illud decernit Deus immittere voluntati creatæ intrinsecam qualitatem, quam vocant *præmotionem*, seu *prædeterminationem physicam* essentialiter connexam cum actu creaturæ, atque ab ipsa creatura inimpedibilem. In hoc porro decreto volunt ipsi Deum cognoscere futura jam dicta, adeoque per scientíam liberam.

Jesuitæ è contra defendunt posita conditione, absque ullo decreto Dei absoluto & efficaci creaturam liberam se determinaturam ad ponendum vel non ponendum conditionatum, adeoque Deum visurum actum creaturæ in se ipso & independenter a decreto supradicto, consequenter per scientiam mediam.

Inter has duas ex diametro inter se oppositas sunt aliæ sententiæ, & ipsæ satis celebres. Scotistæ communius docent a Deo futura hæc prævideri in decreto quodam *concomitante*, idest quod nec præcedat, nec sequatur determinationem creaturæ, sed illam comitetur. Hoc autem decretum ita exponunt. Deus in voluntate sua eminenter continet voluntates omnium creaturarum, illarum virtutem, vim modumque agendi liberum. Ex hac præcontinentia oritur quædam, ut sic dicam, sympatia voluntatum divinæ & humanæ, qua fit, ut nihil possit decernere creatura, quin simul idem decernat Deus. Hæc ergo sententia differt a sententia Thomistarum, quod ponat decretum Dei, in quo videt futura libera conditionata non *prædeterminativum*, sed *condeterminativum*, & quidem ita ut non immittat voluntati creatæ aliquid intrinsecum.

Augustinenses tandem præsertim recentiores scientiam mediam utcumque admittunt pro omni-

bus

bus futuris status innocentiæ, pro futuris naturalibus, & peccatis status naturæ lapsæ; sed respuunt pro futuris supernaturalibus ejusdem status naturæ lapsæ; pro his enim, stante infirmitate humanæ voluntatis contracta ex peccato, putant necessarium decretum Dei prædeterminativum connectens conditionatum cum conditione, quamvis efficaciam hujus decreti non explicent per præmotionem physicam, sed tantum per moralem, ut latius in Tractatu de Gratia.

Ex his patet totam quæstionem præsentem reduci ad hoc, utrum Deus videat futura libera conditionata a creaturis ponenda dependenter, an independenter ab aliquo suo decreto absoluto & efficaci connectente conditionatum cum conditione, adeoque an ea videat per scientiam liberam, an per mediam. Dixi *a creaturis ponenda*; quæ enim a Deo immediate ponenda sunt, certum est apud omnes ab ipso videri in suis decretis: nec aliter sentire possunt etiam qui contendunt, futura hæc a creaturis ponenda videri in se ipsis, & in determinatione voluntatis creatæ; nam quod est determinatio voluntatis creatæ respectu creaturæ, est decretum Dei respectu Dei. Hoc autem decretum aliqui Medistæ concedunt esse absolutum ex parte actus, conditionatum ex parte objecti, alii dicunt esse penitus conditionatum. Et isti scientiam, quam Deus habet de futuris liberis conditionatis a se ponendis (ut distinguant a scientia, quam habet circa futura ponenda a creaturis, quam dicunt *directam*) appellant *scientiam mediam reflexam.* Sed hanc controversiam, imo & scientiam, quam Deus habet de his futuris a se ponendis, indicare sufficiat. De scientia futurorum liberorum conditionatorum a creaturis ponendorum unice in progressu erit sermo.

ARTICULUS SECUNDUS.

Controversia circa scientiam horum futurorum cœpit agitari versus annum 1589., quando prodiit liber Ludovici Molinæ Societatis Jesu *de Concordia*

gra-

gratia cum libero arbitrio, quo libro scientia media ut aptiſſimus modus utrumque ſimul conciliandi adſtruebatur. Statim ac prodit opus Molinæ, fuit a Dominicanis delatum ad Tribunal Inquiſitionis tum in Luſitania, tum in Hiſpaniis, a quo doctrina Molinæ declarata fuit ab omni errore immunis. Ad Tribunal poſtea Inquiſitionis Romanæ cauſa tranſlata eſt, atque a Clemente VIII. decem Theologis commiſſa, qui cum ancipites hærerent, Molinæque doctrinam modo abſolverent, modo condemnarent, placuit tandem ipſi Clementi cenſuras hactenus latas ſuſpendere, & cauſam ad ſe avocare ſtatuendo, ut coram ſe ipſo ac Cardinalibus, & Judicibus deputatis ſolemnes haberentur diſputationes de vigente controverſia a ſelectis Theologis tam ex Dominicanis, quam ex Jeſuitis.

Cœptæ ſunt hæ diſputationes anno 1602. & protractæ uſque ad annum 1606,, quo tempore 47. habitæ ſunt, nimirum 37. coram Clemente VIII. & 10. coram Paulo V. ejus ſucceſſore, a quo auditis tandem Judicum ſententiis eodem anno 1606. ſtatutum eſt, ut liceret utrique Scholæ propriam ſententiam docere, donec aliter a S. Sede decerneretur, ea tamen lege, ut neutra pars alteram cenſuris aut conviciis percelleret.

CAPUT QUARTUM.

De medio, in quo videt Deus futura libera conditionata a creaturis ponenda.

MAxima, quæ inter hæc & materiam de gratia habetur connexio, efficit ut quandoque neceſſarium ſit futurum aliqua hic attingere ſpectantia ad Tractatum de ipſa gratia. Id cum fiet, obiter tantum fiet & reſervato uberiore illorum examine ad eundem Tractatum.

Examinaturus ergo in quo medio videat Deus ſupradicta futura, prænoto me brevitatis ſtudio ex profeſſo locuturum tantum de decretis prædeterminativis, ac de ſcientia media; decreta enim con-

de-

determinativa vix ab aliquo extra Scholam Scotisticam defenduntur, & ab aliquibus etiam Scotistis rejiciuntur. Et sane I. iis decretis admissis debet quoque admitti hoc inconveniens, quod voluntas divina & humana casu & fortuito in eundem effectum conveniant; nam si hæ duæ voluntates casu & fortuito ita non convenirent, hoc esset vel quia determinatio unius esset causa determinationis alterius illam necessario trahens, vel quia una in effectum concurreret ex præscientia concursus alterius in eundem effectum: alio sane modo hic concursus intelligi nequit. Atqui istarum duarum voluntatum una non potest esse causa determinationis alterius, quia hæc causa non posset esse nisi divina, quo casu decretum non esset amplius concomitans, sed antecedens, adeoque prædeterminativum: nec divina potest concurrere ex præscientia determinationis alterius; sic enim decretum Dei non esset concomitans, sed subsequens determinationem creaturæ, illamque supponens. Ergo restat ut casu & fortuito illæ determinationes simul concurrant. II. per Scotistas decretum illud est efficax, illo scilicet vult Deus efficaciter operationem creaturæ. Repugnat autem, ut Deus decreto suo velit effectum aliquem, & non sit prius hoc decretum saltem prioritate naturæ ipso effectu, quo posito est prædeterminativum, non condeterminativum sive concomitans. Ergo &c.

Decretis ergo condeterminativis dimissis examinabo 1. quomodo cognoscat Deus futura conditionata libera naturaliter tantum bona, 2. quomodo videat moraliter mala, 3. quomodo videat supernaturalia. Quid vero sentiendum sit circa indifferentia (si dantur) poterit colligi ex dicendis.

ARTICULUS PRIMUS.

Assertio. *Futura libera naturalis tantum ordinis, sive sint bona sive indifferentia, conditionate a creaturis ponenda non vidit Deus in decretis suis prædeterminativis.*

Prob.

Prob. ex D. Thoma, qui docet creaturam liberam in actionibus suis non determinari nisi ex se ipsa, quod sane ad minimum debet intelligi de actionibus naturalibus: consequenter circa has excludit decreta Dei prædeterminativa, quæ efficerent, ut creatura non a se ipsa determinaretur. Mens S. Thomæ patet ex his (a): *Ipsa potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura, sed quod determinate exeat in hunc actum vel in illum, non est ab alio determinate, sed ab ipsa voluntate*: & infra (b): *Dominium est in homine secundum illam potentiam, quæ ad plura se habet, nec ad aliquod eorum determinatur, nisi ex se ipsa*: rursus (c): *In solis intellectum habentibus liberum arbitrium invenitur, non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed a quibusdam aliis causis prioribus*: tandem: *In rebus* (d) *naturalibus operatur* (Deus) *sicut . . . determinans naturam ad talem actionem: in libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat, sed tamen determinatio actionis & finis in potestate liberi arbitrii constituitur, unde remanet sibi dominium sui actus.* Si ergo ex D. Thoma non dantur decreta prædeterminativa circa actiones jam dictas, in his non poterit Deus tales actiones cognoscere.

Prob. ratione. Hoc decretum prædeterminativum in casu videtur superfluum; statim enim ac Deus condidit creaturam liberam, illi dedit indifferentiam non solum passivam, consistentem in hoc, quod posset extrinsecus vel ad hoc, vel ad illud determinari, sed etiam activam consistentem in hoc, quod ipsa posset determinare se: aliunde autem nulla apparet specialis ratio, ob quam debeat in actionibus supradictis determinari a Deo. Ergo &c.

So-

(a) *In* 2. *Dis.* 39. *quæst.* 1. *art.* 1.
(b) *Art.* 2. (c) *Dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 1.
(d) *Art.* 3.

Solent etiam communius Mediistæ aliam adducere probationem ex difficultate conciliandi libertatem creaturarum cum decretis prædeterminativis, quam & ipse adducam cum responsionibus adversariorum, relinquens judicio sapientiorum definire quinam rectius procedant.

Dicunt ergo Mediistæ. Admissis decretis prædeterminativis non salvatur creaturæ libertas; nam I. S. Anselmus docet (a) cum libertate solam cohærere necessitatem consequentem, non vero antecedentem. Cum ergo necessitas, quæ oritur a decretis prædeterminativis, sit antecedens utpote causans actionem, tollet libertatem. II. ut salvetur libertas, debet salvari, quod voluntas positis omnibus requisitis ad agendum possit agere, & etiam non agere, quod positis supradictis decretis non salvatur. Enimvero repugnat, ut habeatur potentia non agendi, quando essentialiter ex causa antecedente debet haberi actus. Sed positis decretis prædeterminativis essentialiter ex causa antecedente debet haberi actus, cum hæc decreta adstruantur ut essentialiter & tanquam causæ antecedentes connexa cum effectu. Ergo &c. Rursus ut haberetur libertas in hypothesi decreti prædeterminativi E. G. ad assensum, oporteret, ut haberetur potentia proxime expedita etiam ad dissensum. Hoc autem in systemate admittentium decreta prædeterminativa non verificatur; nam ut habeatur expedita potentia ad aliquid, oportet ut habeatur decretum prædeterminativum ad illud, cum hoc sit prærequisitum ad operationem. Ut igitur habeatur in casu expedita potentia ad dissensum, oportet ut habeatur decretum prædeterminativum ad illum. Sed implicat, ut prædeterminatus ad assensum, simul prædeterminetur ad dissensum, cum tunc Deus ad aliquid impossibile prædeterminaret. Ergo &c.

Huic

(*a*) *De concord. lib. arbit. & prædestin.*

Huic tamen argumento multipliciter occurrunt decretorum defensores. I. dicunt voluntatem creatam posito decreto prædeterminativo ad actum retinere potentiam ad non actum, quamvis actum sit infallibiliter positura, quomodo in suppositione quod cognoscatur a Deo futurus actus liber creaturæ, adhuc libere fiet, quamvis infallibiliter futurus sit.

II. dicunt voluntatem, etiam posito decreto prædeterminativo ad actum, retinere potentiam ad non actum saltem *in sensu diviso a decreto*, quamvis *in sensu composito ipsius decreti* non possit non poni actus.

III. dicunt etiam posita prædeterminatione E. G. ad amorem, remanere libertatem, quia adhuc judicium creaturæ remanet circa amorem indifferens.

IV. dicunt salvari libertatem, quia prædeterminatio Dei non se tenet penes actum primum, sed secundum, idest non complet potentiam, quæ ex se antecedenter ad prædeterminationem est proxime expedita, sed tantum applicat ad actum. Hoc autem posito stare libertatem probant exemplo gratiæ adjuvantis & concursus simultanei, quæ licet necessaria ad operationem, non tamen lædunt ipsius libertatem.

V. dicunt salvari libertatem, quia necessitas orta ex prædeterminatione est necessitas æquivalenter consequens ipsam libertatem. Sicut enim, inquit Gonet, odium non tollit libertatem ad amorem, quia odium est ipsa determinatio libertatis, ita nec tollit libertatem prædeterminatio orta a Deo, qui juxta Augustinum (a) *magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas*.

VI. dicunt quod si tollerent libertatem decreta prædeterminativa, tollerent etiam decreta præ-

(a) *Lib. de correp. & grat. cap.* 14.

prædefinitiva a Mediiſtis admiſſa (decreta autem prædefinitiva in hoc conſiſtunt, quod Deus dicat: *Volo ut creatura hoc vel illud faciat*, ſtatuendo ad hoc obtinendum a creatura illud medium, quod vidit per ſcientiam mediam effectum habiturum). Æqualem porro eſſe harum prædefinitionum & decretorum prædeterminativorum conditionem in ordine ad libertatem probant; nam etiam hæ prædefinitiones antecedunt determinationem creaturæ: etiam iis poſitis non poteſt creatura non ponere effectum. Ergo &c.

Sed his non acquieſcentes Mediiſtæ.

Contra I. ita urgent. Quamvis doceant decretorum aſſertores voluntatem prædeterminatam ad unum actum retinere potentiam ad oppoſitum, adhuc tamen hanc potentiam ægre ſalvare videntur; decretum enim prædeterminativum per ipſos eſt infallibiliter & eſſentialiter connexum cum effectu. Unde autem hæc infallibilis connexio, niſi vel ex ſuppoſitione ipſius effecti præcogniti, quod ipſi nolunt, vel ex quo prædeterminatio potentiam tollat ad oppoſitum? Sane ſi neutrum ſit, quantuncumque conducens ad effectum ſupponatur decretum, moraliter impoſſibile eſt, ut voluntas creata ſummopere mutabilis aliquando non diſſentiat. At ſuppoſita præſcientia actus futuri liberi hic libere fiet, quamvis neceſſario fiat, quia neceſſitas, quæ tunc habetur, eſt ſolum conſequens, quæ ſcilicet tandem oritur ex ſuppoſitione ipſius futuritionis, cum ideo actus a Deo præcognoſcatur futurus, quia de facto futurus eſt. Ergo &c.

Contra II. ita. Ad ſalvandam libertatem non ſufficit, quod voluntas retineat potentiam ad oppoſitum in ſenſu diviſo a decreto, ſi non ſit in ſua poteſtate a ſe amovere ſenſum compoſitum ſcilicet decretum. Etiam qui ſedi eſt alligatus retinet potentiam ad ambulandum in ſenſu diviſo a vinculis, nullus tamen dicet taliter ſedentem libere ſedere, quamdiu a vinculis non poteſt ſe expedire. Qui è contrario ſedi non eſt alligatus, libere ſedet, quia, licet in ſenſu compoſito, ſive

in suppositione quod sedeat non possit non sedere, potest tamen a se sensum compositum amovere. At qui est prædeterminatus non potest a se prædeterminationem amovere. Ergo &c.

Contra III. ita. Non apparet quid influat in libertatem judicium indifferens circa objectum, quando aliunde agens est ad illud determinatum. Licet enim ad constituendam potentiam liberam circa objectum requiratur judicium circa illud indifferens, scilicet ut repræsentetur sub ratione mixta boni & mali (si enim repræsentaretur solum ut bonum, necessario ad illud potentia tenderet, si solum ut malum, necessario ab illo refugeret), per hanc tamen judicii indifferentiam potentia non evadit libera, si aliunde ineluctabiliter impellatur potius ad prosecutionem, quam ad fugam illius, vel viceversa. Ita E. G. etsi quis habeat judicium indifferens circa jejunium, ita ut ipsi appareat habere rationem mixtam mali & boni, quando illi negaret Deus concursum ad actum odii in ipsum jejunium, non posset illud odisse. Idem proportionaliter in casu. Ergo &c.

Contra IV. ita. Falsum est prædeterminationem se tenere tantum ex parte actus secundi; nonne enim per adversarios prædeterminatio est necessaria, ut creatura operetur? Est igitur requisitum ad operandum. Atqui requisita se tenent ex parte actus primi. Ergo &c. Et sane prædeterminatione non supponi potentiam completam, sed compleri manifestum est, inquiunt Mediistæ, si consideretur quid veniat nomine *potentiæ completæ*: venit scilicet potentia, cui nihil deest ad actum, nisi actus ipse (si enim aliquid illi ad actum deesset præter actum, non diceretur completa, sed potius complenda per positionem ejus, quod deest). Si autem prædeterminatio juxta adversarios est necessaria ad actum, jam potentiæ sine illa aliquid deest, ut ad actum deveniat. Igitur sine illa potentia non est completa, & consequenter ab illa completur. Cum autem ita compleatur, ut prædeterminatio sit respectu illius antecedens trahens actum necessario juxta superius di-

dicta, tollit libertatem. Id porro non verificatur de concursu simultaneo, & de gratia adjuvante; si enim hæc considerentur in actu primo, solum important, quod Deus illa offerat creaturæ, ut se paratum exhibeat ad concurrendum cum eadem, eandemque adjuvandam. At quamvis repugnet creaturam sine illis operari, non tamen repugnat cum illis ita inspectis non operari, non enim repugnat quod Deus offerat creaturæ requisita ad operandum si velit, & ipsa nolit operari. Si autem considerentur in actu secundo, sunt creaturæ determinatione posteriora, quatenus non ideo creatura hoc potius eligit quam aliud, quia Deus cum illa concurrit, illamque adjuvat, sed ideo Deus ad hoc potius concurrit, quam ad illud, & ad hoc potius, quam ad illud adjuvat creaturam, quia ad hoc potius, quam ad illud se libere creatura determinavit. Igitur hæc non possunt ipsius libertatem neque hoc modo inspectam infirmare. Ergo &c

Contra V. ita. Ideo odium non tollit libertatem ad amorem, quia libere a voluntate proficiscitur, quæ potest pro libito ab odio cessare & ad amorem converti. At prædeterminatus non potest ex probatis non ponere effectum, ad quem prædeterminatur. Ergo &c. Deus autem *magis certe habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas*, sed hoc in eo consistit, quod quidquid vult Deus a creatura, possit obtinere (quod etiam in propria sententia verificari contendunt Mediistæ), non in eo, quod determinationes Dei ita sint etiam determinationes creaturæ, ut moraliter ipsi creaturæ sint liberæ; alias non esset, cur non posset dici etiam liber amor Beatorum in patria, cum Deus velit, ut Beati ipsum diligant.

Contra VI. ita. Diversa est conditio decreti prædeterminativi, & prædefinitionum Mediistarum; nam auxilium, quod per Mediistas Deus decernit concedere ad obtinendum effectum a creatura, intrinsece & ex parte sui non habet essentialem connexionem cum effectu, sed quamvis ad illum conducens, tamen ex se potest vel stare cum effectu, vel non stare. Quamvis autem habeat cone-

nexionem necessariam extrinsecam ex eo ortam, quod prævisum sit conjungendum cum effectu, hæc tamen connexio non tollit a creatura libertatem, cum sit consequens liberam electionem ipsius; non enim ideo creatura ponet effectum, quia a Deo prævidetur posítura, sed ideo prævidetur, quia ponet: unde non magis necessario creatura ponet effectum a Deo prævisum, quam aliquis sit necessario, qualis repræsentatur in speculo. E contra decreta prædeterminativa antecedenter ad quamcumque prævisionem effectus creaturæ illum ex se trahunt, unde necessitas, quam inferunt, est antecedens, adeoque lædens libertatem. Ergo &c.

Sed jam satis de probatione deducta ex difficultate salvandi creaturarum libertatem positis decretis prædeterminativis. Rationes nunc admittentium talia decreta etiam pro actionibus naturalibus afferendæ sunt & solvendæ.

Obj. igitur ex definitionibus Ecclesiæ. Damnatæ sunt ab Innocentio XI. hæ duæ propositiones: prima: *Deus nobis donat omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicuti aliquis donat alteri villam aut librum:* secunda: *Deus subjicit nobis suam omnipotentiam*: quæ essent veræ, nisi darentur decreta prædeterminativa; nam tunc non Deus creaturam, sed creatura Deum determinaret ad operationem. Deus igitur nobis donaret & subjiceret omnipotentiam suam, ut ea uteremur pro libito nostro. Quod cum sit absurdum, debent ergo admitti decreta prædeterminativa, quibus admissis, in istis videbit Deus futura.

℟. Propositiones esse falsas etiam non admissis his decretis; nam etiam iis non admissis Deus sinens creaturam uti concursu suo non donat illi omnipotentiam, ut donat quis alteri villam aut librum, idest spoliando se dominio super eandem omnipotentiam, nec ipsam subjicit creaturæ; nam licet illi eandem offerat paratus concurrere ad quod ipsa creatura se determinabit, offert tamen non ex subjectione, sed ex dignatione, & in ipsa oblatione dominium suum ostendit, prohibens sub interminatione gravissimarum pœnarum, ne creatura ipsa abutatur. Ergo &c.

Obj. ex ratione I. Non admissis decretis prædeterminativis circa omnes actiones creaturarum non salvatur quidquid circa Deum salvandum est, nam non salvatur, quod omnis actus creaturæ existat dependenter a Deo, cum tunc non Deus determinet creaturam, sed ipsa se determinet: rursus non salvatur Deum esse primum liberum, cum detur exercitium aliquod libertatis ab ipso non dependens. Ergo &c.

II. Non admissis his decretis Deus cognovisset futura libera conditionata in se ipsis, adeoque per scientiam mediam. Hoc non. Ergo &c. Prob. minor: nam vel concursus Dei supponitur ex parte conditionis, ita ut inter cætera, quæ circumstantias ingrediuntur, in quibus supponitur ponenda creatura, sit etiam quod Deus cum illa concurrat ad operandum, vel non. Si primum futurum non est amplius liberum, sed necessarium; quando enim supponitur concursus Dei, est necessarium quod creatura operetur. Si secundum, futurum est impossibile, cum sine concursu Dei creatura nequeat operari. Ergo &c. Rursus scientia media supponit ab æterno exsitisse independenter a decreto Dei absoluto determinatam veritatem propositionum de futuro libero conditionato, circa quod versantur. Hæc autem veritas non extitit: nam non extitit ab æterno illarum determinativum, quod juxta Mediistas est sola existentia futura objecti. Præterea si extitisset hæc determinata veritas, fuisset respectu Dei casualis: casu enim accidisset respectu illius, quod potius existeret veritas, quam falsitas. Tandem si hæc veritas extitisset, fuisset independens a Deo. Non ergo potuisset, aut posset Deus impedire futuritionem illius eventus, quam tamen possit impedire creatura. Adde quod scientia media est novum inventum, cum primus, qui illam in Scholas invexit, fuerit, ut dictum est, P. Molina; etenim ante illum nomen scientiæ mediæ ignotum erat, & omnes antiqui Scholastici post Magistrum & S. Thomam diviserunt divinam scien-

tiam

tiam in scientiam simplicis intelligentiæ, & in scientiam visionis, quam divisionem ut adæquatam tradiderunt. Ergo &c.

Ad I. ℟. nullum etiam exclusis decretis prædeterminativis existere actum creaturæ independenter a decreto Dei. Nonne etiam per nos requiritur decretum conditionatum de ponenda conditione? Licet ergo non requiratur decretum de conjungendo cum conditione conditionato, aliquod aliud tamen requiritur decretum, quod sufficit, ut actio creaturæ fiat dependenter a Deo. Ex hoc etiam patet responsio ad id, quod subditur. Ubi etiam addo ad rationem primi liberi non requiri, ut Deus determinet operationes liberas creaturarum, sed sufficere, ut his dederit esse, & virtutem operandi & determinandi se ad operationem, offerendo iis concursum suum simultaneum. Sane si consideretur actus primus proximus creaturæ liberæ; potentia scilicet expedita ad operandum, hanc omnino ipsa habet a Deo; si actus secundus, in hoc partem certe aliquam habet creatura, quæ simul cum Deo, & quidem determinans illius concursum, actum producit. At hæc vis se determinandi, adeoque exercitium suæ libertatis ab ipso Deo habet, qui & dedit ab initio, & conservat, & illam concursu suo adjuvat & fovet, quæ omnia talem dependentiam libertatis creatæ a Deo important, ut ipse primum liberum merito dici possit.

Ad II. ℟. Deum utique in se ipsis cognovisse futura libera conditionata; hæc enim sunt in se ipsis cognoscibilia. Deus ergo, qui necessario omnia cognoscit & omni modo, quo sunt cognoscibilia, debet illa in se ipsis cognoscere. Quod autem hæc futura sint in se ipsis cognoscibilia prob.; nam hæc habent in se ipsis determinatam veritatem. Ergo in se ipsis sunt cognoscibilia. Prob. antecedens. Hæc objecta posita conditione aut essent, aut non essent. Ergo &c. Prob. consequentia; nam si essent aut non essent, proculdubio aut determinate essent, aut determinate non essent, non enim possunt habere existen-

tiam,

tiam, aut non exiſtentiam indeterminate. Sed si eſſent aut non eſſent determinate, in se ipſis habent determinatam veritatem. Ergo &c. Prob. minor. Sicuti veritas horum futurorum conſiſtit in illo eſſe, quod futura haberent poſita conditione, ita determinata veritas conſiſtit in hoc, quod potius eſſent habitura eſſe quam non eſſe, aut è contra. Sed si futura eſſent aut non eſſent determinate, potius haberent eſſe quam non eſſe, aut è contra. Ergo si &c.

Favet huic doctrinæ S. Thomas inquiens: (a) *Quicumque cognoſcit effectum contingentem in cauſa ſua tantum, non habet de eo niſi conjecturalem cognitionem. Deus autem cognoſcit omnia contingentia, non ſolum prout ſunt in ſuis cauſis, ſed etiam prout unumquodque eorum eſt actu in ſe ipſo:* & infra: *Manifeſtum eſt, quod contingentia & infallibiliter a Deo cognoſcuntur in quantum ſubduntur divino conſpectui ſecundum ſuam præſentialitatem, & tamen ſunt futura contingentia ſuis cauſis comparata.*

Ad objecta vero directe ℟. concurſum Dei, ut etiam ſupra innui, poſſe conſiderari vel in actu primo vel in actu ſecundo. Primo modo importat, quod Deus voluntati offerat auxilium, quo operetur ſi velit: ſecundo modo importat actualem operationem Dei cum creatura operante. Licet autem concurſus hoc poſteriori modo ſpectatus ſit neceſſario connexus cum operatione creaturæ (repugnat enim, ut Deus operetur cum creatura operante, & ipſa non operetur), ſpectatus tamen in actu primo eſt indifferens, eo ſcilicet poteſt pro libito uti vel non uti creatura. His poſitis dico concurſum Dei utique ſupponi ex parte conditionis, ſed concurſum in actu primo, ex quo non ſequitur creaturam libere non operari; non enim tollitur

(a) 1. *Par. quæſt.* 14. *art.* 13.

illius libertas per hoc, quod Deus se paratum exhibeat ad operandum cum illa, si ipsa velit. Concursus autem in actu secundo non se tenet penes conditionem, sed penes conditionatum, scilicet penes ipsum eventum futurum, qui est semper conjunctus cum concursu divino: sed neque ex hoc tollitur libertas ipsius eventus, qui non determinatur a concursu, sed potius determinat ipsum concursum.

Ut autem extiterit ab æterno determinata veritas propositionum de futuro libero conditionato, necesse non fuit, ut ab æterno existeret illarum determinativum. Cum enim propositiones essent de futuro & quidem conditionato, sufficiebat si illarum determinativum esset futurum dependenter a conditione. Ut enim ad verificandam propositionem solum requiritur existentia objecti pro tempore a propositione denotato, ita ad determinandam illius veritatem non requiritur determinativum nisi pro tempore a propositione denotato. Cum itaque hoc in casu sit futurum, ad determinate verificandam propositionem solum requirebatur determinata existentia futura objecti: ad quod illustrandum & probandum hæc duo sint exempla. Ad determinatam veritatem propositionum de præterito sufficit, si determinativum extiterit tempore præterito, quia illud est tempus a propositione denotatum. Ergo a pari &c. Rursus ad determinatam veritatem propositionum indicantium locum, ut esset hæc: *Papa existit Romæ*, sufficit, si determinativum existat loco a propositione denotato. Ergo idem proportionaliter dicendum circa tempus. Hoc porro determinativum extiturum pro tempore futuro sufficiebat, ut Deus ab æterno determinatam veritatem propositionum cognosceret, cum cognitio Dei respiceret objectum ut futurum: quomodo determinativum, quod jam extitit tempore præterito, sufficit, ut Deus modo cognoscat determinatam veritatem propositionis de præterito, quia hæc cognitio circa objectum versatur ut præteritum.

De-

Determinata porro veritas propoſitionum, de quibus modo, caſualis dici non poteſt reſpectu Dei, quatenus inopinato, fortuito, &, ut ita dicam, præter ipſius expectationem hæc illi repræſentetur. Cum enim Deus voluerit condere creaturam liberam, vidit ſane in hac hypotheſi ipſam creaturam modo ſe determinaturam ad unum, modo ad aliud, ſicque non eſt inopinatum reſpectu Dei aut fortuitum, quod creatura potius ad unum, quam ad aliud ſe determinet. Neque hæc veritas caſualis reſpectu Dei dici poteſt, quatenus in ſuppoſitione ejuſdem veritatis caſu accidat, ut Deus illam cognoſcat; ipſe enim ex ſe eſt eſſentialiter determinatiſſimus ad cognoſcendam omnem veritatem. Si autem dicatur caſualis, quatenus nihil ſit ex parte Dei neceſſario trahens potius veritatem, quam falſitatem, vel e contra, non video cur negetur.

Nec tandem per hoc, quod extiterit ab æterno determinata veritas propoſitionum de futuro libero conditionato independenter ab abſoluto Dei decreto, infertur quod hæc veritas ſit independens a Deo; dependet enim a decreto conditionali. Et ſane ſi ſupponamus eſſe determinate veram hanc propoſitionem: *ſi Petrus conſtitueretur in talibus, vel talibus circumſtantiis, loqueretur*, quis dicat illam eſſe determinatam independenter a Deo per hoc, quod ſit determinata independenter ab illius decreto abſoluto? Nonne etiam per Mediiſtas ut Petrus prævideatur in hypotheſi locuturus, requiritur decretum Dei conditionatum de creando Petro, de illo conſtituendo libero, de illo conſervando, de illo ponendo in dictis circumſtantiis? Quare autem hæc non ſufficiant, ut hæc determinata veritas dicatur a Deo dependere? Ex his patet, quo ſenſu poſſit Deus impedire futuritionem, quo ſenſu non poſſit. Poteſt utique impedire futuritionem abſolutam, cum poſſit non ponere abſolute conditiones, a quibus dependet talis futuritio. Futuritionem vero conditionatam, integris remanentibus omnibus ad conditionem ſpectantibus & præſertim libertate creaturæ, non po-

 teſt

test utique impedire, sed ideo non potest, quia non vult, scilicet ideo non potest, quia voluit creaturam proprio arbitrio relinquere. Hæc autem impotentia consequens liberam Dei voluntatem ipsum non dedecet.

Tandem vel agitur de nomine scientiæ mediæ, vel de re. Si de nomine, fateor esse novam. Sed eodem quoque modo sunt nova decreta absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte objecti, & ipsa physica prædeterminatio, cum istius primo mentionem fecerit P. Bannez, illorum vero P. Alvarez ambo Dominicani Molinæ fere coævi. Si vero de re agitur, nego scientiam mediam esse novum inventum; illam enim fuisse admissam a Patribus ex eo patet, quod ipsi scientiam conditionatorum admiserunt in Deo, & cum hanc (saltem relate ad futura naturalia) non admiserint dependenter a decreto absoluto & efficaci, cujus relate ad hæc, nulla apud ipsos mentio occurrit, restat ut admiserint eorum scientiam in se ipsis, sicque ut admiserint scientiam mediam.

Antiqui equidem Scholastici scientiæ mediæ expresse non meminerunt, sed illam sub generali nomine scientiæ simplicis intelligentiæ comprehenderunt. Cum enim in duplici classe res constituerint, & in una quidem posuerint res absolute existentes, in altera res possibiles, cumque res conditionate solum existentes ad classem possibilium pertineant, idcirco per illam divisionem omnia a Deo scibilia revera comprehenderunt. Posteriores autem Theologi considerantes, quod res possibiles, ut præscindunt ab existentia absoluta, dupliciter possunt spectari, primo ut præscindunt quidem ab existentia absoluta, sed non conditionata, secundo ut præscindunt tum ab existentia absoluta tum a conditionata; relicto nomine scientiæ simplicis intelligentiæ cognitioni posteriorum, nomen scientiæ mediæ cognitioni priorum tribuerunt, quando sunt liberæ. Sed culpandine sunt, quod ea magis curaverint explicare, quæ ab antiquis non sunt tam clare proposita? Debebimusne ita vestigiis majorum adhærere, ut

do-

docere non possimus nisi quæ ipsi docuerunt, & eo modo, quo docuerunt, nec licebit Theologis, quod aliis quibuscumque aliarum facultatum tractatoribus licet, inventis addere, & vetera explicare, & in meliori lumine collocare?

ARTICULUS SECUNDUS.

ASSERTIO. *Peccata creaturarum conditionatè futura non videt Deus in decretis prædeterminativis.*

Prob. Hæc decreta circa peccata non dantur. Ergo &c. Prob. antecedens ex Scripturis, in quibus passim dicitur Deum prohibere peccata, illa odisse, punire &c. Quomodo autem hæc starent, si Deus ad ipsa peccata creaturam prædeterminaret?

Prob. idem antecedens ex Patribus. Chrysostomus loquens (a) de operariis a Patrefamilias in vineam vocatis, quærit, *cur non omnes statim mercede conduxit*; tum respondet: *Quantum in se erat omnes conduxit. Quod si non simul omnes obsequuti sunt, differentiam exhibuit eorum, qui vocati fuere, voluntas. Ideo alii mane, alii tertia, alii sexta vel nona hora vocantur, alii undecima, quia tunc obtemperaturi erant.* Deinde loquens de vocatione Pauli quærit, *quandonam id ei visum est* (subintellige vocare illum), tum respondet: *quando ille obtemperaturus erat. Nam ipse a principio volebat: quia autem ille tunc non cessurus erat, tunc ipsi visum fuit, cum ille obsequuturus erat.* Ex Chrysostomo igitur Deus voluisset tam operarios, quam Paulum vocare etiam cum prævidebat illos non obtemperaturos vocationi. Igitur hanc inobedientiam non decrevit, alias voluisset inobedientiam cum obedientiam volebat. S. Augustinus loquens (b) de iis, qui vocationi

 non

(a) *Homil.* 64. *al.* 65.
(b) *Lib.* 1. *ad Simplician. quæst.* 2. *n.* 13.

non consentiunt, ait: *Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur*: & paulo post de iis, qui vocationi consentiunt, ait: *Etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur*: & infra: *Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat*. Per Augustinum ergo Deus aliquando ita vocat, ut videat hominem resistiturum vocationi.. Hanc porro resistentiam non decrevit, alias nugatoria esset vocatio, cum tunc vocando simul decerneret, ut creatura non responderet. Ergo &c. Præterea alibi expresse docet Deum non *prædestinare* idest *decernere* creaturarum peccata; inquit enim: (a) *Prædestinatio est, quæ sine præscientia esse non potest, potest autem esse sine prædestinatione præscientia...: præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit sicut quæcumque peccata*: & alibi (b) ait: *Deus omnia, quorum ipse auctor est, præscit, non tamen omnium, quæ præscit, ipse auctor est*. Et S. Prosper ait: (c) *In malis operibus nostris sola præscientia Dei intelligenda est, quia sicut præscivit & prædestinavit quæ ipse facit, & ut faceremus dedit, ita præscivit tantum non etiam prædestinavit, quæ nec ipse fecit, nec ut faceremus exegit*. Ubi etiam patet SS. Augustinum & Prosperum rejicere a Deo scientiam peccatorum in decreto. Ergo &c.

His occurrunt Thomistæ dicendo nullum esse inconveniens quod Deus prædeterminet creaturam ad peccandum. I. quia cum in peccato sit & *physicum* & *morale*, seu *materiale* & *formale* (quorum primum importat entitatem actus de se indifferentem ad bonum & malum, ut esset in comestio-

(a) *De prædest. Sanct. cap.* 10.
(b) *Lib.* 3. *de liber. arb. cap.* 4.
(c) *In Sentent. super cap.* 15. *object. Gall.*

stione cibi vetiti aperitio oris, deglutitio &c. alterum malitiam in hoc consistentem, ut quis sciens actum esse prohibitum adhuc illum velit), Deus prædeterminat ad physicum, non autem ad morale peccati, & non hoc, sed illud tantum vult; morale enim peccati non est ens, sed potius defectus entis, seu defectus rectitudinis, ad quem Deus non prædeterminat, cum non prædeterminet ad defectus, sed tantum ad actus, vel ad summum circa defectus non efformet nisi decretum permissivum. Quo posito non est auctor peccati, cum illius formale non velit, sed illud tantum velit creatura. Hoc exemplo illustrant vitiosæ scriptionis, ad quam concurrit scriptor prædeterminando calamum male aptatum. Cum enim in hoc casu prædeterminatio ex parte scriptoris sit directa ad rectam scriptionem, totum autem vitium scriptionis in calamum refundatur, ita, inquiunt, in casu prædeterminationis divinæ. Adducunt etiam exemplum illius, qui vult martyrium, nec tamen vult peccatum Tyranni: & illius qui cum moderamine inculpatæ tutelæ occidens inimicum, non dicitur velle illius mortem, sed tantum permittere.

II. Dicunt Deum non esse auctorem peccati per hoc, quod ad peccatum creaturam determinet, ut non est per hoc, quod concurrat cum creatura peccante, illamque peccare permittat, vel ponat in circumstantiis, in quibus prævidet illam peccaturam, licet hæc omnia cum peccato conjungantur. Sed

Contra I. responsionem ita insto. Cum duo ita sunt conjuncta inter se, ut unum trahat alterum; qui libere omnino & nullo adactus urgente motivo vult unum, censetur etiam velle alterum, si talis conjunctio ei perspecta sit. Ita qui E. G. nulla adactus rationabili causa vult projectionem sagittæ, quam scit conjunctam cum occisione hominis, censetur velle occisionem, atque tunc ita volens non tam *permissive*, quam *proprie* velle dicitur. Quando igitur peccati formale cum materiali conjunctum est, ut accidit plerumque, cum Deus talem

conjunctionem videat, cumque nulla adsit rationabilis causa, ut Deus tale materiale velit prædeterminando ad illud, censetur etiam velle formale. Hoc in iis maxime locum habet, quæ sunt intrinsece mala, in quibus proinde ipsa entitas actus mala est, ut esset actus odii Dei, blasphemiæ &c. si enim non excusatur a peccato, qui alium induceret E. G ad blasphemandum, cum qui blasphemat materialiter tantum blasphemat, ut si esset amens, quomodo posset excusari Deus, si hominem ad entitatem actus blasphemiæ prædeterminaret, quando eadem entitas cum malitia conjuncta est?

Malitiam autem peccati non consistere in mera negatione alibi probabo. Cæterum etiam hoc omisso subsistit vis objectionis; nam quomodo posset Deus non dici auctor peccati, si libere omnino & nulla satis rationabili ex causa prædeterminaret ad physicum seu materiale peccati creaturam, quam videt defecturam, adeoque formale posituram?

Neque adductæ paritates favent adversariis; nam si calamus aliquando apte redderet atramentum, aliquando non, eo ipso quod nulla urgente causa vellet illo uti scriptor, cum scit inepte illud redditurum, vitium scriptionis scriptori tribueretur. Ita in casu. Qui porro vult martyrium, ideo non vult peccatum, quia martyrium vult solum in suppositione peccati ipsius Tyranni; idest supposito quod hic velit Christianos occidere. At Deus in casu non supponeret peccatum, sed illud vellet, ut probatum est. Tandem qui ad se defendendum occidit inimicum cum moderamine inculpatæ tutelæ, ideo non dicitur velle, sed tantum permittere hanc occisionem, quia ipse facit quod in se est, ne occidat: quod si tandem occidit, id facit veluti coactus, quia alius modus non suppetit se defendendi. Hoc autem de Deo respectu peccati non posset in casu verificari, qui creaturam nihil de peccato cogitantem nulla data necessitate ad peccatum determinaret. Ergo &c.

Cæterum Dei decretum prædeterminativum etiam ad formale peccati dirigi debere, ut ipsum

for-

formale cognoscatur, manifeste infertur ex principiis adversariorum. Vel enim, cum Deus prædeterminat ad materiale peccati, potest a creatura non poni formale, vel non potest. Hoc secundum dici nequit; nam sic certe peccatum in Deum refunderetur, qui creaturam poneret in circumstantiis, in quibus non posset a formali peccato abstinere. Si potest, jam Deus non videbit certe formale peccati, nisi decretum ipsius etiam ad illud tendat. Cum enim per adversarios non videat res Deus nisi in suo decreto, cumque decretum tendens ad materiale peccati tam possit cum formali conjungi, quam non, profecto in hoc tantummodo decreto non poterit ipsum formale certo cognoscere. Ut igitur cognoscat, oportebit, ut decretum illius etiam ad formale tendat.

Nec dicas esse quidem absurdum admittere in Deo decretum, quo positive velit formale peccati, non autem quo illud tantum permittat, quale decretum & non aliud admittunt adversarii;

℟. Enim tale decretum cohærenter ad principia adversariorum non sufficere, ut Deus in illo certo cognoscat ipsum formale peccati. Cum enim decretum permissivum sit de se indifferens, ut conjungatur vel non cum formale peccati, in hoc decreto non potest Deus certo cognoscere creaturam peccaturam, ut per adversarios non potest Deus certo cognoscere peccatum in voluntate creata, quia ipsa de se indifferens est circa peccatum.

Contra II. responsionem stat disparitas inter casus in illa adductos & hypothesim decreti prædeterminativi; nam per hoc, quod Deus concurrat ad peccatum, non determinat ad illud creaturam, sed potius concursus ipsius de se indifferens a creatura determinatur. E contra per decreta prædeterminativa Deus creaturam determinat ad peccatum. In systemate igitur adversariorum Deus esset auctor peccati, non in systemate admittentium concursum simultaneum. Rursus nec est auctor peccati per hoc, quod permittat creaturam peccare; hoc enim spectat ad conservationem libertatis, qua creaturas aliquas ab initio donavit Deus. Prætér-

 quam-

quamquod esto permittat peccatum physice, quatenus non tollit potentiam absolutam peccandi, non tamen illud permittit moraliter, quatenus scilicet illud prohibet & punit. Tandem nec est culpabilis auctor peccati per hoc, quod creaturam ponat in circumstantiis, in quibus prævidet ipsam peccaturam; nam in illis etiam præsto ipsi est auxilio suo, ne peccet, hortatur, minas intentat &c. Quod si tandem creatura peccat, ipsa sola se determinat ad peccandum, adeoque tota culpa in ipsam est refundenda, non in Deum, cujus prævisio non causat creaturæ peccatum, sed supponit. Ergo &c.

ARTICULUS TERTIUS.

Assertio. *Futura libera conditionata etiam supernaturalia ad statum innocentiæ pertinentia non vidit Deus in decretis suis prædeterminativis.*

Prob. Si quæ esset ratio adstruendi pro visione horum futurorum talia decreta, vel deduceretur ex illorum supernaturalitate, vel ex quo creatura non potuisset ad illa se determinare, sed indiguisset determinari a Deo auxilio per se efficaci. Atqui ex neutro capite potest deduci sufficiens ratio adstruendi in casu hæc decreta. Ergo &c. Prob. minor. Supernaturalitas horum futurorum salvatur per hoc, quod vires naturales creaturæ etiam tunc ad illa non suffecissent, sed indiguissent adjutorio gratiæ divinæ. Rursus posita excitatione a gratia etiam non per se efficaci, creatura tunc vivida & integra, utpote peccato non sauciata, nihil habebat, quod ipsam impediret, quominus huic gratiæ pro libito consentiret. Ergo &c.

His statutis circa scientiam futurorum tum naturalium moraliter bonorum & indifferentium, tum moraliter malorum, tum supernaturalium pertinentium ad statum innocentiæ; remanet examinandum in quo medio videat Deus futura supernaturalia status naturæ lapsæ. Circa hæc præcipua est difficultas, quam & auctoritas doctissi-

ma-

marum Scholarum in hoc puncto inter se dissidentium, & rationum momenta, quæ hinc inde militant, vix solubilem relinquunt. Ipse has rationes hystorice referam, aliorum relinquens judicio definire quænam sint validiores.

Assertores igitur decretorum prædeterminativorum afferunt in primis auctoritatem S. Augustini, quem ipsorum sententiæ favere contendunt: atque ita arguunt.

I. S. Doctor pluribus in locis videtur adstruere necessitatem decretorum prædeterminativorum, ut futura supernaturalia cognoscantur a Deo; nam primo ait: (a) *Prædestinatione* (en decretum prædeterminativum) *Deus ea prascivit, quæ fuerat ipse facturus: unde dictum est, fecit quæ futura sunt . . . Quando promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem gentium . . . non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit.* Rursus affirmat non posse a Deo præsciri nisi quæ sunt ab ipso prædestinata ;/de bonis enim operibus loquens, in ordine ad quæ Pelagiani & Semipelagiani docebant quamvis diverso modo, Deum nec præparare nec prævenire hominum voluntates, hæc habet: (b) *An forte nec ipsa dicunt prædestinata? Ergo nec dantur a Deo, aut ea se daturum esse nescivit. Quod si & dantur, & ea se daturum esse prascivit, profecto prædestinavit.* Rursus asserit nomine *præscientiæ*, ubi agitur de vocatione electorum, debere *prædestinationem* intelligi: *Hæc Dei dona*, inquit (c), *si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur a Deo: præsciuntur autem: hæc est igitur prædestinatio, quam defendimus. Unde aliquando eadem prædestinatio significatur nomine præscientiæ.* Et infra: (d) *Quid ergo*, inquit, *nos prohibet, quando*

D 6

(a) *De prædest. Sanct. cap.* 10.
(b) *Lib. de dono persev. cap.* 17.
(c) *Eod. lib. cap.* 17. (d) *Cap.* 19.

do apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere? Ergo &c.

II. S. Doctor rejicit scientiam mediam; nam cum respondens quibusdam quæstionibus Paganorum dixisset (a) *Deum voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri*, quo loco scientiam futurorum conditionatorum in Deo admittit independenter a decreto, hujus enim mentionem non facit; cum inquam hoc dixisset, & audisset hæc verba a Semipelagianis in confirmationem errorum suorum trahi, illud retractavit: quod etiam testatur Angelicus (b). Ergo reprobavit scientiam mediam. Rursus S. Doctor pluribus in locis reprehendit Semipelagianos, eo quod in Deo admitterent scientiam liberorum conditionalium independentem a decreto Dei, quæ est ipsa scientia media. Ergo &c.

Ad I. respondent Mediistæ primo generaliter admissam quidem fuisse ab Augustino necessitatem divinæ prædestinationis; at hæc non est decretum prædeterminativum, de quo modo. Quod ut probent, advertunt rem Augustino fuisse præcipue contra Pelagianos & Semipelagianos, quorum errores ad hunc locum spectantes hi præcipue erant. Asserebant Pelagiani gratiam pugnare cum libero arbitrio, quod ut defenderent, gratiam negabant. Hinc cum hominem salvari posse concederent, ipsum dicebant salvari posse sine gratia per vires proprii arbitrii, & consequenter quod hic vel ille ad gloriam eligeretur, repetebant ex prævisione meritorum naturalium. Hunc errorem ut Semipelagiani emendarent catholice concedebant ad perfectam justificationem requiri gratiam, cæte-

(a) *Ep.* 102. *al.* 49. *queast.* 2.
(b) 3 *parte quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 2.

terum negabant hanc esse necessariam ad initium Fidei, quod solis naturæ viribus acquiri posse dictitabant. Contendebant proinde hunc a Deo & non alium vocari ad Fidem, quia vidit illum absolute per vires proprii arbitrii meruisse, ut vocaretur, quapropter primam gratiam meritis naturalibus tribuebant. Sed cum S. Augustinus illos urgeret hoc argumento: supponamus duos parvulos, quorum unus statim post Baptismum moritur, alter Baptismo præmoritur: ubinam sunt merita naturalia absoluta, quorum intuitu Deus gratiam Baptismi uni præ altero concedat? Cum inquam hoc argumento illos urgeret S. Augustinus, respondebant Deum uni concedere gratiam Baptismi, quia prævidet illum bene operaturum, si viveret: alteri non concedere, quia prævidet illum, si vixisset, male operaturum. Ex quibus patet Pelagianos in hoc errasse, quod omnino negarent necessitatem gratiæ, Semipelagianos vero in hoc, quod negarent necessitatem gratiæ ad initium Fidei, & in hoc, quod merita conditionate futura statuerent ut rationem, ob quam Deus gratiam conferret, & tandem in hoc, quod demerita tantum conditionate futura statuerent ut rationem, ob quam Deus puniat parvulos, quibus negat gratiam Baptismi.

Contra hos errores, inquiunt Mediistæ, insurrexit S. Augustinus, qui totus fuit in adstruenda necessitate gratiæ ad omnes operationes supernaturales. Nulla igitur ex Augustino potest reperiri supernaturalis actio independens a *prædestinatione*, idest a decreto Dei de danda gratia, sicque nulla talis operatio ut absolute futura potest per Augustinum cognosci a Deo nisi dependenter ab hoc decreto; sed tale decretum esse prædeterminativum, de quo est quæstio, gratis asseritur; ut gratis etiam asseritur prædestinationem, quam necessariam agnoscebat Augustinus, ut Deus futura conditionata ordinis supernaturalis cognosceret, tale esse decretum, cum ad hoc sufficiat decretum conditionatum.

Ad-

Admisit ergo Augustinus, pergunt Mediistæ, necessitatem divinæ prædestinationis, decreti scilicet de danda gratia solum in sensu, quo ipsam Pelagiani ac Semipelagiani negabant. At isti necessitatem divinæ prædestinationis ideo negabant, quia asserebant, homines per vires proprii arbitrii posse vel salutem consequi, quod docebant primi, vel saltem ad initium Fidei perduci, quod alii docebant. Augustinus igitur ideo asserit necessitatem divinæ prædestinationis, quia negat homines per vires proprii arbitrii posse vel ad salutem pervenire, vel etiam primo se disponere, ut perveniant, & ideo, cum necessariam & ad complementum & ad initium justificationis prædicet gratiam, asserit nullum opus bonum posse a Deo cognosci independenter a prædestinatione, idest a decreto de danda gratia. Sed cum hoc decretum etiam per ipsos Mediistas, relate ad futura supernaturalia quæcumque ea sint, requiratur; ideo vel cum ipsis vel saltem non contra ipsos contendunt stare Augustinum.

Et sane, dicunt Mediistæ, nomine prædestinationis intelligi ab Augustino decretum de danda gratia, ipse docet (a) cum prædestinationem definit *præscientiam & præparationem beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur:* & cum loquens (b) de eo, quod dixerat in libro de sex quæstionibus Paganorum, videlicet præscisse Christum qui, & quando, & quibus in locis in eum fuerant credituri, subdit: *Sed utrum prædicato sibi Christo a se ipsis habituri essent Fidem, an Deo donante sumpturi, idest utrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere atque disserere tunc necessarium non putavi*. Ubi patet nomine *prædestinationis* ipsum intelligere decretum Dei de danda gratia. Etsi

(a) De *dono persev. cap.* 14.
(b) De *prædest. SS. cap.* 9.

si igitur Augustinus necessitatem divinæ prædestinationis admiserit, ut admisisse adducta loca demonstrant, non ideo tamen admisit decreta prædeterminativa, de quibus modo.

Ad singula etiam adducta loca respondent, & ad I. dicunt ibidem Augustinum loqui de iis, quæ sunt a Deo absolute facienda, inter quæ sunt bona opera absolute futura creaturarum, quæ fiunt etiam imo principaliter a Deo per influssum gratiæ. Ad hæc autem requiri decretum aliquod Dei absolutum & ipsi fatentur: sed de his non est sermo in præsenti. Quod si ad futura conditionata trahatur dictum Augustini, nihil magis commoventur Mediistæ, quippe qui & ipsi admittunt pro istis futuris aliquod decretum, scilicet quod includitur in conditione, diversum, ut patet, a decreto determinativo, de quo est quæstio, quodque conjungit conditionatum cum conditione. Fides autem Gentium, dicunt Mediistæ, ideo per Augustinum a Deo fuit Abrahæ promissa *non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione*, quia revera ad hanc Fidem obtinendam non sufficiebant voluntatis humanæ vires, sed requirebatur Dei prædestinatio, idest decretum de danda gratia, quod & ipsi admittunt diversum tamen a decreto prædeterminativo modo supra explicato. Alio loco respondent S. Augustinum loqui de iis, quæ dantur a Deo, quæ profecto sunt prædestinata, & si talia non essent, a Deo non scirentur proportionaliter ad supra dicta. Dei porro dona utpote ab ipso Deo provenientia concedunt Mediistæ non posse a Deo præsciri, nisi in decreto de illis conferendis, quo fit, ut hæc non possint a Deo præsciri nisi prædestinentur. Sed de his repetunt, quæ supra dixerunt. Cum autem vocatio electorum semper gratiam supponat, cujus conferendæ decretum (quod sane, inquiunt Mediistæ, non probabunt adversarii esse prædeterminativum) in mente Augustini dicitur *prædestinatio*, patet, inquiunt ipsi, præscientiam in iis, quæ ad talem electionem pertinent, esse semper cum prædestinatione conjunctam, unde non immerito Augustinus

no-

nomine *præscientiæ* intelligi vult eo in casu prædestinationem.

Ad II. respondent nunquam S. Augustinum retractasse, sed solum explicasse quæ ibidem dixerat. Cum enim ex epistolis Prosperi & Hilarii admonitus fuisset iis Semipelagianos fuisse abusos ad confirmandum errorem, quod Deus ideo aliquem ad Fidem vocet, quia illum prævidit per vires propri arbitrii consensurum, si vocarentur; ideo necessarium duxit exponere mentem suam, quam de facto exposuit, asserens se dixisse quidem (a) Christum præcognovisse quinam consensuri essent, si vocarentur, sed ab hoc præscidisse, utrum talis consensus ex viribus illorum arbitrii, an ex gratia Dei esset repetendus. Ex quo sequebatur immerito dictum S. Augustini ad propriæ sententiæ defensionem Semipelagianos traxisse. Hoc totum patere dicunt ex integro textu S. Augustini, qui ita se habet: *Cernitisne me sine præjudicio latentis consilii Dei, aliarumque causarum hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objiecerant quæstionem, sufficere videretur? Quid enim est verius, quam præscisse Christum qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrum prædicato sibi Christo a se ipsis habituri essent Fidem, an Deo donante sumpturi, idest utrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere atque discutere tunc necessarium non putavi*. Nec S. Thomas, pergunt Mediistæ, asserit sententiam in objectione adductam fuisse ab Augustino retractatam: sed cum ipse tum illam S. Augustini sententiam retulisset, tum aliam, in qua dixerat omnes illos, ad quos non est prædicatus Christus, prævisos fuisse incredulos, si illis prædicaretur, asserit hanc postremam fuisse ab Augustino reprobatam utpote contrariam dicto Chri-

(a) *Lib. de prædest. Sanct. cap. 2.*

Christi: *Si in Tyro & Sidone &c.* En verba S. Thomæ: *Sed hanc responsionem reprobans Augustinus in libro de perseverantia dicit: Nunquid possumus dicere Tirios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse; cum ipse Deus attestetur eis, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum?* Volunt porro Mediistæ S. Augustinum non reprehendisse in Semipelagianis usum, sed tantum abusum scientiæ mediæ in hoc præcipue consistentem, quod vellent merita conditionate prævisa esse rationem, cur Deus aliquem ad Fidem & Baptismum vocaret, & demerita prævisa pariter conditionate esse rationem, cur Deus alium ad fidem & Baptismum non vocaret.

Adducunt etiam assertores decretorum prædeterminativorum aliquas rationes, quarum præcipue hæ sunt.

I. Debet salvari, quod actus salutaris magis Deo sit tribuendus, quam creaturæ; contrarium autem exclusis decretis prædeterminativis eveniret; nam illi magis tribuitur actus, qui ad illum concurrit determinans, quam illi, qui concurrit determinatus. Deus porro in hypothesi concurreret determinatus, creatura determinans. Ergo creaturæ magis quam Deo actus salutaris tribueretur.

II. Debet salvari, quod Deus possit de creaturis suis facere quidquid vult: quod non salvaretur exclusis decretis prædeterminativis; nam iis exclusis Deus deberet in negotio salutis expectare creaturæ determinationem, & ab hac veluti dependere. Hoc autem posito non posset quem vellet pro libito salvare, aut reprobare. Fieri enim posset, ut prævideret creaturam omnibus auxiliis, si darentur, consensuram, & en, quod non posset eam reprobare, & è contra fieri posset, ut prævideret eam omnibus auxiliis, si darentur, restituram, & en quod non posset eam salvare. Ergo &c.

Ad I. respondent Mediistæ, quod si ex una parte considerentur quæ ponit Deus in actione bona,

na, ex alia quæ ponit creatura, manifestum erit magis actionem bonam Deo, quam creaturæ, esse tribuendam: cum ex dictis Deus dederit esse creaturæ, illud conservet, dederit ipsi libertatem, illam excitet ad agendum, & in agendo adjuvet: creatura e contra nihil aliud ponat, nisi exercitium suæ libertatis, in quo tamen debet adjuvavari ab ipso Deo. Hoc totum declarant exemplo. Supponamus, quod Titio omnibus præsidiis destituto ad ædificandam domum, dives aliquis ea omnia offerat, illum insuper moraliter moveat rogando, hortando, suadendo, ut ædificet, absque eo quod tamen illum moveat motione ex natura sua infallibiliter trahente illius consensum: si Titius se determinet ad utendum exhibitis præsidiis, adeoque ad ædificandam domum, illamque revera ædificet, quis dicat Titio magis, quam diviti illi tribuendam esse hanc ædificationem per hoc, quod ille concurrat determinatus, Titius determinans? A pari ergo in casu.

In responsione ad II. divisi sunt Mediistæ: hypothesim enim illam de creatura aut omnibus gratiis consensura, aut omnibus restitura, ex qua tota vis objectionis pendet, alii faciunt absolute impossibilem, alii impossibilem solum moraliter, alii præscindunt etiam ab impossibilitate morali, & juxta triplicem hanc opinandi rationem triplici quoque via in respondendo procedunt.

Primi loquuntur de præsenti providentia & de creaturis aliquando exstituris: scilicet quamvis absolute verum sit creaturam pro sua libertate posse vel omnibus auxiliis gratiæ consentire, vel omnibus dissentire, asserunt tamen vidisse Deum & in Scripturis revelasse, nullam fore creaturam, quæ omnibus auxiliis possibilibus vel semper consentiat, vel semper dissentiat. Propterea stante visione Dei & ipsius revelatione asserunt hypothesim illam esse absolute impossibilem. Admissa autem impossibilitate hujus hypothesis patet solutam difficultatem.

Alii hypothesim faciunt impossibilem moraliter. Quis enim credat, inquiunt isti, creaturam sub

infi-

infinitis propemodum circumstantiis, sub quibus potest a Deo constitui, vel semper consensuram, vel semper dissensuram? Hoc autem posito timendum ex hypothesi non erit, ne aliquid supremo Dei dominio detrahatur.

Sed demus, pergunt ultimi, hypothesim necesse moraliter impossibilem, adeoque facile posse reperiri creaturam, quæ ita pro sua libertate prævideatur constans in consentiendo, vel dissentiendo omnibus divinis auxiliis, ut a Deo vel reprobari non possit, vel salvari: ideone lædetur dominium ipsius Dei? Minime sane: primo enim posset Deus illam creaturam non condere: secundo si hæc semper bene operaretur, semper adimpleretur voluntas, quam habet Deus, ut ipsius creaturæ bene operentur; si male, adimpleretur saltem voluntas, quam habet Deus puniendi peccatores obstinatos in malo juxta illud Augustini (a) dicentis: *Infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus Evangelio non credunt, nec ideo tamen eam vincunt, verum seipsos fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt*: tertio hæc impotentia salvandi, vel reprobandi creaturam est consequens divinam liberam voluntatem. Quare enim Deus non posset in hypothesi creaturam vel reprobare vel salvare? Scilicet quia hæc est libera. At quare est libera? Quia Deus illam voluit liberam. Illa igitur impossibilitas refunditur tandem in liberam Dei voluntatem. Non ergo repugnat dominio Dei, sicuti non repugnat, quod peccatori contrito non possit denegare gratiam, vel quod non possit denegare gloriam decedenti in gratia. Ut enim hæ impossibilitates non repugnant dominio Dei, quia oriuntur ex libera ejus voluntate & ex decreto, quod condidit de

---

(a) *Lib. de Spir. & litt. cap.* 33.

de sic faciendo; sic non repugnat impossibilitas, quæ oritur ex libero Dei decreto de condenda libera creatura.

CAPUT QUINTUM.

De Scientia visionis, ubi etiam corollaria quædam addentur ex generali doctrina de Scientia Dei deducta.

NOtabo hic 1. necessaria ad intelligentiam quæstionum: 2. assertiones statuam & vindicabo: 3. ostendam quomodo scientia Dei sit causa rerum: 4 loquar de ordine, qui intercedit inter species divinæ scientiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ existunt (hæc enim sunt objecta scientiæ visionis) sunt vel Deus ipse, vel creaturæ. Propriam existentiam per omnes Deus, utpote semetipsum perfectissime cognoscens, in se ipsa immediate cognoscit, sive potius in se ipso, cum ipse & existentia ipsius unum & idem sint.

Creaturarum pariter existentiam perfectissime ipse per omnes Catholicos cognoscit. Sed de medio hujus cognitionis est quæstio. Ut autem controversiarum, quæ in Scholis vigent, quoad hoc punctum statum aperiam.

Noto 1. res existentes extra Deum omnes ex se contingentes esse; solus enim Deus est ens a se, adeoque necessarium.

Noto 2. has res pro variis temporum differentiis, in quibus existunt, vel ad quas referuntur, esse vel præteritas, vel præsentes, vel futuras.

Certum est apud omnes res præsentes cognosci a Deo in se ipsis & in illo esse, quod habent. Quoad res præteritas aliqua posset quidem esse difficultas, cum illæ, quamvis olim habuerint esse, nunc tamen eo ipso, quod sunt præteritæ, non amplius habent. Sed quoniam præcipua difficul-

tas

tas reducitur ad res futuras, utpote quæ nec habent esse, nec unquam habuerunt, nec ex se sunt ad esse determinatæ; ideo de illis solum communiter a Theologis agitur, ac proinde & ego agam, & ex iis, quæ circa res futuras dicentur, facile poterit cognosci quid sentiendum circa res præteritas.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio prima. *Deus non cognoscit supradicta futura præcise aut in sua essentia divina, aut in sua potentia, aut in suis ideis.*

Prob. Ut Deus sic cognosceret futura, oporteret, ut vel essentia divina, vel divina potentia, vel divinæ ideæ talem connexionem haberent cum rei futuritione, per quam hæc potius traheretur, quam non futuritio. Atqui talem connexionem non habent illa tria cum futuritione. Ergo &c. Prob. minor. I. posita præcise divina essentia, idest posito quod Deus sit id, quod est, adhuc res contingentes tum ex parte ipsarum, tum ex parte Dei indifferentes sunt & ad esse & ad non esse. II. idem valet respectu potentiæ Dei; non enim amittit res contingens indifferentiam ad esse, vel non esse per hoc, quod possit Deus illam condere. III. tandem idem valet de divinis ideis; idea enim, quam habet Deus de aliqua re, est rei ipsius imago existens in mente divina, quæ repræsentat tum ipsam rem, tum omnes modos, quibus res est factibilis. At neque per hanc imaginem amittit res repræsentata indifferentiam ad esse & non ad esse, cum ejusmodi imago eodem modo rem repræsentet & cum est futura & cum non est. Ergo &c.

Antequam ad secundam assertionem deveniam, noto plures Thomistas docuisse omnia futura a Deo fuisse ab æterno cognita per hoc, quod ipsi fuerint realiter semper præsentia. Rem ita explicant. Primo distinguunt instantia temporis, seu, ut inquit Cajetanus, *nunc* temporis ab instantibus sive *nunc* æternitatis. Instantia sive nunc temporis,

poris, inquiunt ipsi, non omnia simul existunt, sed successive unum existit post aliud, quo fit, ut consideratis his instantibus res modo dicatur præsens, modo præterita, modo futura. At instantia æternitatis omnia simul existunt, unde quæ res coexistit uni ex his instantibus, coexistit omnibus, adeoque res, quæ existunt successive consideratæ quoad instantia temporis, existunt omnes simul & coexistunt toti æternitati consideratæ quoad instantia ejusdem æternitatis. Ad hæc duplicem distinguunt mensuram rei temporalis existentis, unam intrinsecam, & juxta hanc res non est ab æterno, alteram extrinsecam, ortam scilicet ab æternitate Dei, quæ utpote comprehendens omnia tempora illorum omnium est mensura, & juxta hanc dicunt rem semper fuisse, & in ejus reali præsentia fuisse a Deo cognitam.

Contra hos stant Nominales, Scotistæ, & Jesuitæ, cum quibus sit

ASSERTIO SECUNDA. *Deus futura ab æterno non cognovit per hoc, quod fuerint ab æterno realiter ipsi Deo præsentia.*

Prob. ex Patribus. S. Augustinus inquit: (a) *Hæc, antequam fierent, utique non erant. Quomodo ergo Deo nota erant, quæ non erant? Et rursus: Quomodo ea faceret, quæ sibi nota non erant? Non enim quidquam fecit ignorans. Nota ergo fecit, non facta cognovit. Proinde antequam fierent, & erant & non erant. Erant in Dei scientia, non erant in sua natura.* Ergo futura ab æterno in propria natura non erant. Si hoc, non poterant in illorum reali præsentia ab æterno cognosci. Ergo &c.

Obj. ex Patribus. Hi communiter docent omnia Deo semper fuisse præsentia, nec respectu Dei dari præteritum & futurum. Ergo &c.

℟. Pa-

(a) *Lib.* 5. *de Genes. ad litt. cap.* 18.

℟. Patres id ſolum aſſerere vel ob infallibilitatem & immutabilitatem ſcientiæ divinæ, quæ tam certo attingit præterita & futura, quam ſi realiter eſſent præſentia, vel ob identitatem, & indiviſibilitatem æternitatis divinæ, ſecundum quam Deus omnia tempora complectitur, illiſque præſens eſt: vel tandem quia futura talia non ſunt reſpectu Dei, qualia ſunt reſpectu noſtri. Cum enim futura erunt, vel nos non erimus, vel non erimus quales modo ſumus: e contrario Deus & erit, & omnino idem, & immutatus erit, juxta illud: (a) *Ipſi peribunt, tu autem permanes... Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*. Cæterum ex quo divina ſcientia terminetur ad objectum modo ut præteritum, modo ut futurum, non ſequitur dari præteritum & futurum in Deo, ſed ſolum ſequitur dari in objecto cognito: circa quod conſideretur exemplum, quod, cum de divina immutabilitate ageretur, adhibitum eſt, ſcilicet pali in medio fluminis defixi, quod quidem maxime congruit divinæ ſcientiæ in ordine ad præterita & futura.

Obj ex ratione. Omnia coextiterunt divinæ æternitati. Ergo in illorum reali præſentia Deus illa vidit. Prob. antecedens I. Omnia inſtantia æternitatis ſimul coexiſtunt. Ergo quæ res uni inſtanti æternitatis coexiſtit, omnibus coexiſtit.

II. Deus ſemper habuit intuitivam cognitionem futurorum. Ergo hæc illi ſemper fuerunt realiter præſentia: cum cognitio intuitiva ſit de re præſenti.

III. Ita ſe habent res præteritæ & futuræ reſpectu Dei, uti ſucceſſive tranſeuntes per viam reſpectu illius, qui ex alta turri illos proſpicit. Sicuti ergo taliter tranſeuntes non omnes quidem ſunt ad invicem præſentes, ſed tamen æque ſunt omnes præſentes proſpicienti; ita a pari in caſu.

Cu-

(a) *Pſalm.* 101.

Cujus rei ratio est duplex illa mensura supra assignata, qua posita res quidem secundum mensuram intrinsecam sunt modo præteritæ modo futuræ, at secundum extrinsecam sunt semper præsentes. Ergo &c.

℟. ad I. ex quo omnia instantia æternitatis Dei simul coexistant, non sequi quod, si res quandoque coexistit æternitati Dei, semper coexistat. Quid enim importat omnia instantia æternitatis Dei simul coexistere? Importat quod ipsa æternitas sit indivisibilis, ita ut non possit dici modo existere unam illius partem, modo alteram, sed tota temper existat. At potest tota existere in diversis instantibus, etsi in uno res illi non coexistat, in alio coexistat. Quod exemplo immensitatis divinæ explicatur; non enim minus æternitas Dei importat, quod omnia illius virtualia instantia existant simul, quam importet immensitas Dei: ut omnes virtuales partes ipsius Dei simul sint in quolibet loco, consequenter quod substantia Dei sit tota ubique. At ex quo substantia Dei sit tota ubique, non sequitur quod, si res aliqua existit in uno loco, ubi est hæc tota substantia, existat etiam in omnibus locis, ubi eadem substantia est. Ita E. G, ex quo ego sim, ubi est tota substantia Dei, non sequitur quod sim ubicumque est tota substantia Dei, & hoc quia ubi sum, existit quidem tota substantia Dei, sed non existit totaliter, idest existit etiam tota extra hunc locum. Igitur a pari non per hoc, quod res aliquando existat, cum habetur tota æternitas Dei, sequitur, quod debeat semper existere, quando hæc æternitas existit: quia quocumque instanti existit quidem æternitas tota, sed non existit totaliter, idest in uno determinato instanti existit quidem tota æternitas, sed existit etiam tota extra illud instans.

Ad II. ℟. visionem Dei semper fuisse intuitivam, etsi non semper habuerit pro objecto rem actu existentem; cognitio enim intuitiva est, quæ immediate fertur in objectum pro ut existens suo tempore. Cum autem scientia Dei in rem futuram

ram immediate feratur ut exiſtentem ſuo tempore, ſcilicet futuro, hæc ſane cognitio eſt intuitiva.

Ad III. R/. aſſignando diſparitatem inter exemplum adductum & caſum aſſertionis. Qui enim tranſeunt, realiter in ſe exiſtunt, cum cernuntur a proſpiciente: non ſic porro in ſe realiter exiſtebant res creatæ, cum ab æterno cognoſcebantur a Deo. Falſum autem eſt æternitatem Dei poſſe dici menſuram exiſtentiæ illius rei, quæ in ſe non exiſtit; menſura enim de ſe non producit in re rationem, ſecundum quam eſt menſurabilis, ſed ſupponit. Ita menſura extenſionis non præſtat menſurato quod ſit extenſum, ſed ſupponit. Quamdiu igitur res in ſe non exiſtit, æternitas Dei non poteſt eſſe illius menſura, ac proinde cum res etiam per adverſarios in ſe ipſis non extiterint ab æterno, neque potuerunt menſurari etiam ſolum extrinſece ab æternitate divina.

Assertio tertia. *Futura libera immediate a Deo ponenda videntur ab ipſo in ſuo decreto abſoluto.*

Prob. Poſito enim hoc decreto, quod ex ſe eſt contingens, ſtante immutabilitate divinæ voluntatis evadit neceſſarium, adeoque non poterit non eſſe. Videns igitur Deus decretum ſuum, videt pariter futurum, quod eſt illius objectum.

Assertio quarta. *Futura ponenda a creaturis neceſſario operantibus a Deo cognoſcuntur tum in illorum cauſis in actu primo proximo conſtitutis, tum in decreto ipſius de conſtituendis illis cauſis in his circumſtantiis.*

Prob. Hæc habent neceſſariam connexionem cum effectu. Ergo illis cognitis cognoſcetur effectus.

Assertio quinta. *Futura libera a creaturis ponenda non poſſunt a Deo cognoſci infallibiliter in voluntate creata præciſe ſecundum ſe & in actu primo inſpecta.*

Prob. Hæc voluntas etiam in actu primo proximo conſiderata non eſt neceſſario cum effectu connexa, imo per hoc dicitur libera. Ergo quan-

tumcumque cognoscatur voluntas in actu primo, nunquam infallibiliter cognoscetur effectus.

Assertio sexta. *Futura libera absolute a creaturis ponenda, si sint tantum naturalia, sive postea bona sint sive mala, sive indifferentia; & etiam si sint supernaturalia, dummodo spectent ad statum innocentiæ, videt Deus in decreto suo absoluto supposita scientia media.*

Prob. & explicatur assertio. Ex statutis capite superiore circa hæc futura in statu conditionato considerata non datur decretum prædeterminativum, sed independenter ab hoc videt Deus creaturam ad illa posita conditione se determinaturam. Fac ergo, ut eliciat Deus decretum absolutum de positione conditionis: en quod statim videbit futurum absolutum a creatura ponendum. Ubi tamen noto diversæ rationis esse decretum Dei, prout respicit actiones bonas, vel indifferentes, & prout respicit actiones malas. In primo enim casu potest esse directe volitivum actionis, in secundo non potest, sed tantum potest esse permissivum: idest posito, quod Deus videat creaturam, si ponatur in tali vel tali ciscumstantia, se determinaturam ad actionem bonam, vel indifferentem alicujus ex assignatis speciebus, potest absolute decernere, ut creatura in illa circumstantia ponatur eo fine & intentione, ut ipsa eam actionem ponat. At posito, quod viderit craturam, si ponatur in tali vel tali circumstantia, se determinaturam ad peccandum, non potest absolute decernere, ut in illa ponatur ea intentione & fine, ut peccet, sed solum hoc potest decernere ex aliis rationibus cum intentione permittendi peccatum: quo tamen non obstante in hoc decreto videbit infallibiliter peccatum stante scientia media, quæ illud præcedit.

Assertio septima. *Futura absoluta supernaturalia spectantia ad statum naturæ lapsæ videt Deus in decreto suo absoluto de conferenda gratia efficaci: quod quidem decretum in sententia Mediistarum supponit scientiam mediam, in sententia vero admittentium decreta prædeterminativa, non supponit.* Prob.

Prob. & explicatur assertio. Posito decreto absoluto de conferenda gratia efficaci, quæ scilicet est infallibiliter connexa cum actu salutari, jam infallibiliter hic habebitur. In hoc igitur decreto talem actum Deus videbit: at Mediistæ volunt hoc decreto supponi scientiam mediam, volunt scilicet Deum non decernere conferre creaturæ talem vel talem gratiam, cui de facto creatura consentiet, nisi postquam vidit per scientiam mediam ipsam consensuram, si illa gratia daretur: assertores autem decretorum prædeterminativorum volunt, antecedenter ad omnem prævisionem consensus creaturæ Deum, cum vult absolute decernere dare gratiam ex se & natura sua efficacem: quo posito decreto videt per scientiam visionis actum ipsum creaturæ salutarem absolute futurum. Quinam rectius procedant, judicent alii.

Assertio octava. *Deus videt omnia futura absoluta etiam in se ipsis.*

Prob. ex S. Thoma, qui hæc habet: (a) *Futurum dupliciter potest cognosci, uno modo in causa sua ..., alio modo cognoscuntur futura in se ipsis: & sic solius Dei est futura cognoscere non solum, quæ ex necessitate proveniunt . . . . . sed etiam casualia & fortuita.* Et alibi: (b) *Revelatio prophetica est impressa quædam similitudo divinæ præscientiæ, prout respicit ipsa futura contingentia in se ipsis.* Ergo &c.

Prob. ratione I. Futura absoluta habent in se ipsis determinatam veritatem. Ergo illa videt Deus in se ipsis. Patet consequentia, quia Deus ex se est determinatissimus ad cognoscendum omne verum & omnem modum ipsius veri. Prob. ergo antecedens. Quod futura absoluta habeant in se determinatam veritatem, importat, quod de-

E 2 ter-

(a) 1. 1, *quæst.* 57. *art.* 3.
(b) 2. 2 *quæst.* 171. *art.* 6.

terminate extitura sint suo tempore. Sed futura absoluta determinate extitura sunt suo tempore. Ergo &c. II. Deus in se ipsis cognoscit præsentia & præterita. Ergo etiam futura, cum militet utrobique eadem ratio.

Adverto tamen diverso modo Deum cognoscere futura in se ipsis, & in suo decreto; videndo enim suum decretum, videt ipsorum futuritionem causalem; videndo illa in se, videt illorum futuritionem formalem. Duplex enim est rei futuritio *formalis* & *causalis*. Formalis in eo consistit, quo posito licet nullo alio intellecto intelligitur res esse futura, quo non posito intelligi non potest res esse futura: causalis est id, quod est causa futuritionis formalis.

Aliqui volunt futuritionem rei formalem consistere in decreto divino. Alii id negant asserentes, futuritionem formalem consistere in eo, quod res nunc non sit & postea sit extitura, quamvis fateantur futuritionem causalem consistere in decreto divino, quodcumque illud sit.

Isti videntur rectius procedere; nam si per impossibile decretum Dei de rei futuritione daretur, quod hanc futuritionem non traheret, cum toto illo decreto res non intelligeretur futura. E contra, si per impossibile res non existeret de præsenti, & extitura postea esset independenter a decreto divino, adhuc res intelligeretur futura. Ergo quod formaliter constituit rem futuram, non est decretum, sed ejusdem rei non existentia pro nunc, & existentia pro postea. Cum autem decretum Dei sit causa existentiæ, quæ tandem habebitur, ideo in decreto Dei recte constituitur futuritio causalis. Quæ doctrina illustratur exemplo rerum præteritarum atque præsentium. Quid enim constituit E. G. formaliter præsentem aliquam rem? nihil aliud nisi existentia illius pro nunc: decretum autem Dei id solum causaliter præstat. Ergo a pari &c.

Reponunt priores I. denominationem futuri esse denominationem præsentem, cum enuncietur per verbum *est*; dicitur enim: *res est futura*,

ac

ac proinde exigere formam denominantem præsentem, qualis non est existentia rei pro postea: quod confirmant exemplo denominationis *vestiti*, quæ requirit vestes præsentes.

II. Reponunt esse impossibile, quod detur futuritio de præsenti, quando illius constitutiva non omnia sunt præsentia, ut eveniret in posteriore sententia; hæc enim ponit pro constitutivo futuritionis existentiam, quæ nunc non habetur & habebitur postea. Sed occurritur

Ad I. dicendo denominationem futuri esse præsentem secundum *dici* non secundum *rem dictam*, idest adhiberi quidem verbum *sum es est* in tempore præsenti, sed revera hanc denominationem non esse de præsenti; hæc enim est natura verbi *sum es est*, ut conjunctum cum participio præteriti faciat præteritum, cum præsenti præsens, cum futuro futurum, quod patet exemplo denominationum de præterito; sit enim hæc propositio: *Abel occisus est*; in hac sane habetur verbum *sum es est* in tempore præsenti, & tamen est denominatio præteriti. Ergo a pari &c. Ex hoc patet disparitas inter ista duo: *res est futura*, &: *homo est vestitus*; posterior enim denominatio est de præsenti tum secundum dici, tum secundum rem dictam, prior autem ex dictis non est hujusmodi. Ergo &c.

Ad II. occurritur dicendo aliqua esse, quorum constitutiva non debent, imo nec possunt esse simul. Sit pro exemplo denominatio *præteriti*, cujus constitutivum est non existentia rei pro nunc. Talis etiam est denominatio *antiquitatis*, quæ dicitur E. G de aliqua domo, & quæ involvit lapsum plurium annorum, cum tamen hi anni, ut patet, non omnes simul existant, nec possint existere. Idem quoque dicendum in casu. Ergo &c.

His statutis noto 1. quod, etsi concedatur decretum Dei requiri ad existentiam futurorum, per se tamen non requiritur tanquam medium ad illorum cognitionem, cum hæc possint ex dictis etiam in se cognosci immediate: quomodo licet non possit haberi lux diurna sine sole, potest

tamen videri in se ipsa, illam non videndo in sole.

Noto 2., quod ad cognitionem, quam habuit Deus ab æterno de futuris, accidentale omnino fuit, quod decretum circa illa fuerit ab æterno; æque enim potuisset Deus ab æterno cognoscere futura absoluta, etsi decretum ipsius solum in tempore futurum fuisset, quomodo potuit ab æterno illa cognoscere Deus, etsi solum in tempore exituræ sint causæ creatæ, quæ hæc futura immediate ponere debent. Igitur fuit quidem ab æterno necessarium divinum decretum, sed ob aliam causam, scilicet ob immutabilitatem divinæ voluntatis.

Expeditis iis, quæ ad singulas divinæ scientiæ species videbantur pertinere, remanent duo breviter examinanda, 1. an & quæ divina scientia sit causa rerum, 2. quinam ordo inter dictas species sit constituendus. Circa primum sit

ARTICULUS TERTIUS.

Quæstio est inter Theologos an & quæ scientia Dei sit causa rerum. Aliqui opinati sunt scientiam Dei, ut abstrahit a decretis liberis, esse causam efficientem omnium rerum. Sed hæc sententia vel ex eo videtur falsa, quod ea admissa Deus necessario ad extra operaretur; intellectus enim divinus, consideratus ut antecedit omnem actum voluntatis, necessario operatur. Alii cum Alvarez & pluribus Thomistis contendunt scientiam visionis esse causam rerum. Sed neque hæc sententia videtur subsistere, quia si hæc scientia esset causa rerum, vel esset causa exequens, vel dirigens. Non primum quia causa rerum executiva est divina voluntas: non secundum, quia scientia visionis supponit objecta existentia. Ergo non potest dirigere Deum in danda illis existentia.

Alii tandem statuunt solam scientiam simplicis intelligentiæ & mediam esse causam dirigentem Deum in rerum productione. Horum ratio est, quia his scientiis positis Deus cognoscit om-

nem

nem modum, quo possit obtinere a creatura quemcumque effectum tum necessarium, tum liberum. Quamvis autem scientia simplicis intelligentiæ in se sit necessaria, adhuc tamen, ut causat, est libera, quia quamvis habeat semper vim dirigendi Deum, illum tamen in actu secundo non dirigit nisi accedente libera Dei determinatione. Rursus quamvis hæ scientiæ non habeant pro objecto repræsentato rem absolute existentem, possunt tamen habere pro objecto causato: non enim causant actualem existentiam rei per hoc, quod illam repræsentent, sed per hoc, quod repræsentent modum, quo potest talis existentia obtineri. Hæc quidem sententia posterior relate ad ea, circa quæ versatur scientia media, proportionaliter ad supra dicta videtur probabilior. Circa secundum ex duobus supra propositis sit

ARTICULUS QUARTUS.

Certum est aliquem esse ordinem inter hucusque recensitas species divinæ scientiæ, ordinem inquam prioritatis & posterioritatis, non quidem temporis, nec naturæ, sed virtualem, fundamentalem, & rationis ratiocinatæ: & desumitur hic ordo ab illo, qui reperitur in humanis actibus intellectus & voluntatis.

Sed in assignando hoc ordine variant Auctores, prout vel respuunt, vel admittunt scientiam mediam. Qui illam respuunt, hunc ordinem statuunt. Primo Deus per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit omnia possibilia: deinde per actum voluntatis, quorum placet decernit existentiam absolutam: tandem hanc videt per scientiam visionis. Qui vero scientiam mediam admittunt, conveniunt quidem cum prioribus relate ad ea, in quibus hæc scientia locum non habet, sed in iis, in quibus locum habet, post scientiam simplicis intelligentiæ ponunt scientiam mediam, qua cognoscat Deus quid factura esset creatura libera, si in tali vel tali circumstantia constitueretur: deinde relate ad ea, quæ sunt abso-

lute extitura, ponunt decretum Dei abſolutum de constituenda creatura in tali vel tali circumstantia; tandem statuunt scientiam visionis, qua cognoscat Deus eventum abſolute futurum.

DISSERTATIO III.

De veracitate Dei.

EXaminanda hic suscipio quæ ad divinam veracitatem spectant, quia hæc perfectio est maxime attendenda, utpote quæ est fundamentum theologicæ Fidei. Dissertationem hanc in duo capita divido. In 1. afferam quæ generaliter spectant ad divinam veracitatem: in 2. agam de miraculis prout ad divinam veracitatem referuntur.

CAPUT PRIMUM.

Afferuntur quæ generaliter spectant ad divinam veracitatem.

NOtabo 1. scitu neceſſaria ad intelligentiam quæstionum: 2. statuam & vindicabo principaliora circa divinam veracitatem.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. *veracitatem* Dei importare, quod ipse non poſſit falsum aſſerere, seu mentiri. Dixi *seu mentiri:* licet enim idem rigorose non sit falsum aſſerere & mentiri, in Deo tamen idem sunt. Ad intelligentiam noto mendacium ex Augustino (a) es-

(a) *Enchirid. cap.* 18.

eſſe dicere aliquid ſcienter aliter ac ſentimus. Idem ergo generaliter non eſt mentiri ac dicere falſum; cum poſſit quis mentiri, quin dicat falſum, ſi nempe aſſerat verum, exiſtimando ſe falſum aſſerere: & poſſit quis dicere falſum, quin mentiatur, ſi nempe exiſtimet ſe dicere verum, cum tamen quod dicit verum non ſit. In Deo tamen, qui ſemper vere judicat, hæc duo ſeparari non poſſunt: ſi enim ipſe falſum aſſereret, ſemper mentiretur, & è contra, cum ſemper rem aſſereret aliter ac ſentit.

Noto 2. Deum poſſe loqui tum per ſe, tum per alium, adeoque poſſe inſtitui quæſtionem de veracitate Dei tum loquentis per ſe, tum loquentis per alium.

Noto 3. veracitatem Deo etiam per ſe loquenti negatam fuiſſe a Priſcillianiſtis, qui docuerunt Deum & poſſe mentiri & aliquando mentitum fuiſſe. Hunc errorem ſecuti ſunt Armeni. Sunt qui diſtinguunt inter legem ordinariam, & extraordinariam, & dicunt Deum de lege ordinaria falſum aſſerere non poſſe, de lege autem extraordinaria etiam per ſe poſſe. Ita Petrus de Alliaco, Almainus, Gabriel, aliique. Robertus Olchot docuit Deum abſolute etiam per ſe poſſe falſum aſſerere, ſed non mentiri, quia ſcilicet nomine *mendacii* ipſe intelligit aſſertionem non utcumque falſam, ſed falſam peccaminoſe, & quando adeſt obligatio dicendi verum.

Noto 4. communiter aſſeri tanquam certum de Fide, quod Deus per ſe loquens nec unquam mentitus eſt, nec de lege ordinaria mentiri poteſt. Certum etiam videtur de Fide vel ſaltem Fidei proximum, Deum nec unquam mentitum eſſe, nec de lege ordinaria poſſe mentiri, cum loquitur per alium. Quod vero nec extraordinarie Deus mentiri poſſit aut falſum aſſerere, ita cenſetur moraliter certum, ut oppoſitum temerarium dicatur.

Noto 5. in probanda Dei veracitate cavendum eſſe: ne ita Scripturis utamur, ut admittamus petitionem principii. Hæc autem admitteretur, ſi

nude & præcise ex iisdem Scripturis eadem veracitas probaretur; tunc enim supponeremus veracitatem Dei per Scripturas loquentis, quam tamen probare contendimus. Evitabitur autem hæc petitio principii, si vel utamur Scripturis contra illos, qui ultro Scripturas admittunt ut infallibiles, vel supponamus ratione probatam veracitatem Dei, & postea probemus Deum esse locutum in Scripturis, ac tandem ex iis, quæ dicunt scripturæ, inferamus, ut ita dicam, confirmationem divinæ veracitatis jam antecedenter probatæ: vel tandem supponamus Scripturam verum asserere, idque ob motiva evidentis credibilitatis, præscindendo a principio, ex quo in Scripturas talis infallibilitas derivatur, nimirum ab ipsa divina veracitate.

Noto 6. me in decursu pro eodem sumpturum & mentiri & dicere falsum; ex afferendis enim patebit distinctionem inter hæc duo ab Olchot admissam futilem esse.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio prima. *Deus per se loquens nec unquam mentitus est, nec de lege ordinaria mentiri potest.*

Prob. ex Scripturis. *Non est* (a) *Deus quasi homo, ut mentiatur . . . . Dixit ergo & non faciet, locutus est & non implebit?* Inquit Christus (b): *Cœlum & Terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Apostolus ait (c): *Est Deus verax, omnis autem homo mendax:* & alibi (d) dicit se *Apostolum secundum Fidem . . . . & agnitionem veritatis . . . : in spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur Deus:* & tandem (e): *Volens Deus ostendere . . . . immobilitatem consilii sui, interpo-*

(a) *Num.* 23. (b) *Matt.* 24. (c) *Rom.* 3.
(d) *Ad Titum* 1. (e) *Heb.* 6.

poſuit juſjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus. Ergo &c.

Prob. ex Patribus. S. Ambroſius (a) *Nunquid nam*, inquit, *mentitur Deus? Sed non mentitur, quia impoſſibile eſt mentiri Deum.* S. Auguſtinus, *Si velint*, inquit (b), *invenire quid Omnipotens non poteſt, ego dicam: mentiri non poteſt*. Chryſoſtomus: *Aliqua*, inquit (c), *Deus non poteſt, utpote fallere, falli, mentiri*. Ergo &c.

Prob. ratione I. Mendacium eſt intrinſece malum, & indecens. Deo ergo repugnat. Præterea veracitas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, & ea poſita Deo fides ſemper ſumma debetur, non poſita non debetur. Ergo &c. II. Qui mentitur nedum exprimit falſum, ſed etiam affirmat ſe falſum ſentire: de conceptu enim locutionis eſt, ut nedum exprimat objectum, ſed etiam mentem loquentis circa illud. Si ergo Deus mentiretur, nedum exprimeret objectum falſum, ſed etiam oſtenderet ſe falſo judicare circa illud. Repugnat autem, quod Deus hoc oſtendat. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. Hæ docent homines aliquando decipi a Deo. Ita dicit Deus (d): *Propheta cum erraverit . . . ego Dominus decepi Prophetam illum*: & de ipſo Deo dicitur (e): *Qui immutat cor Principum . . & decipit eos . . . & errare eos faciet quaſi ebrios*: & Hieremias fatetur (f) ſe a Deo deceptum: *Seduxiſti me, Domine, & ſeductus ſum*: Apoſtolus ait (g): *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*: & alibi (h): *Mittet illis Deus erroris operationem, ut credant mendacio*: tandem ait Deus (i): *Quis decipiet Achab? . . . egreſſus eſt autem Spiritus & ſtetit coram Domino, & ait: ego decipiam illum . . . & ero Spiritus men-*

(a) *Ad Chromar.* (b) *Lib.* 22. *de Civ. Dei c.* 25.
(c) *Homil.* 1. *in Symb.* (d) *Exech.* 14.
(e) *Job.* 12. (f) *Hierem.* 20. (g) *Rom.* 1.
(h) 2. *Theſſ.* 2. (i) 3. *Reg.* 22.

dax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus: decipies & prævalebis; egredere & fac ita. Ergo &c.

℟. Dupliciter aliquem poſse dici ab alio deceptum ſcilicet *poſitive*, & est cum aliquid falsum illi asseritur: & *negative* seu *permiſſive*, cum scilicet aliquod verum illi absconditur, ex quo in alio sequitur error. Primo modo Deus nec decipit, nec decipere potest, utique vero secundo: aliquando scilicet subtraxit auxilium, quo verum cognoscatur, & ideo permittuntur homines falsa cognoscere eo simili modo, quo dicitur Deus corda hominum obdurare, subtrahendo illis auxilium efficax, quo convertantur. Hoc ergo tantum secundo modo dicitur Deus *decipere*, *seducere*, *immittere operationem erroris &c.* Ideo autem hæc Deo tribuuntur, quia Deus, errorem hoc modo permittendo, vult per talem permissionem punitionem creaturæ; vel etiam quia cum ipse sciat & hominem lumine efficaci destitutum fore decipiendum, & Dæmonem non impeditum fore decepturum; privando tali lumine, & Diabolum non impediendo ita influit in deceptionem, ut hæc quodammodo possit dici a Deo immitti, ut venator dicitur immittere canem in leporem per hoc præcise, quod solvat illius catenam, sciens illum ita solutum fore leporem persecuturum. Et hæc quidem responsio valeat pro omnibus adductis textibus. Peculiariter addo circa Hieremiam illum ita loqui, non quia Dominus illum decepisset, sed quia prophetiæ ipsius Hieremiæ non ei cedebant, ut speraverat, cum ipse sperasset se prophetaturum ad Gentes, & non ad Judæos, cum tamen ad Judæos compulsus fuisset prophetare: & se victurum pervicaciam Judæorum, cum tamen ab ipsis multa potius mala pateretur.

Obj. ex ratione I. Potest Deus homini infundere actum vel habitum erroris. Ergo etiam mentiri.

II. Potest Deus etiam posita revelatione E. G. de creando Antichristo illum non creare. Potest ergo falsificari revelatio, sicque Deus mentiri. Ergo &c.

Ad

Ad I. ℟. Divisos esse Theologos circa antecedens. Illud negant plures, quia, inquiunt, Deus tunc mentiretur, quod ex probatis non potest. Quod autem Deus tunc mentiretur, probant ex quo sicuti mentiretur ponendo verba de se inductiva in errorem, ita ponendo immediate vel actum vel habitum erroneum. Et sicuti cum homines loquuntur suggerente Deo, ipse dicitur loqui juxta illud (a): *Dabitur vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*; ita cum homines cognoscunt cognitione a Deo infusa, ipse dicitur hominibus loqui, & consequenter si cognitio hæc erit falsa, Deus dicetur loqui falsum. Præterea, inquiunt isti, si posset Deus infundere homini actum vel habitum erroris, posset etiam infundere actum erroneum reflexum, quod Deus aliquem errorem revelaverit. Hoc autem posito tota nutaret firmitas fidei divinæ. Addunt Deum in casu dicendum deceptorem & impostorem quæ omnia sunt absurda. Et tandem dicunt, quod sicuti Deus non potest directe velle in creatura peccatum, ita nec errorem.

Alii tamen distinguentes inter errores pertinentes ad Fidem & mores, & errores non sic pertinentes, asserunt non posse quidem Deum priores infundere, posse vero posteriores; nam isti non sunt malum hominis morale, sed physicum, quod Deus potest velle, ut potest velle mortem, cæcitatem &c., unde sicuti felicitati Dei non repugnat velle infelicitatem hominis, nec vitæ Dei velle hominis mortem, ita nec sapientiæ & veracitati Dei velle hominis errorem. Præterea actus erroris aliquando causatur a Deo in homine, cum scilicet hic ex complexu causarum secundarum necessariarum in errorem inducitur; Deus enim, qui est causa istarum causarum & cursus illarum, est etiam causa effectuum ab ipsis provenientium. Ergo &c. Hinc

(a) *Matt.* 10.

Hinc dicunt isti Deum in casu non mentiturum, quia ista infusio erroris nec virtualiter esset locutio, quia in casu non exprimeret Deus mentem suam circa objectum falsum, cum tamen ex dictis expressio mentis loquentis ad locutionem requiratur. Unde patet disparitas inter verba de se inductiva in errorem, & actum vel habitum erroris, quem Deus alicui infunderet; nam verba nedum testificantur objectum tale esse, sed etiam tale cognosci a proferente, quod, si objectum tale revera non esset, respectu Dei esset impossibile: alia vero versantur quidem circa objectum, quod tale non est, quale exhibetur, sed nihil præterea; unde non repugnat Deum ista ponere. Rursus, inquiunt, disparitas est inter Deum suggerentem homini quid debeat loqui, & Deum illi infundentem habitum erroris; in primo enim casu Deus ipse loquitur, unde non potest falsum asserere, secus ex dictis in secundo. Errorem porro illum, pergunt isti, reflexum, de quo supra, per se loquendo posset Deus infundere absque mendacio, sed cum sequeretur tunc aliud inconveniens, quod scilicet non posset tuto discerni vera Dei locutio a falsa, ideo ex hoc capite hujus erroris infusio repugnat. Posito autem quod Deus aliquem errorem infunderet, impostor & deceptor dici non posset, quia ex dictis non mentiretur. Tandem, inquiunt, non potest Deus directe velle peccatum in creatura, quia tunc ipse peccaret, cum peccet ille, qui directe vult peccatum. At non erraret per hoc, quod vellet errorem, neque aliud ex hoc inconveniens sequeretur. Ergo &c.

Igitur juxta posteriorem hanc sententiam conceditur antecedens, & negatur consequentia; nam pro infusione erroris ex dictis non militant motiva, quæ militant pro mendacio. Ex his porro sententiis elige quæ magis arridet, & responde juxta illam.

Ad II. ℟. Posita revelatione Dei de creando Antichristo remanere quidem in ipso potentiam antecedentem ad non creandum, sed non potentiam ad conjungendam non creationem cum revelatio-

ne

ne jam facta, quæ ſupponit Antichriſtum creandum, cum repugnet Deum poſſe non creare in ſuppoſitione, quod ſit creaturus. Ergo &c. Adde quod ſi valeret argumentum, poſſet etiam ſic retorqueri: poteſt Deus etiam poſita ſcientia E. G. de futura creatione Antichriſti illum non creare. Poteſt ergo falſificari divina ſcientia. Hoc non. Ego nec primum.

Assertio secunda. *Nec unquam mentitus eſt Deus, nec de lege ordinaria mentiri poteſt etiam cum loquitur per alios.*

Prob. Ex prima aſſertione Deus nec mentitus eſt, nec de lege ordinaria mentiri poteſt cum loquitur per ſe. Ergo nec cum loquitur per alium. Prob. conſequentia. Eadem eſt utrobique ratio; nam Deus tam loquitur, cum id facit per ſe, quam cum id facit per alium, juxta illud (a): *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio*. Ergo &c.

Assertio tertia. *Nec extraordinarie Deus mentiri poteſt.*

Prob. ex Scripturis & Patribus I. Eodem modo in Scripturis & a Patribus dicitur Deum non poſſe mentiri, quo dicitur eum non poſſe mori, non poſſe mutari (conferantur ſimul loca ſupra adducta, quibus hæc omnia probata ſunt). Atqui Deus nec extraordinarie mori, aut mutari poteſt. Ergo a pari &c.

II. Poſtquam dictum eſt *Deum non mentiri*, ſubditur: *Dixit ergo, & non faciet, loquutus eſt, & non implebit?* Quod perinde eſt ac ſi dicatur: ex quo Deus non mentiatur, ſequitur ipſum facturum eſſe, quod ſe facturum dixit. Hæc autem conſequentia non valeret, ſi poſſet extraordinarie mentiri; nam tunc Deus poſſet non facere, quod dixit ſe facturum.

III.

(a) *Heb.* 1.

III. Apostolus ostendit spem nostram esse firmam ex quo nitatur veracitati & fidelitati Dei. Hæc autem ratio non valeret, nisi Deo impossibile esset etiam extraordinarie mentiri; nam semper posset dubitari, an Deus loquens & promittens mentiretur. Ergo &c.

Prob. ratione supra adducta pro prima assertione. Nam mendacium est intrinsece malum. Deo ergo in quacumque providentia repugnat. Veracitas est perfectio simpliciter simplex. Deo ergo in quacumque providentia convenit. Ergo &c.

Assertio quarta. *Quæ dicta sunt in tertia assertione proportionaliter valent etiam contra sententiam Olchot.*

Prob. I. Si non valerent, maxime quia aliud esset dicere falsum, aliud mentiri. Sed hæc ratio nulla est; nam ex supra visis mendacium est quæcumque expressio falsi contra judicium mentis. Ergo &c. II. Sententia Olchot verbis tantum non rediscrepare videtur ab errore Priscillianistarum & Armenorum; ipsi enim nomine mendacii nihil aliud intelligebant, nisi expressionem falsi. Si ergo & Olchot concedit posse falsum a Deo asseri, quamvis nolit ipsum posse mentiri, verbis non re ab illis discrepat.

Obj. Expressio falsi potest a malitia depurari, si nimirum fiat ab eo, qui habet jus decipiendi hominem, qualis est Deus. Hoc autem casu falsi expressio non est mendacium, cum nomine mendacii veniat tantum deceptio injusta. Sicuti ergo ex quo E. G. occisio hominis potest a malitia depurari, si nimirum fiat a Deo jus habente in vitam hominis (quo casu non dicitur homicidium; nam nomine homicidii venit injusta hominis occisio,) sequitur posse hominem occidi a Deo, quamvis ipse non possit homicidium patrare; ita poterit Deus falsum asserere, quamvis non possit mentiri.

R. Quod etsi Deus habeat jus decipiendi hominem modo tamen supra explicato, idest vel permittendo deceptionem, vel infundendo actum aut habitum erroris, aut alio modo simili, non tamen

po-

potest decipere falsum exprimendo; modus enim hic est ita intrinsece malus, ut nunquam possit depurari a malitia; semper enim (præter rationes supra assignatas) in dedecus loquentis cedit, quod non mereatur fidem, sicuti non meretur, quando falsum possit asserere. E contra occisio hominis cum eatenus sit mala, quatenus est contra jus Dei & Reipublicæ & ipsius hominis in vitam propriam, si nullum ex his juribus lædatur (ut potest non lædi tum in casu in objectione adducto, tum etiam in aliis similibus, veluti cum reus occiditur a Judice, vel cum quis alium occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ), amittit talis occisio inordinationem, adeoque licite potest exerceri. Ergo &c.

CAPUT SECUNDUM.

De miraculis prout referuntur ad veracitatem Dei.

CUM miracula a Patribus & Theologis communiter agnoscantur ut confirmationes divinarum locutionum, præstat nunc examinare quæ ad eadem miracula spectant, prout referuntur ad divinam veracitatem. Præmittam ergo 1. notatu digna circa præsentem quæstionem: 2. assertiones statuam & vindicabo.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. *miraculum* esse effectum superantem vires causarum naturalium. Hæc miracula possunt esse talia & quoad substantiam & quoad modum tantum. Priora sunt, quæ in se spectata nullo modo possunt produci naturæ viribus, talis esset resuscitatio mortui: alia, quæ aliquo modo possent ab agente naturali produci, sed tali modo hic & nunc producuntur, qui vim naturæ superant. Talis esset sanatio infirmi per verba & in instanti.

Noto 2. miraculum non posse patrari nisi a Deo ut causa principali; solus enim Deus est ex se supra vires naturæ. Potest tamen tanquam a causa mi-

minus principali patrari a creatura, si virtutem supernaturalem illi Deus concedat.

Noto 3. posse miraculum patrari vel in confirmationem divinæ locutionis, vel ad alium finem. De posterioribus non est cur hic disputem. Loquendum solum de prioribus. Circa hæc quæ debent inquiri ad rem præsentem, sunt primo an Deus possit patrare miracula confirmativa falsi, secundo an possit permittere, ut illa patret ad talem confirmationem creatura.

Noto 4. circa primum ex duobus propositis distinguendas esse duas quæstiones, scilicet an Deus possit ita adhibere miraculum, ut eo tanquam sigillo velit roborare attestationem circa falsum: & an Deus possit patrare miraculum ad alium quidem finem, sed ex quo tamen creatura per accidens inducatur in cognitionem falsi. Qui stant pro absoluta Dei impotentia ad mentiendum, communiter asserunt Deum non posse patrare miraculum ea intentione, ut falsum confirmet. Certum pariter videtur posse a Deo patrari miraculum, ex quo creatura inducatur per accidens in cognitionem falsam. Circa secundum est controversia. Docent alii posse Deum concedere creaturæ potestatem miraculorum & permittere, ut ea abutatur, sicque permittere, ut patret miraculum in confirmationem falsi: alii id negant: alii tandem concedunt id absolute fieri posse, dicunt tamen in præsenti providentia non posse.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio prima. *Non potest Deus patrare miraculum ea intentione, ut confirmet attestationem falsam.*

Prob. Si hoc faceret Deus, mentiretur. Ergo &c. Prob. antecedens. Ita se haberet Deus in casu, ac qui sigillo suo vellet roborare falsitatem. At iste in casu mentiretur. Ergo &c.

Obj I. Potest ex dictis Deus infundere homini actum vel habitum erroris. Ergo potest etiam falsum miraculo comprobare.

II. Po-

II. Potest Deus infundere actum vel habitum erroris. Ergo potest etiam hunc actum vel habitum miraculo confirmare. Eo ipso miraculo falsum attestari potest. Ergo &c.

℟. Ad I. negando consequentiam. Disparitas est, quod in priore casu nihil Deus attestetur: secus in secundo.

Ad II. ℟. Concesso primo enthymemate, negando subsumptum; nam sicuti per hoc, quod Deus infundat actum vel habitum erroris, non ipse loquitur, adeoque non indicat errorem esse in mente sua, ita nec cum actum vel habitum hujusmodi miraculo confirmat. At Deus loqueretur, si directe miraculo falsum attestaretur. Ergo &c.

Assertio secunda. *Potest Deus patrare miraculum ad alium finem præter confirmationem falsi, quo tamen posito creatura per accidens sive ex malitia, sive ex ignorantia decipiatur, & in cognitionem falsi inducatur.*

Prob. Suppone E. G., quod Christus, cum aquam in vinum convertit occasione nuptiarum Canæ Galileæ, id fecisset ad ostendendum Mariam, quæ de hoc illum rogaverat, esse vere suam Matrem; poterat aliquis sive ex malitia, sive ex ignorantia, vel sibi, vel alteri ex tali miraculo suadere Mariam utpote Matrem Dei esse Deam. Ergo &c.

Assertio tertia. *In præsenti providentia nequit creatura patrare miraculum in confirmationem falsi.*

Prob. ex Scripturis. I. hæ docent miracula nunc inservire ad probandam veritatem Religionis nostræ. Hinc dicebat Christus: (a) *Opera, quæ ego facio testimonium perhibent de me*: & alibi: (b) *Ut sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*: rursus (c) *Propter opera ipsa credite*: rursus di-

ci-

(a) *Jo.* 5. (b) *Matt.* 9. (c) *Jo.* 14.

citur: (a) *Prædicaverunt* (Apostoli) *ubique Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis*; & Apostolus ait: (b) *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum ab iis, qui audierunt, in nos confirmata est contestante Deo signis & portentis & variis virtutibus?* Ergo miracula non possunt nunc patrari in confirmationem falsi, alias ex illis Religionis veritas non probaretur. II. ex adductis locis constat etiam ratio a priori assertionis: nam miracula dicuntur testimonia in præsenti providentia a Deo adhibita, ut ostendat mentem suam. Ergo nequit his falsum confirmari.

Prob. ex Patribus & Theologis, qui communissime miracula assumunt ut fortissimum motivum, quo ostendant veritatem Religionis nostræ, quale non essent ex dictis, si possent in præsenti providentia patrari in confirmationem falsi. Hinc recte dicebat Augustinus: (c) *Habent* (miracula) *si intelligantur, linguam suam*. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis I. Ex his constat Dæmones non cognovisse certo divinitatem Christi; nam si hanc certo cognovissent, nec Christum provocassent ad peccandum, quia scivissent peccatum illi esse impossibile, nec Judæos in Christum commovissent, quia scivissent per mortem ipsius destruendum ipsorum regnum. Agnovissent autem, si miracula in præsenti providentia non possent patrari in testimonium falsitatis; nam ipsi optime sciebant plura fuisse patrata miracula in confirmationem divinitatis Christi. Ergo &c.

II. Ex his constat plura fuisse patrata miracula a Magis Pharaonis, plura etiam patranda ab Antichristo in confirmationem falsitatis. Ergo &c.

℟. ad

(a) *Marc. ultim.* (b) *Heb.* 2.
(c) *Tract.* 14. *in Jo.*

℟. ad I. Dæmones utique potuiſſe abſolute cognoſcere ex miraculis divinitatem Chriſti, ſed de facto non cognoviſſe impediente Deo talem cognitionem vel per hoc, quod voluerit, ut dubitarent utrum miracula vera eſſent, an tantum apparentia, vel per hoc, quod voluerit, ut ignorarent illa eſſe aſſumpta ad conteſtandam divinam mentem, vel alio ſimili modo. Hinc docet S. Thomas (a) Diabolum multa poſſe virtute ſua, quibus tamen virtute divina prohibetur.

Ad II. ℟. quæ facta fuerunt a Magis Pharaonis, vel fient ab Antichriſto, non fuiſſe vel futura eſſe vera miracula, ſed tantum apparentia & præſtigia, qualia profecto & agnoſci potuerunt, & reſpective poterunt ex circumſtantiis. Ergo &c.

Obj. ex ratione I. Falſum eſt, quod miracula a Deo adhibeantur in præſenti providentia ut atteſtationes divinæ mentis; ſi enim ſic adhiberentur, jam ingrederentur objectum formale Fidei, ſicuti ingreditur divina revelatio. Hoc non; nam communiter miracula conſiderantur, ut conditiones extrinſecæ, ut ſunt alia motiva evidentis credibilitatis. Ergo &c.

II. Etſi miracula adhiberentur a Deo ad teſtificandam propriam mentem, poteſt tamen creatura habens donum miraculorum illis uti ad teſtificandum falſum: quomodo etſi Rex utatur proprio ſigillo ad teſtandam mentem ſuam, poteſt tamen cuſtos ſigilli ex malitia eo uti ad teſtificandum aliquid contra mentem ipſius Regis. Ergo &c.

℟. ad I. miracula conſiderata antecedenter ad Fidem, qua credatur Scripturis docentibus ipſa aſſumi a Deo tanquam teſtificationes propriæ mentis, eſſe utique meras conditiones extrinſecas reſpectu Fidei, at conſiderata conſequenter ad talem Fidem ingredi objectum Fidei formale.

Ad

(a) 3. *P. quæſt. 29. art. 1. ad 3.*

Ad II. ℟. non posse in præsenti providentia crearuram sic abuti potestate patrandi miracula. Nec valet adducta paritas; nam potest custos sigilli illo abuti inscio & nolente Rege; non potest tamen creatura inscio & nolente Deo abuti potestate patrandi miracula. Ergo &c.

Assertio quarta. *Posset absolute loquendo, & in alia providentia creatura patrare miraculum in confirmationem falsi.*

Prob. I. Potest Deus conferre creaturæ potestatem patrandi miracula, qua ipsa creatura pro arbitrio utatur. Si creatura ea abutatur ad confirmandum aliquem errorem, en quod creatura miraculum patrabit in confirmationem falsi. Ergo &c. Et sane sicuti contulit Deus Sacerdoti potestatem consecrandi Eucharistiam, qua potestate uti potest Sacerdos ad malum finem, ita non est cur Deus non possit concedere alicui facultatem patrandi miracula, qua iste abutatur ad finem confirmandi errorem. II. Si aliqua esset ratio, cur Deus hoc non posset permittere creaturæ, esset quia ipse in casu videretur miraculo falsum testari. Sed hæc ratio nulla est; nam miraculum ex se & necessasio non est testificatio divinæ mentis, cum ex dictis possit etiam patrari ad alium finem, sed solum tale est, si ad id libere assumatur a Deo. Si ergo in alia providentia ita a Deo non assumeretur, non testificaretur divinam mentem, adeoque &c.

Obj. ex ratione. Si staret assertio, non posset ex miraculis probari Infideli Religionis veritas; nam posset Infidelis respondere miracula posse patrari etiam in confirmationem falsi. Nec valet dicere hoc fieri non posse in præsenti providentia; nam quod hoc non possit fieri in præsenti providentia solum constat ex principiis Fidei, quæ in casu non possunt adhiberi, cum agatur de Infideli convertendo ad Fidem, adeoque nondum assentiente talibus principiis. Ergo &c.

℟. quod, licet absolute loquendo possint miracula patrari in confirmationem falsi, adhuc possumus ex miraculis ostendere Infideli veritatem

nostræ Religionis. Nam primo inverisimile est, quod Deus sciens vim maximam, quam habent miracula ad suadendum id, in cujus attestationem fiunt, permiserit tot & tanta miracula fieri, ex quibus non unus homo aut pauci, sed omnes fere homines in errorem inducerentur, præcipue cum hic error esset maximus utpote versans circa Religionem, & inducens homines ad credendam & venerandam veram divinitatem in Christo, quæ si in illo non esset nefandissimæ Idololatriæ crimine ipsi polluerentur. Secundo miracula facta esse non in confirmationem falsi, sed veri ostendit sanctitas vitæ illorum, qui hæc patrarunt. Inverisimile enim est, quod omnes illi, qui miracula patrarunt, sanctissimi profecto viri ea patraverint in confirmationem falsi: præcipue cum plerique illorum atrocissima supplicia & mortem subierint pro defensione eorum, quæ ut confirmarent, miracula patrarunt. Tertio ea miracula non esse patrata in confirmationem falsi etiam independenter a principiis Fidei potest Infideli ostendi, ex quo nulla poterit ipse assignare miracula in confirmationem falsi patrata, quod sane indicium est nec miracula nostra in confirmationem falsi fuisse patrata. His omnibus addendum, quod probatio, quæ ex miraculis ad convincendum Infidelem deducitur, debet coassumi cum omnibus aliis motivis evidentis credibilitatis, & sic sumpta non inducit nisi moralem de veritate Religionis certitudinem, sufficientem tamen, ut possit & debeat Infidelis hanc Religionem amplecti. Sed de his redibit sermo in Tractatu de Virtutibus Theologicis.

DIS-

DISSERTATIO IV.

De Voluntate Dei.

DIssertationem hanc in septem capita divido. In 1. notionem exhibebo divinæ voluntatis: in 2. agam de libertate Dei: in 3. examinabo utrum Deus necessitetur ad optimum: in 4. agam de illius providentia: in 5. examinabo utrum Deus velit omnes homines salvos fieri: in 6. agam de prædestinatione: in 7. de reprobatione.

CAPUT PRIMUM.

Notio exhibetur Divinæ Voluntatis.

INdicabo, 1. quid sit divina voluntas, 2. quotuplex sit.

ARTICULUS PRIMUS.

Nomine *divinæ voluntatis* aliquando in Scripturis venit facultas, quæ in Deo est, volendi, aliquando ipsius facultatis actus. De voluntate primo modo accepta loquitur Apostolus inquiens: (a) *Prædestinavit nos . . . . secundum propositum voluntatis suæ*, & S. Petrus, (b) ubi inquit: *Si voluntas Dei velit*. De voluntate sumpta secundo modo sermo est illis verbis: (c) *Fiat voluntas tua:* & (d) *Reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens.* De spectantibus ad divinam voluntatem primo modo

(a) *Ephes.* 1. (b) 1. *Pet.* 3.
(c) *Matt.* 5. (d) *Rom.* 12.

do consideratam nunc agam, acturus in sequentibus de spectantibus ad illam consideratam secundo modo.

Sicuti ergo in Deo est intellectus, qui est veluti potentia, a qua omnis divina intellectio emanat, sic est etiam voluntas, a qua tanquam a potentia omnis divina volitio procedit. Hoc præter adducta superius Scripturarum loca suadet ratio; nam voluntas ita inspecta est perfectio simpliciter simplex. Ergo in Deo necessario admittenda.

Objectum divinæ voluntatis duplex est *materiale* & *formale*: materiale est id, in quod tendit: formale est ratio, ob quam tendit. Cum autem ratio, ob quam divina voluntas tendit in objecta, sit bonitas; ideo quæcumque habent in se bonitatem aliquam, erunt objecta divinæ voluntatis. (Patet hic me loqui de objecto, quod voluntas prosequitur; ab aliquibus enim quandoque refugit, ut E. G. a malo, quæ non possunt illius objecta dici nisi improprie.) Cum autem ipse Deus sit majus excogitabile bonum, ideo ipse est objectum præcipuum suæ voluntatis: omnia vero alia præter Deum, sive sint existentia actualiter, sive tantum possibilia, erunt objecta secundaria, cum & ipsa aliquam semper in se contineant bonitatem.

ARTICULUS SECUNDUS.

Divina voluntas secundo modo considerata multipliciter a Theologis dividitur, & I. in *voluntatem beneplaciti*, & in *voluntatem signi*. Prima est ipse actus formalis & internus divinæ voluntatis: altera est signum extrinsecum ejusdem actus: ut E. G. cum Deus prohibet peccatum, habetur actus internus voluntatis Dei, quo vult, ut non peccemus, & hæc est voluntas beneplaciti, & habetur exterior significatio ejusdem actus consistens in prohibitione, & hæc est voluntas signi. Hæc autem signa hoc versiculo solent comprehendi.

„ *Præcipit, aut prohibet, permittit, consulit, implet.*

Recte tamen notant aliqui, Deum per signa non semper significare quod primo aspectu velle videtur, sed quandoque aliquid aliud, quod exemplo illustrant præcepti facti Abrahamo, ut sacrificaret Isaac; hoc enim præceptum non denotabat voluntatem, quæ esset in Deo, ut revera Isaac immolaretur, sed solum ut Abraham esset & ostenderetur divinis mandatis obediens.

II. Dividitur in *absolutam* & *conditionatam*. Prima est, quæ ab omni conditione est independens, talis est voluntas, quam habuit Deus de condendo mundo. Secunda est quæ, ut impleatur, aliquam requirit conditionem, ut est voluntas, quam habet Deus salvandi omnes homines; hæc enim non implebitur nisi dependenter ab ipsorum cooperatione.

III. Dividitur in *antecedentem* & *consequentem*. Prima est, qua Deus aliquid vult ex se nulla ad id volendum ratione inductus ex parte creaturæ, ut voluntas, quam habuit creandi mundum. Secunda qua Deus quidpiam vult aliqua ad id volendum ratione inductus ex parte creaturæ, ut est voluntas puniendi hunc vel illum peccatorem. Hæc divisio magnam cum priore affinitatem habet.

IV. Dividitur in *efficacem* & *inefficacem*. Prima est quæ effectum consequitur: secunda quæ non consequitur. Prioris exemplum est voluntas, quam habuit Deus de creando mundo, posterioris exemplum est voluntas, quam habet salvandi illos, qui de facto damnantur; licet enim ipse vellet eos salvare, illi tamen salvari nolunt, adeoque voluntas Dei frustratur.

Quo loco cavendum, ne voluntas inefficax confundatur cum *voluntate otiosa*, sive cum *simplici velleitate*; hæc enim habetur, cum habetur leve quoddam desiderium, sed non tale, ut desiderantem inducat ad ponenda media, quibus obtineatur effectus desideratus. Licet autem hæc voluntas de se sit inefficax, scilicet se sola spectata non sit effectum consecutura, adhuc tamen voluntas potest esse inefficax ex alio capite; fieri enim potest, ut voluntas ex se sit sincera & operatrix,

quæ

quæ determinet volentem ad ponenda media pro effectu obtinendo,nec tamen obtineat ex aliis causis. Voluntatis otiosæ potest esse exemplum illa, quæ in magnis peccatoribus subinde reperitur, salutem æternam consequendi; nam plerumque non adhibent media ad salutem consequendam necessaria. Voluntatis inefficacis quidem, sed sinceræ, seriæ, & operatricis exemplum suppeditat ægrotus, qui cupiens sanari vocat medicos, adhibet medicinas, sumptibus non parcit, sed tamen superante vi morbi vim medicamentorum moritur; hujus enim voluntas, ut patet, est quidem inefficax, non est tamen otiosa, nec simplex velleitas, cum per hanc determinetur ad ponenda media necessaria pro salute obtinenda. Ex quo patet omnem velleitatem seu voluntatem otiosam esse quidem ex se inefficacem, sed non omnem voluntatem inefficacem esse otiosam seu simplicem velleitatem.

Cum igitur dico voluntatem, quam habet Deus salvandi reprobos, esse inefficacem, non tamen dico esse otiosam, vel simplicem velleitatem; nam Deus etiam illis suppeditat media, quibus salvari possint. Hæc notasse præstat pro intelligentia eorum, quæ infra dicentur, ubi ex professo de voluntate, quam habet Deus omnes homines salvandi, fiet sermo.

Voluntas autem efficax ab aliquibus non incongrue dividitur in *efficacem absolute*, & in *efficacem conditionate*. Illa est, qua Deus aliquid efficaciter vult independenter ab omni conditione, cujus exemplum potest esse, quod superius allatum est de voluntate creandi mundum; hæc, qua Deus vult quidem aliquid efficaciter, sed dependenter a conditione, quæ tamen de facto ponetur, ut esset voluntas, quam habet Deus salvandi adultos prædestinatos; hæc enim dependet quidem a meritis ipsorum, sed tamen, cum hæc merita sint de facto ponenda, ideo hæc voluntas implebitur.

His divisionibus positis facile conciliantur Scripturarum loca, quæ modo asserunt voluntatem Dei semper impleri, modo asserunt illam non semper impleri. Cum enim primum dicit Scriptura, ut

quando dicitur (a): *Num Dei possumus resistere voluntati?* & rursus (b): *Non est, qui possit tuæ resistere voluntati*, sermo est de voluntate Dei absoluta & efficaci. Cum autem dicitur alterum, ut quando dicitur (c): *Mundare te volui, & non es mundata a sordibus tuis*, & alibi (d): *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* sermo est de voluntate Dei conditionata & inefficaci.

V. Divina voluntas dividitur in *necessariam* & *liberam*. Illa est, qua Deus ita in objectum fertur, ut non possit non ferri. Hæc est, qua ita in objectum fertur, ut possit etiam non ferri. Sed quoniam explanatio hujus divisionis ex iis pendet, quæ solent tradi a Theologis circa libertatem Dei, ideo ad ea exponenda transitum facio.

CAPUT SECUNDUM.

De Libertate Dei.

PRobabo 1. in Deo esse libertatem: 2. agam de modo illam explicandi.

ARTICULUS PRIMUS.

In Deo esse libertatem tum Scriptura ostendit, tum ratio. Scriptura quidem; nam dicitur (e): *Deus ultionum libere egit:* rursus (f): *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult:* tandem (g): *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat*. Ratio autem; quæ enim esset perfectio Dei, si nihil posset pro libito agere, sed omnia deberet agere necessario? Hinc turpiter errarunt antiqui illi Philosophi, qui negaverunt Deum esse liberum.

Cum

(a) *Genes.* 50. (b) *Esther* 13. (c) *Ezech.* 24. (d) *Matt.* 23. (e) *Psalm.* 93. (f) 1. *Cor.* 12. (g) *Rom.* 9.

Cum autem dico Deum esse liberum, non id est intelligendum relate ad omnia objecta, nec libertate simili illi libertati, quæ est in nobis. Non enim Deus est liber in iis, quæ ad semetipsum essentialiter spectant, ut ad vivendum, vel ad non vivendum, ad se amandum, vel non amandum: nec est liber ad amandas creaturas amore simplicis complacentiæ, cum non possit illi non placere ea quæcumque bonitas, quæ in ipsis reperitur. Est vero liber ad eas amandas amore efficaci, ut ad dandam illis existentiam, vel non dandam. Est pariter liber in ordine ad ea, quæ spectant quidem ad seipsum, sed tantum accidentaliter, ut in ordine ad volendam gloriam suam accidentalem, & ad illam uno potius modo volendam, quam alio, ut etiam constabit ex iis, quæ ex professo infra dicentur.

Rursus non est Deus liber libertate simili illi libertati, quæ in nobis reperitur; in nobis enim libertas cum aliquibus imperfectionibus est conjuncta, a quibus est immunis in Deo. In nobis E. G. est ad opposita objecta, ita ut possimus velle & bonum & malum: in Deo non item; ipse enim mala (subintellige culpæ) velle non potest. In nobis exercitium libertatis fit per plures actus, quorum uno tendimus in unum objectum, altero in alterum; in Deo non item, qui per unum & simplicissimum actum omnia vult. In nobis hoc exercitium est successivum; modo enim volumus unum, modo non volumus, vel volumus alia: non sic Deus, cujus libertatis exercitium nullam mutationem in ipsum inducit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Libertas Dei potest spectari tum quoad potentiam (agendi scilicet & non agendi,) tum quoad actum (qui scilicet ita est, ut possit etiam non esse.) Potentia (relate ad objecta, de quibus articulo superiore) est Deo essentialis, cum ex dictis sit perfectio simpliciter simplex. Actus vero, ut patet, non est. Libertatem actus hic cona-

bor explicare, in qua explicanda stat præcipua difficultas & quidem talis, ut fatendum sit hoc unum esse ex magis implexis punctis theologicæ facultatis. Hoc autem puncto quantum fieri potest enodato facile erit explicare libertatem Dei quoad potentiam. Sit ergo.

Assertio. *Libertas actus divini videtur explicari posse per hoc, quod actus hic, licet quoad entitatem suam identificatus cum ipso Deo, adeoque juxta hunc respectum non potens non esse, quoad tendentiam tamen in objecta ipsi Deo extrinseca (proportionaliter ad dicta articulo superiore) potuerit non esse.*

Prob. & explicatur assertio. In Deo est unicus simplicissimus actus cum ipso identificatus, qui tamen habet plures tendentias, ita ut quod convenit illi secundum unam tendentiam, non conveniat secundum alteram. Ita E. G. idem actus divinus, prout tendit in objectum intelligibile, dicitur actus intellectus, non voluntatis: prout in objectum volibile, dicitur actus voluntatis, non intellectus. Ita etiam idem actus amoris divini, prout tendit in ipsum Deum, est summus qui haberi possit, prout tendit in creaturas, non est; non enim Deus æqualiter amat seipsum & creaturas. Nil igitur mirum si actus divinus, prout tendit in ipsum Deum, non potuerit non esse, prout tendit in res extra Deum (modo supra explicato) potuerit. Quod tandem importat, ut entitas quidem actus non potuerit non esse, sed potuerit non esse ipsius tendentia in objecta Deo extrinseca.

Nec est novum, quod alicujus rei entitas non possit non esse, etiam cum potest non esse ipsius tendentia. Tres assigno casus, quibus id accidit. Primum accipe. Entitas coexistentiæ, quam habet Deus mecum, ex parte Dei est cum ipso identificata, alias plura in Deo admitterentur realiter distincta. Non ergo ex parte Dei potuit non esse: & tamen tendentia hujus coexistentiæ in me, seu respectus ad me potuit non esse; nam ego potui non esse, adeoque potuit non esse coexistentia Dei mecum. Secundus sit. Entitas modorum, sive acciden-

dentium modalium (ut E. G. est sessio, ambulatio &c. respectu hominis) in probabiliore sententia non est a re modificata-distincta realiter (quod suppono constare ex metaphysicis). Res ergo non potest esse sine illa, sicque homo non potest esse sine entitate sessionis, ambulationis &c., & tamen potest esse sine tendentia actuali, seu actuali exercitio ejusdem modi, sicque homo potest esse absque eo quod sedeat, ambulet &c. Tertius sit. Entitas actus voluntatis meæ est cum ipsa voluntate identificata (si enim esset distincta, jam voluntas deberet hanc entitatem velle per alium actum, & entitatem hujus per alium, & sic in infinitum;) consequenter voluntas mea non potest esse sine illa, & tamen potest esse sine actuali tendentia in objectum. Ergo a pari &c.

Obj. ex ratione. Vel explicatur libertas Dei per actum divinæ voluntatis spectatum quoad entitatem, vel quoad tendentiam: non primum, quia sic actus est necessarius non liber: non secundum: nam vel hæc tendentia est aliquid intrinsecum ipsi Deo, & sic est necessaria, non libera, vel est aliquid extrinsecum, & sic facimus divinam libertatem consistere in aliquo extrinseco, adeoque esse Deo extrinsecam. Ergo &c.

℟. Libertatem Dei explicari per utrumque simul, scilicet per entitatem actus & per ipsius tendentiam, requiritur scilicet & entitas actus & ipsius tendentia in objecta creata Entitas utique est Deo identificata, adeoque necessaria, & intrinseca: tendentia vero non est Deo intrinseca & identificata, nisi secundum unum respectum, idest si consideretur quoad principium; nam sic nihil tandem est nisi actus: talis autem non est si consideretur quoad terminum, scilicet quoad creaturas. Ex quo non sequitur, quod libertas sit aliquid Deo extrinsecum, sed solum quod intelligi non possit, nisi per connotationem ad terminum extrinsecum.

CAPUT TERTIUM.

Utrum Deus necessitetur ad optimum.

CAput hoc subnecto capiti de divina libertate; solutio enim propositæ quæstionis ea confirmabit, quæ supra sunt statuta de divina libertate.

Adnotabo ergo 1. necessaria ad intelligentiam quæstionis: 2. assertionem statuam & vindicabo.

ARTICULUS PRIMUS.

Operatio optima dupliciter intelligi potest *negative* & *positive*. Prima est, quæ fit absque ulla inordinatione, malitia, imprudentia, aut alia imperfectione. Altera & ipsa dupliciter potest intelligi; nam potest esse optima *ex parte substantiæ*, & *ex parte modi*. Operatio positive optima ex parte substantiæ est, quæ est melior ipsa, quam non ipsa, aut ejus opposita: operatio optima ex parte modi est quæ, vel in se sit optima, vel non sit, fit tamen optimo modo, idest eam referendo ad finem ultimum optimum, & cum electione mediorum magis aptorum ad finem intermedium taliter vel taliter intentum obtinendum, & cum directione horum mediorum ad eosdem fines.

Deum necessitari ad optimum negative certum est apud omnes, cum ipse imperfecte non possit operari. Certum est pariter Deum necessitari ad optimum positive quoad modum, cum non possit non dirigere omnes operationes suas ultimate ad seipsum, qui est optimus finis, & non possit proposito sibi aliquo determinato fine intermedio & quidem taliter vel taliter assequendo, non eligere media opportuniora ad illum sic assequendum, illaque ad talem finem non dirigere. Certum pariter est apud omnes Deum ad optimum positive quoad substantiam non necessitari necessitate aut metaphysica, aut physica.

De necessitate morali ad optimum quoad substantiam est controversia; contendunt enim plures

res talem in Deo esse inclinationem ad ponendum optimum, cum potest poni, ut, licet absolute posset non ponere, moraliter tamen sit impossibile, ut non ponat. Dixi *cum optimum poni potest*; aliqua enim sunt, in quibus ita proceditur in infinitum, ut nunquam ad optimum possit deveniri, ut esset E. G. in numero individuorum ejusdem speciei, qui numerus nunquam tantus est, ut non possit Deus illum augere. In similibus autem concedunt isti Auctores Deum non necessitari ad optimum, imo impossibile esse, ut optimum ponat; nam sic limites assignarentur divinæ potentiæ. Volunt ergo Deum ad optimum necessitari in iis solum, in quibus optimum assignabile est, ut esset creatio mundi & non creatio, Incarnatio & non Incarnatio &c. Hanc moralem necessitatem plures alii negant, & cum istis sum.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *Nec moraliter Deus necessitatur ad optimum.*

Prob. I. Quamvis in se Deus sit optimus, cum tamen talis sit essentialiter, non vero talis evadere debeat per operationes suas (secus ac nobis contingat, quibus perfectio est accidentalis & ab operationibus repetenda, unde quo major est operationum nostrarum perfectio, eo major est perfectio nostra, eo minor, quo minor,) vel bene operetur vel melius, nihil ei additur, vel ab eo detrahitur perfectionis. II. Admissa in Deo necessitate morali ad optimum, remanet quidem absolute in ipso libertas, cum nulla sit necessitas metaphysica, aut physica, sed remanet ita debilitata, ut non videatur sufficienter salvari conceptus ille libertatis, qui eruitur ex sensu omnium ita Deum constituentium liberum, ut ex mero suo arbitrio & mera electione voluntatis operetur in iis, ad quæ liber dicitur. Ergo &c.

Obj. ex Patribus. Hi docent Deum semper operari meliora. Unus sufficiat pro omnibus S. Au-

gustinus, qui inquit (a): *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum tanquam bonorum omnium conditorem*: & alibi (b): *Usque adeo desipiendum est, ut homo videat melius aliquid fieri debuisse, & hoc Deum vidisse non putet, aut putet vidisse, & credat facere noluisse, aut voluisse quidem, sed minime potuisse?* Ergo &c.

℟. Patres ideo hæc asserere, quia operationes Dei sunt semper optimæ & negative & positive quoad modum, ut supra est explicatum.

Obj. ex ratione. I. Deus necessario amat se ipsum maximo amore possibili. Ergo necessario debet velle maximam gloriam suam, consequenter debet velle optimum, quod istam majorem gloriam promovet: quod confirmari potest exemplo Sanctorum, qui, quo magis amant Deum, eo magis perfecta opera in ipsius gloriam eliciunt.

II. Sicuti perfectio divini intellectus exigit, ut ipse judicet meliora vel optima, quæ talia sunt, ita perfectio divinæ voluntatis exigit, ut ipse amplectatur ut meliora & optima, quæ sunt de facto.

III. Si Deus non necessitaretur ad optimum, æqualiter se haberet ad res extra se. Hoc autem posito plura sequerentur absurda: sequeretur scilicet, quod tolleretur certa scientia futurorum eventuum naturalium; nam ut E. G. certo sciam cras solem oriturum, oportet, ut certo sciam futurum, ut Deus cursum statutum causarum secundarum velit progredi: quomodo autem id sciam, si Deus ad hunc progressum indifferenter se habet? Rursus sequeretur, quod Deus æqualiter se haberet vel ad exercenda opera misericordiæ, vel ad exercenda opera justitiæ, quod est falsum; nam Deus ex se inducitur ad priora, cum tamen ad posteriora non inducatur nisi, ut ita dicam, invitus & ex peccatis creaturæ. Tandem sequeretur, quod Deus

(a) *Lib.* 3. *de lib. arbit. cap* 5. (b) *Lib.* 1. *contr. Adversar. leg. & Prophet. cap.* 14.

Deus æqualiter esset pronus ad exaudiendas preces maximi peccatoris & maximi Sancti, vel etiam ipsius Deiparæ, quod quis dicet? Ergo &c.

Ad I. ℟. Primo argumentum nimis probare, cum probet nedum necessitatem moralem ad optimum, sed etiam metaphysicam; amor enim sui in Deo est necessarius metaphysice. Secundo ℟. Deum utique ex amore necessario erga se ipsum velle necessario gloriam suam essentialem, quia sine illa non esset id, quod est: at non ideo velle necessario gloriam accidentalem, sine qua Deus est perfectissime quod est: Ergo &c. Ad confirmationem ℟ ideo Sanctos perfectiora opera elicere, quo magis amant Deum, quia sciunt Deo magis placere, ut perfectiora opera ab ipsis exerceantur. Hæc autem ratio non militat pro ipso Deo, qui vel exerceat opus perfectius, vel minus perfectum, semper agit quod ipsi magis placet. Quod quidem exemplo utcumque declarari potest. Etsi minister alicujus divitis, quo magis sollicitus est de utilitate domini sui, eo magis debeat illa operari, quæ majorem hanc utilitatem promovent, quia hoc est, quod vult dominus a ministro; non tamen ad hoc tenetur dominus, qui potest etiam minus utilia eligere. Ita proportionaliter in casu.

Ad II. ℟. Primo divinum intellectum esse potentiam necessariam, quæ res, ut sunt, non potest non repræsentare: divinam autem voluntatem esse liberam, quo posito non debet necessario sequi majorem rei bonitatem. Adde perfectionem divini intellectus in hanc ipsam libertatem influere, cum ob talem perfectionem cognoscat Deus ex prosecutione optimi sibi tantum aliquid accidentale obvenire, in quod proinde non necessario fertur divina voluntas. ℟. secundo & hoc argumentum nimis probare; nam sicuti divinus intellectus optimum attingit necessario necessitate metaphysica, tali etiam necessitate operaretur ipsius voluntas.

Ad III. ℟. Primo ex quo Deus non necessitetur ad optimum, non sequi æqualiter & indifferenter se ad illud habere; potest enim in eo esse quædam inclinatio ad illud, & quædam, ut sic di-

cam, congruentia illud ponendi, quæ non pertingat quidem ad necessitatem, sed tamen prætensam æqualitatem tollat, ut de facto habetur E. G. relate ad exaudiendas potius preces Sanctorum, quam peccatorum. R. secundo etiam omissa illa æqualitate adhuc nullum ex objectis absurdis sequi; nam illa non obstante Deus se libere determinavit ad volendum cursum causarum secundarum, ad exercenda potius misericordiæ, quam justitiæ opera, ad exaudiendas potius preces Sanctorum, quam peccatorum. Rurus hanc determinationem nobis manifestavit. Ergo certi sumus, quod hæc habebuntur. Ergo &c.

CAPUT QUARTUM.

De Providentia Dei.

IDeo cum de voluntate Dei agitur, tractationem instituo de divina providentia, quia hæc est actus voluntatis divinæ, quamvis & actum intellectus vel præsupponat, vel involvat; non enim potest concipi ordinatio mediorum ad finem, in qua, ut infra dicam, consistit providentia, nisi & media & fines a Deo cognoscantur.

Hic ergo indicabo 1. quid & quotuplex sit Dei providentia: 2. providentiam Dei vindicabo.

ARTICULUS PRIMUS.

Providentia Dei est æterna præparatio & dispositio mediorum, quibus unaquæque res in tempore a Deo dirigitur ad suos fines.

Dividitur providentia Dei in *naturalem* & *moralem*. Prima est, quæ respicit creaturas præcise secundum illarum esse physicum & naturale: secunda quæ respicit creaturas intellectuales qua tales. Per primam curam habet Deus de productione & conservatione physica rerum, de illarum vi operatrice naturali &c.: per secundam curam habet, ut creaturæ intellectuales laudabiliter & honeste

neste operentur, ut finem ipsis propositum assequantur, & ad hoc illis suppeditat media &c.

Providentia moralis dividitur in *moralem naturalem*, & in *moralem supernaturalem*. Prima est qua Deus curat, ut creatura recte dirigatur & circa finem & circa media, quæ ei conveniunt præcise ex vi suæ creationis: secunda est quæ versatur circa finem & media eidem destinata non vi creationis, sed vi elevationis gratuitæ.

Rursus providentia (& hæc divisio æque in naturalem ac supernaturalem providentiam cadere potest) alia est *ordinaria*, alia *extraordinaria*. Prima est quæ importat legem communem & universalem, cujus proinde effectus ad omnes diriguntur, ut esset illa, qua Deus curat ortum & conservationem viventium, qua dat omnibus gratias sufficientes &c. secunda est quæ importat, ut ita dicam, exceptionem a lege communi, sive legem quandam peculiarem pro aliquo determinato casu, vel aliqua determinata persona, cujus proinde effectus ad illum solum casum vel ad illam solam personam diriguntur, ut est quam Deus adhibuit circa Deiparam illam ab originali præservando.

ARTICULUS SECUNDUS.

Providentiam Dei negarunt tum aliqui antiqui Philosophi, ut Epicurus & Democritus, tum aliqui Hæretici ut Marcion, Priscillianus, & tandem illi omnes, qui vel fatum admiserunt, vel necessitatem ortam ex syderum influxu, vel omnia fortuito evenire existimarunt. Contra hos sit

Assertio. *Datur in Deo providentia.* Est de Fide.

Prob. ex Scripturis ubi dicitur (a): *Æqualiter cura est illi de omnibus:* & alibi (b): *Attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia sua-*

(a) *Sap.* 6. (b) *Sap.* 8.

suaviter. Dicit Christus (a): *Respicite volatilia Cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis paſcit illa*: rursus (b): *Si fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?* & alibi (c): *Nonne quinque passeres veneunt dipondio, & unus ex illis non est in oblivione coram Deo?* Ergo &c.

Prob. ex consensu omnium fere hominum, qui, si paucos perditissimos excipias, providentiam Dei fatentur, quod patet ex recursu, quem ipsa natura dictante subinde faciunt ad Deum in necessitatibus: ex cura, quam habent illum vel conservandi propitium, vel placandi iratum: ex gratiarum actionibus ipsi exhibitis ob beneficia accepta. Ergo &c.

Prob. ratione. I, providentia Dei est perfectio simpliciter simplex. Ergo in Deo necessario admittenda. II. providentiam Dei suadet mirabilis ordo rerum mundanarum, ut in naturalibus E. G. cursus solis & syderum, ortus & conservatio viventium: in politicis mutua illa necessitas, qua homines inter sese deviaciuntur, vicissitudines Nationum & Regnorum: in supernaturalibus quidquid fecit Deus, aut facit, aut faciet ut Redemptor, Santificator, & Glorificator animarum. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. Hæ docent Deum curam non habere brutorum; dicit enim Apostolus (d): *Nunquid de bobus cura est Deo?* Ergo &c.

℟. Hoc solum loco adducto innui minorem esse curam, quam habet Deus de brutis, illa, quam habet de hominibus, & ita minorem, ut in illius comparatione fere dici possit Deum nullo modo curare bruta. Cæterum etiam bruta Dei providentiæ subesse patet ex adductis superius locis.

Obj.

(a) *Matt.* 6. (b) *Ibidem*.
(c) *Lucæ* 12 (d) 1. *Cor.* 9.

Obj. ex ratione I. Dedecet Deum, ut minima etiam curet, quæ nec ipsi homines curant.

II. Non potest componi cum providentia Dei, quod permittat mala tum naturalia, tum moralia, scilicet peccata, & quod plerumque melior sit in hoc mundo conditio impiorum, quam justorum.

III. Multa fiunt fortuito & frustra. Ergo &c.

℟. Ad I. non dedecere Deum, ut minima curet, ut non dedecet, quod minima creet. *Si injuria*, inquit Ambrosius (a), *est regere, nonne est major injuria fecisse?* Idcirco homines minima non curant, quia, cum ipsorum providentia sit valde limitata, impossibile est ut omnia curent, unde necessario debent solum majora curare: e contrario Deus non per hoc, quod curet unum, evadit ineptus aut minus aptus ad curandum aliud. Ergo &c.

Ad II. ℟. Ad providentiæ rationem pertinere, quod Deus permittat tum mala physica, tum moralia; si enim sermo sit de primis, hæc non sunt mala nisi respective, & præterea semper aliquo modo conducunt ad Universi pulchritudinem, cum magis aliquarum rerum appareat perfectio ex aliarum imperfectione. Si vero sermo sit de aliis, illa Deus permittit, ut salvet libertatem creaturarum illarum, quas voluit condere liberas, ut manifestetur misericordia sua in illis remittendis, & justitia in puniendis juxta illud de Pharaone: *Idcirco posui te* (b), *ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Præterea aliquando peccatis utitur Deus ad finem aliquem extraordinarium obtinendum, ut odium fratrum Josephi (c) in ipsum Josephum ordinavit ad ejusdem exaltationem juxta illud: *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum.* Tandem aliæ possunt esse causæ, ob quas Deus permittat peccata, & quas etsi ignoremus, non id-

(a) *De off. lib.* 1. *cap.* 13.
(b) *Exod.* 9. (c) *Genes.* 50.

idcirco debemus providentiam Dei negare; non enim debemus aut possumus divina captu nostro metiri. Si autem subinde melior est conditio impiorum, quam justorum, hoc pariter ad providentiam Dei spectat, qui hoc vult, vel ut justi hic a peccatis purgentur, recepturi in altera vita mercedem bonorum operum, & peccatores hic præmium aliquod acquirant pro bonis operibus, quæ forte admiserint, recepturi æternum supplicium in altera vita pro peccatis: vel ut justi se hic afflictos cernentes hunc mundum spernant: vel aliis de causis, quas nostrum non est assignare.

Ad III. ℞. Nihil fieri casu aut frustra respectu Dei, quamvis multa & frustra, & casu fiant respectu nostri; nos enim dicimus aliquid casu fieri, cum fit præter expectationem nostram, & frustra fieri; cujus faciendi rationem non intelligimus. At omnia quæ fiunt, & erant jam a Deo in suis causis definita, & ad finem aliquem ordinatissimum etsi forsan nobis occultum ordinata. Ergo &c.

CAPUT QUINTUM.

Utrum Deus velit omnes homines salvos fieri.

Quod supra pluries obiter dictum est Deum velle omnes homines salvos fieri, modo ex professo est examinandum. Quoniam autem quæstio, quæ instituitur circa voluntatem, quam habet Deus salvandi omnes homines, summopere est connexa cum aliis, *utrum Christus mortuus sit pro omnibus*, & *utrum Deus omnibus suppeditet media ad salutem sufficientia*, idcirco hoc capite tria hæc examinabuntur, quamvis duo posteriora ad alios Tractatus pertinere videantur. De singulis ergo ex ordine.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. homines considerari posse & ante & post peccatum Adami. Est fere certum apud omnes antecedenter ad peccatum Adami Deum voluis-

luiſſe omnes homines salvos fieri, cum illos ad salutem æternam ordinaſſet, & nullum in tali statu eſſet impedimentum ad ipsam salutem consequendam. Difficultas ergo reducitur ad homines consideratos poſt lapsum Adami.

Noto 2. non eſſe quæſtionem, utrum Deus voluntate consequente & absoluta velit omnes homines sic consideratos salvos fieri; certum eſt enim non sic Deum velle, cum certum sit multos homines damnari: sed quæſtio eſt de voluntate antecedenti & conditionata, utrum scilicet Deus etiam supposito peccato originali voluntate antecedenti & beneplaciti quamvis conditionata velit omnes homines salvari, an illa voluntas sit tantum signi & metaphorica, ideſt non voluntas interna & seria, sed externa tantum manifeſtatio voluntatis sine vera voluntate.

Noto 3. circa quæſtionem hanc duos fuiſſe præcipuos errores ex diametro invicem oppoſitos. Primus fuit Pelagianorum ac Semipelagianorum, qui non solum contendebant Deum velle omnium hominum salutem & Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus, sed etiam contendebant æqualiter & Deum velle omnium hominum salutem, & Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, æqualiter inquam tam pro reprobis, quam pro prædeſtinatis. Alius error fuit primo Calvini, deinde Janſenii, qui docuit Chriſtum non tam inæqualiter pro omnibus hominibus mortuum eſſe, quam nullo modo mortuum eſſe pro reprobis, sed solum mortuum eſſe pro prædeſtinatis. Scilicet docuit mortem Chriſti ex se fuiſſe quidem pretium sufficiens pro redemptione omnium hominum, sed ipsum non obtuliſſe hoc pretium æterno Patri niſi pro solis prædeſtinatis. Hanc doctrinam comprehendit V. Janſeniana propoſitio: *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe & sanguinem fudiſſe.* Ex quo consequens eſt Janſenium in Deo admiſiſſe voluntatem salvandi solos prædeſtinatos.

Noto 4. certum eſſe de Fide Deum alios quam prædeſtinatos velle salvos fieri; an autem hæc volun-

luntas omnes homines respiciat, non esse ab Ecclesia definitum. Est tamen sententia affirmans pia, catholica, & Fidei proxima. Juxta hanc assertionem statuam, qua errorem etiam Pelagianorum refellam; si enim probavero Deum velle sincera voluntate omnium hominum salutem, cum certum sit ex alia parte non omnes homines salvari, & eos, qui salvantur, salvari ex voluntate Dei efficaci de illorum salute, probatum erit non eodem modo Deum velle illos salvos fieri. Sit ergo

Assertio. *Deus voluntate beneplaciti & antecedente quamvis conditionata vult omnes homines salvos fieri.*

Prob. ex Scripturis. Si aliqui ab hac voluntate excluderentur, essent maxime damnandi; sed isti non excluduntur; nam dicit Deus (a): *Nunquid voluntatis meæ est mors impii dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis suis & vivat?* & infra (b): *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua & vivat* S. Petrus ait (c) *Patienter agit Deus propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti:* & Apostolus: *Qui vult* (d) *omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Hanc autem voluntatem, quam manifestavit Deus in Scripturis, quis dicat non esse veram & sinceram, nisi faciendo Deum deceptorem, præcipue cum illius sinceritatem ostendat & mors Christi pro omnibus, & præparatio pariter pro omnibus mediorum ad salutem sufficientium, de quibus infra? Ergo &c.

Prob. ex Patribus. I. S. Hieronymus ait (e): *Provocavit* (Deus) *ad salutem, ut voluntas haberet præmium, sed illi credere noluerunt &c. nec statim in culpa est, si plures credere noluerunt .... sed voluntas venientis hæc fuit, ut omnes crederent & salvarentur*. II. S. Augustinus inquit (f): *Vult*

(a) *Ezech.* 18. (b) *Cap.* 33. (c) 2. *Petr.* 3.
(d) 1. *ad Timot.* 2. (e) *In cap.* 63. *Isai.*
(f) *De spirit. & litt. cap.* 33.

Vult Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt .... verum se ipsos fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. III. S. Prosper S. Augustini discipulus, *sincerissime*, inquit (a), *credendum atque profitendum est Deum velle, ut omnes homines salvi fiant. Siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissime præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur, ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum, quod multi salvantur, salvantis est donum.* Ergo &c.

Contra statutam assersionem proponi solet difficultas petita ex actis 9. sæculo in causa Goteschalchi, sed ea opportunius afferam articulo sequenti. Interim.

Obj. ex Augustino. Hic docet Deum non velle, ut omnes homines salvi fiant; nam I. exponens locum Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, varios adducit modos, quibus potest explicari, ne verbum quidem faciens de modo, quo a nobis explicatur. Ita dicit (b) locum intelligi debere, ut nullus salvus fiat, nisi quem Deus salvare vult, quam explicationem alibi (c) illustrat exemplo alicujus Magistri, qui unicus in Civitate Grammaticam doceret; tunc enim omnes dicerentur Grammaticam discere ab illo, non quod omnes revera discant, sed quod illi, qui discunt, omnes ab illo discant. Aliam etiam illius loci explicationem adducit (d), quæ est ut illud *omnes* non pro

sin-

(a) *Resp. ad secund. Object. Vinc.*
(b) *Enchir. cap.* 103.
(c) *De prædest. sanct. cap.* 8.
(d) *Enchirid. ibidem.*

singulis generum sumatur, sed pro generibus singulorum, ita scilicet ut non omnes & singulos homines velit Deus salvare, sed aliquos ex omni genere, idest aliquos doctos, aliquos indoctos, aliquos nobiles, aliquos ignobiles &c. Alibi (a) dicit per illud *omnes* debere intelligi multos, quia multi de facto salvantur. Et tandem (b) dicit Deum velle omnium hominum salutem, quia vult & facit, ut illam velimus & pro illa oremus, quod confirmat (c) ex illo, ubi dicitur Deus pro nobis postulare, quia postulare nos facit.

II. S. Doctor dicit (d) a creaturis impediri non posse, ne faciat Deus quod vult. Cum autem in hypothesi assertionis dicendum esset Dei voluntatem respectu plurium non impleri, quia ipsi nolunt, ideo contra Augustinum erit assertio.

III. Dicit S. Doctor non ideo plures non salvari, quia ipsi nolunt; alias non posset reddi ratio cur non salvarentur multi parvuli. Hæc sunt illius verba: (e) *Si Deus vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, sed ideo non veniunt, quia ipsi nolunt, cur tot millia parvulorum, qui non percepto Baptismate moriuntur, non veniunt?... Nunquid aut homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est omnes homines, aut aliquis poterit dicere: Deus quidem vult, sed ipsi nolunt, qui nondum velle seu nolle ista noverunt?* Si igitur ex Augustino ratio, cur plures non salventur, non est, quia ipsi nolunt, restat ut sit, quia Deus non vult ut salventur.

IV. Mentem S. Augustini hanc fuisse, ut Deus non velit omnes homines salvos fieri, probatur ex quo post mortem S. Doctoris Semipela-gia-

(a) *Lib. 4. contr. Julian, cap.* 8.
(b) *De Corrept. & Grat. cap.* 15.
(c) *Rom.* 8.
(d) *De Corrept. & Grat. cap.* 14.
(e) *Lib. 4. contr. Julian. cap,* 8.

giani illum reprehenderint pro hac sententia. Ergo &c.

℟. ad I. allatis explicationibus non loqui Augustinum de voluntate Dei antecedente & conditionata, sed de consequente & efficaci, quæ ad aliquos tantum etiam per nos est directa. Præter voluntatem autem consequentem, admissam fuisse ab Augustino generalem voluntatem antecedentem, patet primo ex supra relatis in probationibus: secundo ex eodem, quod adducit, exemplo Magistri Grammaticæ; ut enim hic, quantum est in se, vellet omnes docere, quod autem non doceat, repetendum est tantum a voluntate illorum, qui non volunt doceri, ita in casu: tertio ex quo Augustinus doceat verba Scripturæ intelligenda esse litteraliter, nisi aliquid obstet, & nihil in casu obstet, ne verba Apostoli explicentur ut a nobis explicantur, quo modo explicantur litteralissime: quarto ex quo ipse doceat Deum velle, ut nos oremus pro salute omnium; hoc enim posito manifestum est Deum hanc salutem velle, ridiculum enim esset ipsum velle, ut nos ab eo peteremus, quod concedere non vellet. Cæterum locum Apostoli posse etiam intelligi, ut a nobis intelligitur, non negat Augustinus, sed expresse asserit (a) *quocumque alio modo intelligi posse, dum tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum fieri voluisse* (subintellige absolute) *factumque non esse*. Cum autem hoc ex nostra explicatione non sequitur, hæc proinde non erit rejicienda. Ratio autem, ob quam adductas potius explicationes illius loci attulerit Augustinus, quam nostram, est quia commodius sic refellebat Pelagianorum & Semipelagianorum errores circa æqualem voluntatem Dei salvandi homines; nam si Deus non habet voluntatem efficacem de salute omnium, jam patet æqualem non esse voluntatem Dei respectu salutis omnium.

Ad

(a) *Enchirid. cap.* 103.

Ad II. ℞. non poſſe quidem a creaturis impediri, ne faciat Deus quod vult abſolute, ſed impediri poſſe quod ipſe non vult niſi conditionate; cum enim deficit conditio, & deficit ipſo permittente, quis dicat, ſi id non fiat, quod ipſe vult, lædi ipſius potentiam? Hanc eſſe mentem S. Doctoris patet ex eodem libro, ubi docet peccatores non facere quod Deus vult, & ubi adducit verba Scripturæ de Deo dicentis: *Quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas & noluiſti?* Addenda ſunt etiam quæ habet S. Doctor, ubi, poſtquam dixit infideles facientes contra voluntatem Dei non credendo ab ipſo puniri, egregie explicat quomodo hoc poſito ſemper voluntas Dei invicta maneat; inquit enim: (a) *Ita voluntas Dei ſemper invicta eſt, vinceretur autem, ſi non inveniret quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo poſſent evadere quod de talibus ille conſtituit. Qui enim dicit verbi gratia; volo, ut hi omnes ſervi mei operentur in vinea, & poſt laborem requieſcentes epulentur, ita ut quiſquis eorum hoc noluerit, in priſtino ſemper molat; videtur quidem quicumque contempſerit contra voluntatem Domini ſui facere, ſed tunc eam vincet, ſi & priſtinum contemnens effugerit, quod nullo modo fieri poteſt ſub Dei poteſtate.*

Ad III. ℞. Auguſtinum eo in loco argumentari contra ſupra memoratos Hæreticos, qui, cum contenderent Deum æqualiter velle omnium hominum ſalutem, conſeqnenter quod unus ſalvetur, alter non, deducebant ex eorum tantummodo voluntate: ideoque nullam agnoſcebant ſpecialem gratiam Dei reſpectu illorum, qui ſalvantur. Sic igitur contra illos arguebat Auguſtinus. Si Deus vult indiſcriminatim omnes homines ſalvos fieri, & quod unus ſalvetur, alter non, tantum

(a) *De Spirit. & litt. cap.* 33.

tum ex illorum dependet voluntate, quare non salvantur pueri, qui voluntatem propriam non habent? Si igitur quod aliqui non salventur, ex illorum non dependet voluntate, concludebat Augustinus, salus æterna hominum non tam ex illis dependet, quam ex speciali gratia ipsius Dei.

Ad IV. ℟. Semipelagianos Gallos reprehendisse quidem Augustini doctrinam etiam quoad caput adductum, sed perperam; ipsis enim respondit fidelissimus Augustini discipulus S. Prosper libro, quem inscripsit: *Pro Augustino responsiones ad capitula objectionum Gallorum calumniantium*, & in responsione ad objectiones Vincentianas, in quibus Operibus & Magistri sui Augustini doctrinam vindicat, & doctrinam de universali Dei voluntate respectu salutis omnium hominum egregie confirmat.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *Pro omnibus omnino hominibus mortuus est Christus, nedum quatenus mors ipsius fuerit sufficiens pro salute omnium, sed etiam quatenus hanc mortem Patri pro omnibus obtulit.*

Prob. ex Scripturis. Apostolus ait (a): *Dedit semetipsum redemptionem pro omnibus:* rursus (b): *Pro nobis omnibus tradidit illum.* Quod vero hæc loca ita sint intelligenda, ut mortem suam revera Christus obtulerit pro salute omnium, ex eo patet, quod, si solum mortuus esset pro omnibus, quatenus mors ipsius fuisset sufficiens pro illorum salute, posset etiam dici mortuus pro damnatis & Dæmonibus, cum etiam pro illis fuerit sufficiens, quod tamen nemo dixerit. Ergo &c.

Prob. ex Conciliis. Tridentinum ait (c): *Etsi* (Christus) *pro omnibus mortuus est, non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt.* Ergo &c.

Prob.

(a) 1. *Timot.* 2. (b) *Rom.* 8.
(c) *Sess.* 6. *Cap.* 1.

Prob. ex Patribus I. S. Joannes Chrysostomus (a) Fideles hortatur ad considerandum, *ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem, non pro Fidelibus solum, sed pro universo orbe terræ; nam ipse quidem mortuus est pro omnibus. Quid tum autem si non omnes crediderunt? Ipse quod suum erat implevit.* II. S. Ambrosius inquit (b): *Mysticus Sol ille justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit ... Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat, ut si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore ejus se ipse fraudavit, sed quod solis est prærogativam suam servat.* III. S. Augustinus ait (c): *Judicabit orbem terrarum in æquitate non partem, quia non partem emit; totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit:* rursus (d): *Venit Christus, sed primo salvare, postea judicare, eos judicando in pœnam, qui salvari noluerunt, eos perducendo ad vitam, qui credendo salutem non respuerunt:* & alibi (e) inducit Christum sic in die Judicii dicentem reprobis: *Videtis vulnera, quæ inflixistis, agnoscitis latus, quod pupugistis, quoniam & per vos & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Ergo &c.

Obj. ex Scripturis I. Christus dixit se pro multis mortem subiturum; *Hic*, inquit (f), *est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Ergo non pro omnibus; alias non dixisset *pro multis*, sed *pro omnibus*.

II. Christus mortis suæ beneficium ad solos prædestinatos restrinxit; inquit enim (g); *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel:* & alibi (h) *Animam meam pono pro ovibus meis.* Nomine

(a) *Homil. 4. in cap. 2. Heb.*
(b) *Enarratio in octonar. 8. vers. 8.*
(c) *In Psalm. 95.* (d) *Tract. 16. in Jo.*
(e) *Serm. 2. de Symb.* (f) *Matt. 26.*
(g) *Matt. 15.* (h) *Jo. 10.*

mine autem ovium venire prædestinatos patet ex sequentibus, ubi ait: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis.*

III. Christus pro solis electis oravit. Ergo pro illis solis mortuus est. Prob. antecedens ex verbis Christi (a): *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi.* Et sane si orasset pro salute reproborum, ipsam obtinuisset, cum ipse semper exauditus sit a Patre juxta illud (b): *Sciebam quia semper me audis.* Si ergo illam non obtinuit, dicendum ipsum non orasse.

℟. I. generaliter Christum non esse quidem mortuum aut orasse efficaciter pro omnibus, quamvis sufficienter & mortuus sit pro omnibus, & pro illis oraverit: scilicet relate ad aliquos obtulit mortem suam, & oravit, ut obtineret illis gratias efficaces & actualem salutem; pro aliis mortuus est, & oravit ut obtineret tantum gratias sufficientes. Sed ulterius ad singula.

Ad I. igitur ℟. Nomine multorum aliquando in Scripturis venire omnes. Ita dicitur (c): *Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt;* ubi per illud *multi* veniunt omnes; nam de facto omnes mortui in die Judicii resurgent & Christus ait (d): *Remittuntur ei peccata multa*, quod communiter intelligitur de omnibus. Ergo etiam hoc loco possunt nomine multorum intelligi omnes, imo debent ex probatis. Ulterius cum Christus dixit *pro multis* non exclusit omnes. Sane homines, pro quibus mortuus est Christus, non sunt pauci. Ergo multi. Ergo &c.

Ad II. ℟. Christum primo loco innuere se ad personaliter annunciandum Evangelium, & patranda miracula missum esse tantum Israelitis; Gentilibus enim, (etiam pro quibus cæteroquin missus erat, ut constat ex illo (e): *Alias oves habeo,*

 quæ

(a) Jo. 17. (b) Jo. 11. (c) *Daniel.* 12.
(d) *Luc.* 7. (e) Jo. 10.

que non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere) prædicari voluit, & miracula patrari per Apoſtolos. Adde quod contextus oſtendit Chriſtum dixiſſe ſe miſſum eſſe ſolum pro Iſraelitis, ideſt principaliter pro illis; verbis enim adductis tentabat fidem Chananææ, quæ tamen, licet non eſſet ex Iſrael, perſeverando in oratione obtinuit a Chriſto petitum miraculum. Alio loco, omiſſo quod nomine ovium veniant prædeſtinati, aſſerit quidem Chriſtus ſe pro illis animam ponere, ſed non excluſive ad alios. Dixi *omiſſo quod nomine ovium veniant prædeſtinati;* fortaſſe enim ibidem veniunt omnes in Chriſtum credituri. Nec officit, quod Chriſtus dicat ſe vitam æternam illis daturum; nam hoc poteſt intelligi ita, ut quantum eſt ex parte ipſius, infallibiliter ſint ſalvandi, licet poſtea ex defectu ipſorum multi ſint damnandi. Quod ita poſſit intelligi, patet ex ſimili loco (a), ubi, poſtquam dixit Chriſtus ſe eſſe oſtium ovium, ſubjungit: *Per me ſi quis introierit, ſalvabitur;* nam hoc non poteſt intelligi, quatenus omnes per hoc oſtium introeuntes ſint ſalvandi, cum omnes, qui baptizantur, per Chriſtum introeant, nec tamen omnes ſalventur, ſed quod ſalvandi ſint infallibiliter, quantum eſt ex parte Chriſti. Ergo a pari in caſu.

Ad III. ℟. Chriſtum quidem allato loco non oraſſe pro reprobis, ſed alibi oravit. Sane infra (b) rogavit etiam pro omnibus Fidelibus dum inquit: *Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me:* & rurſus (c) oravit pro omnibus omnino hominibus dicens: *Ut credat mundus, quia tu me miſiſti:* & in cruce oravit pro ſuis perſecutoribus. Hos autem omnes fuiſſe prædeſtinatos, quis dicat? Audiatur Auguſtinus inquiens (d): *Quando in cruce pen-*

(a) *Verſ.* 9. *ejuſd. Cap.* 10.
(b) *Cap.* 17. *verſ.* 20.
(c) *Verſ.* 23. *cap.* 17.
(d) *Serm. ol.* 4. *de Sanct. nunc* 382.

pendens orabat, videbat & prævidebat omnes inimicos, sed multos ex illis futuros amicos prævidebat, & ideo omnibus veniam postulabat. Neque hinc sequitur, quod Christi orationes non fuerint exauditæ; nam cum reprobis non petierit nisi gratias sufficientes, has de facto obtinuit, sicque exauditus est. Ad responsionis confirmationem adverto etiam diversæ esse conditionis orationes & merita Christi; primo enim Christus per mortem omnes homines redemit, non præcise per orationem. Etsi ergo Christus nunquam orasset pro omnibus, si tamen pro omnibus obtulit mortem suam, pro omnibus mortuus est. Secundo Christus pluries oravit, semel autem mortuus est. Igitur oportuit quidem, ut, cum moreretur, mortem suam offerret pro omnibus, non autem oportuit, ut, cum oraret, oraverit semper pro omnibus, sed potuit modo pro omnibus, modo tantum pro aliquibus orare.

Obj. ex ecclesiasticis monumentis. Cum 9. Ecclesiæ sæculo Goteschalchus doceret (quonam sensu incertum) Deum non velle omnes homines salvos fieri, & Christum pro omnibus non esse mortuum, sed pro electis dumtaxat, celebrata est Synodus Carisiaca I., in qua quatuor sunt condita capitula. Horum III. erat: *quod Deus vult omnes homines salvos fieri*: IV. erat: *quod Christus pro omnibus hominibus passus sit*. Hæc porro capitula fuerunt reprobata ab Ecclesia Lugdunensi per Remigium Antistitem suum & a Concilio Valentino III. Ergo &c.

℟. Ecclesiam Lugdunensem non damnare III. capitulum Carisiacum quoad doctrinam in eo contentam, quam potius dicit sanam atque catholicam, sed solum contendere non esse reprobandam alteram explicationem loci illius: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, qua ille explicatur cum S. Augustino de generibus singulorum. Patet hoc ex libro *De tenenda veritate Scripturæ* ab ipsa Ecclesia Lugdunensi edito. Capitulum vero IV. damnat solum si intelligatur ita, ut Christus passus sit, ut efficaciter obtineret omnium salutem, & ita ut

ab Inferno liberaverit per paſſionem ſuam etiam illos, qui ibi detinebantur. Hic quidem non erat ſenſus capituli Cariſiaci, ſed ita illud videtur interpretata Eccleſia Lugdunenſis, ut conſtat ex ejus verbis circa tale capitulum: *Sicut*, inquit, *pro impiis & damnatis Angelis nullatenus Dominus Jeſus Chriſtus dicendus eſt paſſus, ita pro iſtis impiis & damnatis hominibus abſit omnino, ut paſſus eſſe credatur, quia hoc nimis eſt contrarium divinæ veritati, nimis adverſum catholicæ Fidei, quæ indubitanter credit & docet, quod Dominus noſter ſuam paſtionem & mortem, atque ad Inferos deſcenſionem illis ſolis jam defunctis, & quamvis apud Inferos, tamen in locis tranquillitatis & lucis conſtitutis exhibuit, qui in Fide futuri adventus ejus ac redemptionis & in hoc ſæculo vixerant, & illuc per mortem tranſierant, ubi etiam tempus implendæ ac perficiendæ ejuſdem redemptionis ſuæ per paſſionem & deſcenſionem ad eos Domini pio deſiderio expectabant.*

Et ſane Eccleſiam Lugdunenſem in noſtra fuiſſe ſententia aperte colligitur ex iis, quæ habet in libro *De tribus epiſtolis*, ubi, poſtquam dixit (a) duobus modis Deum velle homines ſalvos fieri, nimirum dum alios & vult ſalvare & revera ſalvat, alios vult quidem ſalvare, ſed tamen damnari permittit, ſubjungit: *Sicut ergo & bonitatem ſuam in eis oſtendit, quia eos ſalvari voluit, & tamen bonitas ejus non impedivit ſeveritatem ejus, quia eos juſte damnavit; ita eadem bonitas ejus nullatenus impedivit prædeſtinationem ejus juſtitiæ, dum quos ille ſalvos fieri voluit, & iniquos futuros ſemper prævidit, & in iniquitate ſua permanſuros, juſte ad interitum prædeſtinavit. Ita, etſi pro omnibus etiam in ſua impietate perituris Chriſtus mortuus eſt, ſic eis exhibuit bonitatem paſſionis ſuæ, ut tamen hujuſmodi impios in ſua impietate permanſuros juſto ſuo judicio condemnaverit.*

Con-

(a) *Cap.* 28.

Concilium autem Valentinum, postquam in illis, quæ edidit, capitulis de prædestinatione Dei plura docuisset, quod præstat tribus capitulis prioribus, capitulo postea IV. sermonem aggreditur circa redemptionem Christi, cujus universalitatem solum damnat sensu, quo damnaverat Ecclesia Lugdunensis: unde & ipsum errore facti capitulo IV. Carisiaco illum sensum affinxit, quem revera non habet. Et sane si mens Concilii Valentini fuisset universalitatem redemptionis Christi etiam quoad sufficientiam excludere; cur voluntatem Dei generalem erga salutem omnium, quæ capitulo III. Carisiaco asseritur, non exclusit? quam tamen potius admisit, dum capitulo II. asseruit nullum damnari ex voluntate Dei, sed solum ex propria malitia, & ex eo quod, cum posset esse bonus (quod supponit Deum illi suppeditasse media ad bonitatem, adeoque illum velle salvum,) voluit potius esse malus; inquit enim: *Non ex præjudicio ejus* (Dei) *aliquem, sed ex merito propriæ iniquitatis condemnari, nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.*

Sed hanc voluntatem, inquies, exclusit saltem implicite, dum in genere damnavit quatuor capitula Carisiaca.

Advertendum tamen primo, quod suspicantur aliqui nec immerito, ne verba, quibus dicuntur damnari quatuor capitula Carisiaca, fuerint intrusa, & proinde non sint de mente Concilii: secundo etsi non fuerint intrusa, verba tamen illa ab ipsis Patribus Valentinis in Conciliis Lingonensi & Tullensi paulo post celebratis fuerunt expuncta. Ergo &c. Vide Natalem Alexandrum (a) egregie de hoc more suo disputantem.

(a) *Dissert.* 5. *in Hist.* 9. & 10. *seculi*.

Obj. ex Patribus I. Augustinus ait (a): *Omnis, qui Christi sanguine redemptus est, homo est, non tamen omnis, qui homo est, etiam sanguine Christi redemptus est*: & alibi (b): *Non perit unus ex illis, pro quibus* (Christus) *mortuus est*: & Anselmus: *Christus* (c) *pro solis electis mortuus est ... nihil contulit reprobis mors Christi*.

II. Idem Augustinus docet (d), quod si Ecclesia sciret quinam sint damnandi, pro illis non oraret, sicut nec orat pro Diabolo. Cum ergo Christus sciret quinam essent damnandi, pro illis non debuit orare, consequenter nec mori. Ergo &c

℟. Ad I. loca adducta loqui de redemptione efficaci quoad salutem obtinendam; relate enim ad salutem eorum, qui damnantur, perinde est ac si Christus non esset mortuus. Et sicuti si captivo offerretur pretium, ut se a captivitate redimeret, ipse autem nollet pretium acceptare, vel erogare, hic non posset dici simpliciter redemptus, quamvis, quantum est ex parte offerentis pretium, redemptus sit; ita a pari in casu.

Ad II. ℟. Ecclesiam non oraturam quidem in casu pro reprobo cognito ut tali ex voluntate salutis illius absoluta, & ut obtineret illi gratias efficaces finales, cum cognosceret Deum habere voluntatem absolutam contrariam; at oraret voluntate conditionata, & ut obtineret tali reprobo gratias sufficientes, Sane etiam Deus sciebat Luciferum damnandum, nec tamen hoc impedivit, ne illi vellet absolute conferre gratias sufficientes. Quare ergo Ecclesia sciens aliquem damnandum non oraret, ut obtineret illi gratias sufficientes? Orationem tantum ortam ex absoluta voluntate salutis excludi ab Ecclesia per Augustinum in casu, pa-

(a) *Lib.* 1. *de Adul. Conjug. cap.* 15.
(b) *Epist.* 169. *al.* 102.
(c) *In Elucidario lib.* 2. *cap.* 19.
(d) *Lib.* 21. *de Civit. Dei cap.* 24.

patet ex contextu; agit enim ibidem contra eos, qui dicebant in judicio omnibus reis ob Sanctorum preces esse parcendum. Hanc autem opinionem ideo confutat, quia ea admissa, non esset cur etiam nunc pro Diabolo & Angelis ejus oraret Ecclesia. Absurdum autem esse quod Ecclesia oret nunc pro Diabolo probat, quia nec Ecclesia oraret pro viventibus damnandis, si sciret quinam sint. Ubi, ut patet, loquitur tantum de oratione procedente ex absoluta voluntate salutis illorum. Quod autem dictum est de Ecclesia, proportionaliter dicatur de Christo. Ergo &c.

ARTICULUS TERTIUS.

Noto 1. varias esse hominum classes, circa quas institui potest quæstio utrum Deus illis conferat media sufficientia ad salutem; primo enim sunt Fideles justi adulti, secundo sunt Fideles peccatores, tertio sunt adulti infideles, quarto sunt parvuli præmorientes Baptismo. Primis docuit Calvinus & postea Jansenius aliquando deesse gratiam sufficientem ad implenda mandata & ad salutem consequendam, sed est jam de Fide illis hanc gratiam non deesse. De Fidelibus peccatoribus res non est adeo certa; plures enim docent illis aliquando deesse gratiam ad implenda præcepta, & ad pœnitentiam agendam, consequenter ad salutem obtinendam, quam gratiam ad summum dicunt a Deo præparatam & oblatam, non autem revera collatam. Hoc autem maxime dicunt de illis peccatoribus, qui dicuntur obdurati & excœcati. Alii tamen omnibus volunt gratiam hanc conferri. De infidelibus pariter est controversia; contendunt enim plures aliquibus infidelibus præsertim negativis, iis scilicet, qui nihil de Fide & Christo audierunt, deesse gratiam, qua convertantur ad Fidem, & consequenter salventur: pluribus tamen aliis contrarium sentientibus. Tandem eadem est controversia circa parvulos, quos omnibus destitui mediis ad salutem plures præsertim antiqui docuerunt, reclamantibus tamen aliis plurimis.

Noto 2. illos, qui gratiam sufficientem omnibus conferri volunt, non contendere illam conferri singulis momentis, sed tantum aliquando & pro opportunitate.

Noto 3. gratias sufficientes alias esse sufficientes *proxime*, alias *remote*. Priores illæ sunt, quibus positis nihil deest ex parte potentiæ ad ponendum actum: posteriores quibus positis non omnia requisita habentur ad ponendam actionem, sed tamen possunt obtineri. Sit exemplum. Habebo auxilium proxime sufficiens ad depellendam famem, si in mea potestate habeam panem, quem comedam: habebo auxilium remote tantum sufficiens, si non habeam quidem panem; sed habeam nummos, quibus panem emam. Ita proportionaliter in casu. Duplicis hujus generis auxiliorum meminit Tridentinum dicens (a): *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis;* per illud enim *facere quod possis* denotatur auxilium proxime sufficiens, per illud autem *& petere quod non possis* auxilium sufficiens tantum remote. His præjactis sit

Assertio prima. *Justis omnibus confert Deus gratiam, qua possint implere præcepta & salutem consequi*. Est de Fide.

Prob. ex Scripturis. Ibi dicitur (b): *Quis permansit in mandatis ejus, & derelictus est?* rursus (c): *Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis:* & Christus inquit (d): *Jugum meum suave est, & onus meum leve*, quæ verba saltem ad justos pertinent: indicant autem semper adesse gratiam ad servanda præcepta & consequenter ad perseverandum in justitia, alias jugum & onus Christi esset importabile, cum deessent vires ad illud portandum. Ergo &c.

Prob.

(a) *Sess. 6. cap. 11.* (b) *Eccl. 2.*
(c) *Eccl. 14.* (d) *Matt. 11.*

Prob. ex Conciliis. Tridentinum ait (a): *Nemo temeraria illa & a Patribus prohibita voce uti debet: Dei praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis:* rursus: *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Ergo &c.

Prob. ex Summis Pontificibus damnantibus ut hæreticam hanc Jansenii primam propositionem. *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.*

Prob. ex Patribus. S. Augustinus, *Si ab hac,* inquit (b) *damnatione non se liberabunt, qui poterunt dicere non se audivisse Evangelium Christi, cum Fides ex auditu sit, quanto minus se liberabunt, qui dicturi sunt: perseverantiam non accepimus? Justior enim videtur excusatio dicentium non accepimus audientiam, quam dicentium non accepimus perseverantiam, quoniam potest dici: homo in eo, quod audieras & tenueras, in eo perseverares, si velles: nullo autem modo dici potest: id, quod non audieras, crederes, si velles.* Hic sane loquitur Augustinus de justis, qui soli possunt reprehendi, quod non perseveraverint. De istis autem dicit, quod potuerunt perseverare, adeoque habuerunt gratiam ad hoc necessariam. Ergo &c. Sed expressius alibi justum alloquens inquit (c): *Qui habuit tui curam antequam esses, quomodo non habebit curam, cum jam hoc es, quod voluit, ut esses? Jam enim fidelis es, jam ambulas in via justitiæ. Curam tui non habebit qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos? Te jam justum ex Fide viventem negliget, deseret, dimittet? Imo* ve-

(a) *Sess. 6. cap.* 11.
(b) *De Corrept. & Grat. Cap.* 7.
(c) *In psalm.* 39.

vero & hic fovet, & hic adjuvat, & hic necessaria subministrat, & noxia resecat. Dando consolatur, ut permaneas, auferendo corripit, ne pereas. Dominus curam habet tui, securus esto, ille portat qui te fecit. Ab artificis tui manu noli cadere . . . Nusquam tibi deest, tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse. Ergo &c.

Huc referantur tum omnia, quæ supra sunt statuta circa generalem Dei voluntatem de omnium salute & mortem Christi pro omnibus, quæ sane ostendunt Deum velle salvare justos, adeoque illis conferre gratiam sufficientem & ad implenda præcepta, & ad perseverandum: tum illa, quæ in sequentibus afferentur circa gratiam collatam aliis classibus hominum, quæ a fortiori valent circa justos.

Obj. ex Scripturis. I. Inter viventes tempore legis Mosaicæ plures erant justi, & tamen illis erat impossibilis observantia legis hujus juxta illud S. Petri de tali observantia (a): *Quid tentatis Deum imponere jugum super cervices Discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus?*

II. S Paulus erat justus, & tamen observantia legis illi erat impossibilis juxta illud (b): *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati*. Ergo &c.

℟. Ad I. omnes habuisse absolutam potentiam servandi legem, sed cum hæc observantia magnam involveret difficultatem, ideo dicitur onus importabile.

Ad II. ℟. S. Paulum non asserere se necessario male operatum esse, sed tantum se necessario passum esse resistentiam carnis spiritui. Et sane S. Paulum potuisse resistere tentationibus ipse testatur, dum inquit (c): *Omnia possum in eo, qui me confortat*.

Obj. ex Augustino. I. S. Doctor relata hac senten-

(a) *Act.* 15. (b) *Rom.* 7. (c) *Philip.* 4.

tentia (a): *Si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis*, qua denotatur a justo, si non est prædestinatus, auferri gratiam, qua possit præcepta servare, illam solum reprehendit, quod dicatur in secunda persona; vult enim congruentius dici in tertia hoc modo: *Si qui obediunt*. Ergo &c.

II. Ipse docet S. Petro, cum Christum negavit, defuisse gratiam ad non negandum, & tamen ille erat tunc justus; nam a justitia solum excidit per negationem. En verba Augustini (b): *B. Petrus . . . . . secutus est Dominum passurum, sed tunc non potuit sequi passurus. Secutus est pedibus nondum idoneus sequi moribus . . . plus enim ausus erat, quam ejus capacitas sustinebat: plus promiserat, quam poterat*. Ergo &c.

℟. Ad I. S. Augustinum nedum propositionem reprehendere, quia affertur in secunda persona, sed etiam illius reprehendere sensum; nam hanc propositionem dicit abominabilem; talis autem est vel in secunda persona, vel in tertia afferatur. Rursus assignans modum, quo corrigenda est propositio, ait: *Quid sententiæ deperit, si ita dicatur: si qui autem obediunt, sed in regnum ejus & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt?* Ubi, ut patet, tollit a propositione subtractionem gratiæ. Dicit autem nihil sententiæ deperire ita mutando, idest nihil tolli de veritate catholica circa donum perseverantiæ, si propositio secundo modo afferatur. Hinc S. Prosper loquens de propositione hac ab Augustino emendata ait (c): *Quam corrigens & mundans atque emendans* (Augustinus), *tolerabiliorem audientibus facit: quæ vera sunt temperans, quæ falsa sunt resecans*, ubi aperte dicit, quæ resecata sunt, falsa esse. Imo aper-

(a) *De don. Pers. cap.* 22.
(b) *Serm.* 296. *alias* 106. *de diver.*
(c) *Ad excerpta Gen. excerp.* 9.

te alibi (a) tradit doctrinam priori propositioni contrariam inquiens: *Qui dicit, quod quibusdam vocatis & pie justeque viventibus obedientia subtrahatur, ut obedire desistant, male opinatur de bonitate Dei atque justitia*. Quis autem melius mentem Augustini noverat ejus Discipulo S. Prospero?

Ad II. ℞. (omisso S. Petrum, cum Chsistum negavit, fuisse justum, quod non est certum, contendentibus aliquibus ipsum jam a jusitia antecedenter excidisse per superbiam & præsumptionem) S. Petrum non potuisse abstinere a Christo negando potentia fundata in viribus propriis, in quibus confidebat, vel non habuisse potentiam proximam, quamvis remotam habuerit fundatam in potestate orandi. Sane Augustinus expresse dicit (b): *Quis dubitaverit, quod . . . . Petrus, si voluisset, ter Dominum non negasset?* Ubi supponit ipsum potuisse non negare. Ergo &c.

Assertio secunda. *Peccatoribus fidelibus etsi dicantur obdurati & excæcati, confert Deus gratias sufficientès, ut possint præcepta implere, pænitentiam agere, & salutem consequi.*

Prob. ex Scripturis. Loca vide supra articulo primo, ubi probata est generalis voluntas Dei erga salutem omnium.

Prob. ex Patribus. S. Augustinus ait (c): *Quid tam longanimam, quid tam multum in misericordia? Peccatur, & vivitur, accedunt peccata, augetur vita, blasphematur quotidie, & facit solem suum oriri super bonos & malos. Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pænitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis, longanimis & multum misericordia.* Et alibi (d) adductis illis Scripturæ verbis: *Dedit illos*

(a) *In Sent. super* 12. *Object. Gall.*
(b) *De unit. Eccl. cap.* 9.
(c) *In Psal.* 102. (d) *In Psalm.* 6,

illos Deus in reprobum sensum, subdit: *Nam ea est cæcitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur, sed nondum penitus dum in hac vita est:* rursus ait (a): *Restat in ista mortali vita libero arbitrio non ut impleat homo justitiam cum voluerit, sed ut supplici pietate convertat ad eum, cujus dono eam possit implere*. Ergo &c. Rursus duplex statuit S. Doctor principium unum (b): *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis*: alterum (c): *Nemo peccat in eo, quod nullo modo caveri potest. Peccatur autem; caveri igitur potest*, quibus positis patet veritas assertionis. Cum enim Deus omnibus peccatoribus præcipiat impletionem mandatorum, pænitentiam &c., cumque hæc omittendo ipsi peccent, debent proinde habere potentiam vel proximam, vel remotam ad hæc peragenda. Undenam autem hæc potentia nisi a gratia?

Nec dicas peccatores hæc omittendo peccare, quia licet hic & nunc sint impotentes ad ea peragenda, hæc tamen impotentia est ipsis voluntaria, utpote in quam se libere conjecerunt per priora peccata; nam

Contra. Licet hæc impotentia sit voluntaria modo explicato, si tamen hæc revera adest, & hic & nunc non possunt peccatores se ab ea expedire, quæ ex tali impotentia consequuntur, erunt quidem peccata in causa, sed non formaliter & in se. Exemplo rem declaro. Supponamus aliquem libere se in foveam projecisse, a qua non possit amplius extrahi: erit quidem ipsi imputabile formaliter, quod se projecerit, & erit ipsi imputabile in causa, quod in fovea permaneat; at hoc postremum non erit imputabile formaliter & in se. Et sane poterit quidem hic reprehendi & puniri

(a) *Lib.* 1. *ad Simpl. quæst.* 1.
(b) *Lib.* 1. *de natura & grat. cap.* 43.
(c) *De Natura &. Grat. cap.* 67.

niri formaliter eo quod se constituerit in tali statu, non vero formaliter eo quod sic constitutus æ tali statu non exeat. A pari igitur in casu &c. Cum ergo formaliter reprehensibilis sit peccator & punibilis a Deo, nedum ex quo peccaverit, sed etiam ex quo jam peccator constitutus non adimpleat præcepta, pœnitentiamque non agat; debet in ipso etiam in suppositione peccati statui potentia ad hæc implenda, adeoque stat, quod ex Augustino depromptum est, argumentum.

Huc quoque referantur omnia supra dicta circa voluntatem Dei de salute omnium, & circa mortem Christi pro omnibus. Ubi noto quod, licet absolute loquendo verificari posset hæc generalis voluntas & sufficentia mortis posito, quod Deus aliquando hominibus dedisset media ad salutem sufficientia, etsi postea in pœnam peccatorum hæc amplius non daret, tunc enim verificaretur, quod hæc privatio non esset in Deum refundenda, sed in ipsorum malitiam; adhuc tamen cum ea, quæ ibidem adducta sunt, nedum pertineant ad homines justos, sed etiam ad peccatores, ideo ex illis veritas mox statutæ assertionis sufficienter eruitur.

Obj. ex Scripturis. I. ex illis, in quibus peccatores dicuntur obdurari & excœcari a Deo, ut cum de Judæis dicitur: (a) *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: excæcavit oculos eorum & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur & sanem eos.*

II. Ex illis, in quibus dicitur Deum aliquando dereliquisse & non curasse peccatores, ut: (b) *Curavimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam.*

III. Ex illis, in quibus dicitur impossibile esse, ut aliqui peccatores convertantur, ut cum, dici-

(a) *Jo.* 12. (b) *Jerem.* 51.

dicitur: (a) *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam aut Pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.*

IV. Ex illis, ubi dicitur quædam eſſe peccata, quæ Deus non vult remittere, ut cum dicitur (b) peccatum in Spiritum S. *non remittendum neque in hoc ſæculo neque in futuro.*

V. Ex iis, quæ probant Deum determinaſſe numerum peccatorum, quæ dimittere vult, & quibus expletis non datur amplius locus remiſſioni, ut illud: (c) *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quator non convertam eum.* Ergo &c.

℞. Ad I. ideo ſolum peccatores aliquos dici obduratos & excœcatos, quod Deus illis non impertiatur gratias efficaces, quibus non ſolum converti poſſint, ſed etiam convertantur: vel quod illis tantum tribuat gratias remote ſufficientes, non autem ſufficientes proxime. Patet autem utraque hac adhibita explicatione ſemper verificari obdurationem tandem in hoc reſolvi, quod tales peccatores nolint converti: quod etiam agnovit Auguſtinus dum explicans, quare obdurati Judæi credere non poterant, inquit: (d) *Quare non poterant? Si a me quæratur, cito reſpondeo, quia nolebant.*

Ad II. ℞. neminem unquam a Deo penitus fuiſſe derelictum, ſed ſolum derelictos eſſe aliquos improprie, quatenus non tam validis ut antea auxiliis adjuvantur. Verba ex Jeremia non ſunt Dei, ſed vel Angelorum, vel Prophetarum, vel militum, qui pugnabant pro Babylone, qui omnes licet dereliquerint Babylonem, non tamen probari poteſt, quod eam dereliquerit Deus.

Ad III. ℞. impotentiam, quam habent quidem peccatores ſe convertendi, vel eſſe tantum mo-

---

(a) *Jerem.* 13. (b) *Matt.* 12.
(c) *Amos* 1. (d) *Tract.* 53 *in Jo.*

moralem, magnam scilicet difficultatem, vel esse etiam metaphysicam sed consequentem, scilicet ortam ex prævisione illorum obstinationis, qua posita prævisione in Deo metaphysice impossibile est, ut convertantur. Sed hæc impossibilitas, cum ex ipsorum voluntate oriatur, non obstat, nè Deus possit dici velle illorum salutem. Textus ex Jeremia solum denotat magnam difficultatem, quæ est in peccatore, ut resipiscat, quando consuetudo peccandi facta est tam magna, ut quodammodo versa sit in naturam.

Ad IV. ℞. Deum esse semper promptum ad peccata remittenda supposita sincera peccatoris pœnitentia, qua sane deficiente Deus peccata non remittet: & hoc sensu explicanda sunt loca, in quibus dicit Deus se nolle peccata remittere. Cum autem quædam peccata maximam malitiam involvant, adeoque peculiariter Deo displiceant, ideo maximum est periculum, ne Deus deneget auxilia efficacia ad agendam de his debitam pœnitentiam, adeoque ad obtinendam de illis remissionem. Generalis hæc responsio modo sufficiat; quæ enim specialiter spectant tum ad locum Scripturæ adductum in objectione, tum ad alia similia, quibus videtur adstrui irremissibilitas quorumdam peccatorum, ex professo expendam suo loco, ubi agendo de Sacramento Pœnitentiæ agam etiam de potestate, quam habet Ecclesia remittendi omnia peccata.

Ad V. ℞. quamvis determinatus sit numerus peccatorum, quæ Deus vult remittere, & gratiarum, quas vult elargiri, ex hoc tamen nihil contra assertionem; primo enim dici potest Deum determinasse numerum peccatorum, post quæ nolit amplius concedere gratias efficaces, quibus convertatur peccator, & sic veniam obtineat, non tamen illi negando gratias sufficientes; secundo dici potest Deum determinasse quidem numerum peccatorum, quæ vult remittere, sed hunc numerum compleri tantum in morte. Et sane quamdiu in vivis est peccator, quicumque sit, tenetur se ad Deum convertere per pœnitentiam, ut

justi-

justificetur; ut autem justificetur requiritur ex Tridentino firmissima spes veniæ; at quomodo peccator hanc haberet spem, si dubitare posset, nè Deus vellet illi sincere ignoscere peccata sua? Ergo &c.

Obj. ex Conciliis. Tridentinum (a) hæc habet *Deus sua gratia justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur*. Postquam ergo peccator Deum deseruit, vicissim ab illo deseritur, subtrahit proinde Deus gratias, quas peccator antecedenter habebat. Antecedenter autem non habebat nisi gratias sufficientes; si enim habuisset efficaces, non peccasset. Ergo illi subtrahit gratias sufficientes.

℟. Vel locum adductum esse ita intelligendum, ut Deus non deserat per subtractionem gratiæ habitualis hominem, nisi ab eo per peccatum prius deseratur, vel si intelligatur de gratia actuali ac sufficiente, id posse intelligi de gratia proxime sufficiente, quam Deus a peccatore subtrahendo illum quodammodo deserit, relinquendo tamen illi gratiam remote sufficientem.

Obj. ex Augustino I. loquens S. Doctor de Pharaone, qui dicitur obduratus, ait: (b) *Quod tunc Pharao non obtemperabat præceptis Dei, jam de supplicio veniebat... Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat, sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur priore infidelitate*. Supponit ergo Pharaoni negatas fuisse gratias sufficientes ad obtemperandum. Ergo &c.

II. ait: (c) *Si hoc adjutorium* (gratiæ) *vel Angelo vel homini, cum primum facti sunt, defuisset .... non utique sua culpa cecidissent, adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non pos-*

(a) *Sess. 6. cap.* 21.

(b) *In exposit. quarundam proposi. ex epist. ad Rom. Prop.* 62. (c) *De correp. & grat. cap.* 11.

possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est: quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum ... ut non solum adsit, sine quo permanere non possumus etiamsi velimus, verum etiam tantum ac tale sit, ut velimus. Asserit ergo S. Doctor nunc in pœnam denegari adjutorium, quod datum fuit Angelis peccatoribus & Adamo, & quo deficiente ipsi inculpabiliter cecidissent. Cum ergo hoc adjutorium fuerit mere sufficiens, si hoc nunc negatur in pœnam peccati, consequenter denegatur adjutorium sufficiens.

III. ait: (a) *Peccatum est vel cum non est charitas, quæ esse debet, vel minor est, quam debet, sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit, quia, si potest, præsens voluntas hoc facit, si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit.* Ubi docet in pœnam peccatorum præcedentium denegari a Deo potentiam abstinendi a peccato, adeoque gratiam.

IV. ait: (b) *Cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, quo cor superbum digna animadversione punitur, & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur.* Hanc porro cœcitatem explicat S. Doctor per subtractionem gratiæ inquiens: (c) *Sic excæcat, sic obdurat Deus deserendo, & non adjuvando:*

V. ait: (d) *Scimus gratiam non omnibus hominibus dari... scimus eis, quibus datur misericordia Dei gratuita dari: scimus eis, quibus non datur, justo Dei judicio non dari.* Si autem gratia aliquibus non datur, ii sane sunt peccatores. Ergo &c.

℟. ad

(a) *Lib. de perfect. Just. cap.* 6 *Ratiocinat.* 15.
(b) *Lib.* 5. *contr. Julian. cap.* 3.
(c) *Tract.* 53. *in Jo.*
(d) *Ep.* 217. *olim* 107. *cap.* 5.

℟. ad I. S. Augustinum, dum hæc scriberet, fuisse in errore Semipelagianorum putantium initium bonorum operum esse ex nobis, ut ipse testatur (a). Existimabat proinde hoc initium soli homini imputari, utpote quod non haberet rationem præmii, bona vero opera subsequentia non ipsi soli imputari, sed etiam Deo, utpote volenti per illa præmiare initium positum a creatura. Hoc comprobabat paritate malorum operum Pharaonis; prima enim mala opera soli Pharoni tributa sunt, utpote quæ non habebant rationem pœnæ a Deo inflictæ, opera vero mala subsequentia, quæ Deus permisit, ut priora puniret, utpote habentia rationem pœnæ, non soli Pharaoni tribuebantur, sed etiam Deo hoc sensu, quod illa permitteret in pœnam ipsius Pharaonis. Cum ergo dicit obstinationem Pharaonis non illi fuisse imputatam, dicit tantummodo illi non fuisse imputatam priori modo, ita scilicet, ut ipsi soli tribueretur, & non haberet rationem pœnæ. Sane si Augustinus existimasset hanc obstinationem nullo modo fuisse imputatam Pharaoni, consequenter debuisset (stante paritate, quam adducit) existimare nec bona opera subsequentia initium Fidei homini imputari, quod manifeste est inconveniens. Quod si dicit Pharaonem non potuisse obtemperare, eatenus dicit, quatenus Deus volens mediante permissione posteriorum peccatorum punire priora, illi abstulit potentiam proximam bene operandi, relinquendo tamen illi remotam. Ergo &c.

Ad II. (omissa nunc uberiore explicatione illius loci, quam dabo in Tractatu de gratia) respondet in primis satis probabiliter Tournely juxta Augustinum datum esse Adamo adjutorium ad perseverandum proxime sufficiens, quo deficiente Adamus inculpabiliter cecidisset: hoc autem adju-

(a) *Lib.* 1. *Retract. cap.* 23.

adjutorium si aliquibus modo negatur, in pœnam tantum peccati negatur. Quod si dicas falsum esse Adamum inculpabiliter casurum in hypothesi, quod non habuisset auxilium proxime sufficiens ad perseverandum; habuisset enim tunc auxilium saltem remote sufficiens, quod suffecisset, ut casus ipsi esset imputabilis, contra est quod felicitas status innocentiæ exegisse videtur, ut auxilia tunc exhibita a Deo essent sufficientia proxime, unde his deficientibus, & deficientibus aliunde auxiliis mere remote sufficientibus, ex quo scilicet essent illi statui incongrua, omne consequenter auxilium defecisset, adeoque Adamus inculpabiliter cecidisset.

Respondet secundo Dechamps per adjutorium, de quo ibidem Augustinus, venire gratiam habitualem, quæ utique ad perseverandum, in actibus charitatis erat Adamo necessaria: hac proinde non concessa Adamus inculpabiliter cecidisset, quæ modo si aliquibus denegatur in pœnam tantum peccati denegatur. Et hæc quidem responsio est satis probabilis.

Tertiam addere possum, quæ partim desumitur ex iis, quæ annotat idem Dechamps, partim ex aliorum observationibus, & est Augustinum, cum loquitur de adjutorio respectu Adami, loqui tantum de adjutorio sufficiente, cum vero loquitur de tali adjutorio respectu naturæ lapsæ, loqui de adjutorio efficaci. Quo posito ex quo modo aliquibus in pœnam peccati denegetur adjutorium concessum Adamo, & quod fuit tantum sufficiens, nequit inferri modo aliquibus denegari auxilium tantum sufficiens. Quod vero Augustinus loquatur de adjutorio mere sufficiente respectu Adami, efficaci vero respectu naturæ lapsæ, ex eo patet, quod ipse dicat Adamum non stetisse cum illo adjutorio, quod indicat illud fuisse tantum sufficiens, in natura vero lapsa dicat hoc adjutorium aliquibus in pœnam peccati denegari, in iis vero, quibus datur, semper consequi effectum ut perseverent, quod indicat hoc adjutorium esse efficax.

ficax. Et ſane S. Doctor explicans (a) quod antecedenter dixerat, duplex adjutorium diſtinguit *ſine quo*, & *quo*, quorum primum, ideſt ſine quo non poteſt aliquis operari, licet illo poſito poſſit non operari, dicit fuiſſe datum Adamo: alterum quo ſcilicet fit, ut quis operetur, dicit modo dari prædeſtinatis (de quibus loquitur, ut ipſe (b) fatetur) ut perſeverent. Igitur adjutorium *quo* pertinens ad naturam lapſam, de quo Auguſtinus loquitur, eſt efficax. Quod uſque adeo verum eſt, ut plures velint & quidem maxime conformiter ad mentem Auguſtini, ut ipſe nomine iſtius poſtremi adjutorii non intelligat cauſam efficientem perſeverantiæ quamvis efficacem, ſed intelligat cauſam formalem, quæ ſane effectum ſuum ſemper ſortitur. Sed quodcumque ex his duobus intelligat, de quo modo nolo inſtituere quæſtionem, certum videtur ipſum intelligere adjutorium dans actualiter perſeverantiam, quod ſane non eſt adjutorium præciſe ſufficiens. Ergo &c. Ex quibus patet, quod, cum Auguſtinus dicit tale adjutorium denegari in pœnam peccati, quod fuit conceſſum Adamo, non loquitur de eodem adjutorio, niſi in genere, & quatenus præciſe eſt auxilium ad perſeverandum.

Ad III. ℟. S. Auguſtinum hic defendere neceſſitatem gratiæ ad tollendam impotentiam non peccandi ortam vel ex originali, vel ex actuali, quæ quidem gratia humilitate & precibus ſemper poteſt acquiri, & ideo immediate ſubdit: ***Et tamen vitari poteſt, non quando voluntas ſuperba laudatur, ſed quando humilis adjuvatur.***

Ad IV. ℟. cœcitatem, de qua Auguſtinus, poſſe auferri a gratia, quam quilibet ſaltem orando poteſt acquirere, & ideo S. Doctor ait illos, qui ſunt excœcati, non credere quia nolunt (c): *Ecce*, inquit, ***miſericordia & judicium: miſericor-***

(a) *Cap. ſequenti*. (b) *Cap.* 13.
(c) *De prædeſt. Sanct. cap.* 6.

cordia in electionem, quæ consecuta est justitiam Dei, judicium vero in cæteros, qui excæcati sunt, & tamen illi, quia voluerunt, crediderunt, illi, quia noluerunt, non crediderunt. Juvat etiam audire S. Doctorem, qui de ignorantia, quæ est vel ipsa cœcitas, vel saltem circa quam valet, quod valet de cœcitate, loquens hæc habet: (a) *Quod ignorat* (anima) *quid sibi agendum sit, ex eo est, quod nondum accepit, sed hoc quoque accipiet, si hoc, quod accepit, bene usa fuerit. Accepit autem, ut pie & diligenter quærat si volet*. Excœcat autem Deus deserendo, & non adjuvando auxilio proxime sufficiente, ita tamen ut semper relinquat auxilium saltem remote sufficiens præsertim ad orandum.

Ad V. R. S. Doctorem ibi nomen gratiæ non sumere præcise pro gratia actuali; nam ibi dicit dari gratiam aliquibus parvulis, qui sane actualis gratiæ sunt incapaces, sed sumere generaliter pro beneficio supernaturali & gratuito homini de facto collato. Cum ergo dicit gratiam non omnibus dari, probabiliter respicit ad parvulos præmorientes Baptismo, qui beneficium supernaturale & gratuitum nullum de facto accipiunt.

Quoniam autem sæpe in superioribus ad objectiones ex Augustino responsionibus dictum est, nunquam auferri a peccatore potentiam remotam bene operandi consistentem saltem in potentia orandi, juvat modo ulteriora aliqua addere Augustini testimonia, quibus hoc comprobatur. Sunt autem (præter illud: *Deus impossibilia non jubet* &c. supra allatum) locus hic: (b) *Restat in ista mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo justitiam cum voluerit, sed ut supplici pietate se convertat ad eum, cujus dono possit eam implere:* rursus: (c) *Ideo jubet* (Deus) *aliqua, quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus*, rur-

(a) *Lib. 3. de lib. arbit. cap.* 22.
(b) *Lib.* 1. *ad Simpli. quæst.* 1.
(c) *De grat. & lib. arbit. cap.* 16.

rursus: (a) *Semel accipe & intellige: nondum traheris? ora ut traharis*: tandem: (b) *Hæc imperat Deus, quæ fieri possunt, sed ipse dedit, ut faciant eis, qui facere possunt, & faciunt, eosque, qui non possunt, imperando admonet a se poscere, ut possint.*

Assertio tertia, *Omnibus infidelibus adultis confert Deus media sufficientia ad fidem, & consequenter saltem remote ad salutem.*

Præter generales probationes circa voluntatem, quam habet Deus salvandi omnes homines, quæ hanc quoque assertionem probant.

Prob. specialiter eadem assertio ex definitionibus Ecclesiæ. Nam Alexander VIII. damnavit hanc V. propositionem: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam & inermem sine omni gratia sufficiente.*

Prob. ex Patribus I. Chrysostomus in hæc verba: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, hæc habet: (c) *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quomodo tot homines non illuminati maneut? non enim omnes Christum cognoscunt. Quomodo ergo illuminat omnem hominem? Quantum in ipso est. Si qui vero sponte sua mentis oculos claudentes hujus lucis radios perspicere nolint, non ex natura lucis evenit, quod in tenebris maneant, sed ex nequitia eorum, qui sponte se hoc privant munere, gratia quippe in omnes effusa est: non Judæum, non Græcum, non Barbarum, non Scytham, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non senem; non juvenem aversatur, sed omnes similiter admisit, & cum pari vocat honore*

(a) *Tract.* 26. *in Jo.*
(b) *Lib.* 3. *oper. imperf. contr. Jul.* n. 116.
(c) *Homil.* 7. *in Jo.*

nore. II. S. Augustinus. *Nulli homini*, inquit (a), *ablatum est scire utiliter quæri, quod inutiliter ignoratur*. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. I. dicitur Deum dimisisse Gentes ingredi vias suas (b). Ergo Gentilibus non concessit gratias, quibus ad fidem & ad bona opera ducerentur.

II. Apostolus ait: (c) *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei, quem non audierunt: quomodo autem audient sine prædicante, quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?* Cum ergo Fides dependeat a prædicatione, cumque plures sint infideles, quibus Fides non est prædicata (imo expresse prohibitum sit, ne aliquibus prædicaretur: nam Apostolus (d) prohibitus est a Spiritu S., ne in Bithinia prædicaret), isti non habuerunt gratiam sufficientem ad Fidem. Ergo &c.

℟. ad I. ex textu solum erui Deum permisisse peccata Gentilium, non impertiendo illis auxilia abundantia, quibus ad Fidem de facto converterentur, & a peccatis resipiscerent, sed non propterea dicendi sunt privati omnibus gratiis sufficientibus; alioquin non potuisset asserere S. Paulus illos fuisse inexcusabiles (e)

Ad II. ℟. predicationem esse quidem medium proxime necessarium ad Fidem de lege ordinaria, sed præter prædicationem dantur infidelibus aliæ gratiæ remote sufficientes, quibus si bene uterentur, prædicatio utique illis non negaretur. Dixi de lege ordinaria; fortasse enim, ut innuit S. Thomas, si infidelis faceret quod in se est, saltem consentiendo prioribus gratiis, Deus illum illuminaret medio extraordinario vel per An-

(a) *Lib.* 3. *de lib. arbit. cap.* 19.
(b) *Act.* 14. (c) *Rom* 10.
(d) *Act.* 16. (e) *Rom. prima*.

Angelum, vel alio modo. Ex quo etiam patet nihil officere assertioni, quod Paulus prohibitus sit prædicare in Bithinia: præterquamquod prohibitus ipse est solum ad tempus; constat enim ipsum postea ibi prædicasse.

Obj. ex definitionibus Ecclesiæ. Damnavit hæc propositionem Baij LXVIII. *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est:* quæ tamen propositio esset vera, si vera esset assertio. Nam si omnibus infidelibus dantur gratiæ sufficientes ad Fidem, jam si istis gratiis utantur, Fidem obtinebunt, adeoque istis Christus prædicabitur. Si ergo illis non prædicatur Christus, hoc provenit ex abusu gratiarum, consequenter illorum infidelitas est peccaminosa.

℟. Stare utique falsitatem propositionis Bajanæ etiam cum veritate assertionis; nam primo carentia prædicationis non semper provenit ex abusu gratiarum; cum enim prædicatio ad Fidem conducens sortiatur naturam gratiarum actualium, quæ non semper dantur, sed solum pro opportunitate, fieri potest, ut alicui etiam nullo actuali crimine infecto, talis prædicatio non sit concessa ad aliquod tempus, nec id tamen, ut patet, in pœnam præcedentium delictorum, sed solum quia Deus inscrutabili suo consilio illam differt ad tempus magis opportunum, quo casu pro toto tempore prædicationem antecedente hæc infidelitas est negativa, nec tamen est peccatum. Secundo etsi prædicatio denegaretur alicui in pœnam præcedentium delictorum, non tamen semper infidelitas inde proveniens esset peccaminosa, sed solum quando cognoscitur hæc delicta secum trahere hanc denegationem (quo casu infidelitas non est amplius mere negativa); si enim hoc non cognoscatur, quis dicet infidelitatem in iis ortam esse peccaminosam? Quomodo E. G. erit quidem peccaminosum homicidium in ebrietate commissum ab eo, qui se inebrians prævidit se ebrium illud patraturum, vel saltem illius periculum advertit: at si nihil horum advertit, tale homici-

dium non erit peccaminoſum niſi ad ſummum materialiter. Cum ergo fieri poſſit, imo plerumque contingat, ut infideles peccatores cognoſcant quidem malitiam peccati, quod patrant, ſed nihil ſciant de oppoſitione, quam habet peccatum ad Fidem, quæ nè in mentem quidem fortaſſe unquam venit, iſtorum infidelitas negativa utique quomodo erit peccatum? Atque huc Chriſtus ipſe reſpexit, dum ait: (a) *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent*, ſcilicet non peccaſſent non credendo, ut explicat Auguſtinus inquiens. (b) *Illos habere excuſationem non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, quo in Chriſtum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non eſt locutus* (ſubintellige vel per ſe, vel per ſuos miniſtros (. Et alibi: *Peccatum* inquit (c) *non haberent, non utique omne, ſed hoc peccatum, quo non crediderunt in eum*.

Obj. ex Auguſtino I. S. Doctor ait: (d) *Fides initium eſt, unde bona opera incipiunt*. Ergo Fides eſt prima gratia, quæ hominibus conceditur, conſequenter qui Fidem nondum habuit, nullam habuit gratiam:

II. Reſpondens objectioni illorum, qui immerito ſe corripi dicebant, eo quod non acccepiſſent gratiam, diſtinguit inter infideles, & Fideles, & de primis ait: (e) *Nec attendunt ſi nondum regenerati ſunt, primam eſſe cauſam, cur objurgati, quod ſint inobedientes Deo, ſibi debeant diſplicere; quia fecit Deus hominem rectum ab initio*. Ubi, ut patet, hanc unam aſſignat rationem, cur debeant iſti infideles objurgari, quia in Adamo peccarunt, aſſignaturus certe abuſum gratiarum actualium, ſi hæ illis fuiſſent conceſſæ.

III.

(a) *Jo.* 15. (b) *Tract.* 89. *in Jo.*
(c) *Queſt.* 52. *in Deut.*
(d) *Lib. de geſt. Pelag. cap.* 14.
(e) *De correp. & gra. cap.* 6.

III. Ait: (a) *Pagani, qui non habent gratiam Dei per Jesum Christum, non morientur?* Supponit ergo Paganos gratia esse destitutos.

IV, Ait: (b) *Inexcusabilis est omnis peccator vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui judicat, sive qui non judicat. Quia & ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est, in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio.* Dicit hic S. Doctor aliquos juste damnari, qui non potuerunt intelligere: quod indicat ipsos non habuisse gratiam sufficientem ad intelligendum, sive ad cognoscendam Fidem. Ergo &c.

℟. Ad I. duplicem esse distinguendam Fidem *perfectam* & *inchoatam*. Prima est, qua in Christum explicite creditur, altera qua ad perfectam veluti per gradus disponitur. Prior non est utique prima gratia: & hoc sensu damnatæ sunt Quesnellianæ propositiones: (c) *Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem*: & : (d) *Fides est prima gratia & fons omnium aliarum*. Altera fostassis est, & de hac tantum loquitur Augustinus. Sane ipse (e) loquens de Cornelio, qui, antequam haberet Fidem perfectam, eleemosynas & orationes faciebat, ait: *Nec tamen sine aliqua Fide donabat & orabat*. Et expressius ad rem præsentem: *Interest*, inquit, (f) *quibus articulis temporum vel celebratione Sacramentorum gratia plenior & evidentior infundatur. Non enim Cathecumeni non credunt, aut vero Cornelius non credebat Deo, cum eleemosynis & orationibus dignum se praberet, cui Angelus mitteretur, sed nullo modo ista operaretur, nisi ante credidisset: nullo modo autem credidisset, ni-*

(a) *Serm.* 154. *de verb. Apost. al* 5. *cap.* 11.
(b) *Ep.* 193. *al* 105. *ad Sixtum cap.* 6.
(c) 26. (d) 27.
(e) *De prædest. sanct. cap.* 7.
(f) *Lib.* 1 *ad Simplic. quæst.* 2.

si vel secretis per visa mentis aut Spiritus, vel manifestioribus per sensus corporis admonitionibus vocaretur. Sed in quibusdam tanta est gratia Fidei, quanta non sufficit ad obtinendum Regnum Cœlorum, sicut in Cathecumenis, sicut in ipso Cornelio, antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ. In quibusdam vero tanta est, ut jam corpori Christi & sancto Dei Templo deputentur . . . Fiunt ergo inchoationes quædam Fidei conceptionibus similes; non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam. Nec moveat quod S. Doctor ait etiam Fidem inchoatam aliquibus denegari; inquit enim: (a) *Fidem & inchoatam & perfectam donum Dei esse, quod quibusdam datur, quibusdam non datur*; nam dicit tantum aliquibus non dari quoad effectum, quia nempe aliqui ea non utuntur, ut ad perfectam perveniant.

Ad II. ℟. S. Doctorem ibi non assignare originale nisi tanquam rationem primam correptionis, ut patet ex verbis ibi adductis, & ex sequentibus, quæ ita se habent: *Ac per hoc prima pravitas, qua Deo non obeditur, ab homine est, quia ex rectitudine, in qua eum Deus primitus fecit, sua mala voluntate decidens pravus effectus est. An vero idcirco pravitas ista corripienda non est in homine, quia non ejus propria, qui corripitur, sed communis est omnibus? Imo vero corripiatur & in singulis quod est omnium*. Quod autem originale sit prima ratio correptionis, non tollit, nè hæc possit ex aliis capitibus deduci. Ergo &c.

Ad III. ℟. gratiam, de qua ibi Augustinus, esse gratiam illos reddentem sanctos; comparat enim justos cum peccatoribus, & dicit, justos liberandos a corpore mortis hujus in perpetuum, cum morientur, nam licet reassumpturi sint corpora, hæc tamen erunt immortalia & gloriosa. Peccatores

(a) *De prædest. sanct. cap. 8.*

res vero, licet liberandi a corpore in morte, illud tamen in resurrectione reassumeat passibile & damnabile morte æterna.

Ad IV. ℟. illos, qui intelligere non potuerunt, esse qui non acceperunt gratias proxime sufficientes ad Fidem, cum tamen acceperint remote sufficientes, quibus proximas possent comparare, adeoque & ipsam Fidem. Isti utique aliquo sensu non potuerunt intelligere, & illorum ignorantia (si non adverterunt connexionem, quam illa habet cum abusu gratiarum remote sufficientium) non est formaliter peccaminosa, sed potius pœna peccati: & tamen merito damnantur tum propter originale, tum propter abusum gratiarum remote sufficentium. Ergo &c.

Assertio quarta. *Providit Deus etiam omnibus infantibus media ad salutem sufficentia, ac modum, quantum est ex se, suppeditavit, quo hæc applicaretur.*

Et hic valent generales probationes supra adductæ pro voluntate Dei generali erga omnium salutem, & applicatione mortis Christi pro omnibus.

Quoniam autem difficultas circa illos præcipue pueros versatur, qui Baptismati præmoriuntur, quin possit illis idem Baptisma applicari, ideo objectiones tantum ad illos spectantes hic afferam.

Obj. ergo ex Patribus. Isti in solam Dei voluntatem refundunt, quod unus puer perveniat ad Baptismum, alter non. Ita S. Augustinus inquit: (a) *Aliquando adoptat in Filium, quem format in utero immundissimæ fœminæ, & aliquando non vult esse suum filium, quem format in utero Filiæ suæ.* Et alibi: (b) *Quid dicam quod parvulus aliquando, antequam illi per ministerium bapti-*

(a) *Lib. 6. contr. Juli. cap.* 14.
(b) *De dono persev. cap.* 12.

tantis ſuccurri poſſit, expiret? Plerumque feſtinantibus parentibus & paratis miniſtris, ut Baptiſmus parvulis detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum parvulum in vita non tenuit, ut daretur. Quibus ſimilia habet S. Proſper (a) dum canit.

Cum videas multos ſanctis genitoribus ortos
nullo ſalvari ſtudio potuiſſe ſuorum. Ergo &c.

Antequam reſpondeam noto diviſos eſſe Theologos in aſſignando modo, quo Deus his parvulis providit. Recurrunt aliqui ad medium quoddam extraordinarium etiam independenter a Baptiſmo in re, quod quidem alii aſſignant dicendo (ſaltem in caſu, quo Baptiſmus non poſſit in re applicari) acceleraturum Deum pueris uſum rationis, ut poſſint per actum dilectionis juſtificari: alii vero conſultius ſe ignorare profitentur. Et ſane quis negabit Deo infinitos modos ſuppetere nobis ignotos, quibus parvulis præbeat modum ſalutis, adipiſcendæ? alii vero medium unicum pro ſalute parvulorum ſtatuunt Baptiſmum in re. Dicunt autem ſalvari, quod Deus etiam parvulis providet, quantum eſt ex ſe, tale medium dupliciter, primo per hoc, quod inſtituerit pro ipſis Baptiſmum: quod ſi vel ex culpa aliorum hominum, vel ex occurſu cauſarum naturalium impediatur, nè puer aliquis baptizetur, hoc, inquiunt, non tollit nè Deus poſſit dici illis providiſſe: non enim tenetur omnia impedimenta removere: ſecundo per hoc, quod media ſufficentia ad Baptiſmum poſuerit in manibus parentum, adeo ut, ſi iſti honeſte vivant, & Deum pro parvulis debito modo orent, certo futurum ſit, ut poſſit parvulis Baptiſmus applicari.

Niſi autem velimus amplecti ſententiam illam, quæ docet Deum providere his parvulis medio.

(a) *Carm. de ingrat. part. 3. n.* 632.

dio quodam nobis ignoto, (quæ sane est expeditissima; non enim potest aut tenetur Theologus assignare modos, quibus Deus in gubernatione suarum creaturarum se gerat, ut eas ad statutos fines perducat) hæc posterior sententia aliis probabilior videtur, vel saltem minoribus obnoxia difficultatibus, tum quia omnia salvat, ut infra videbitur, tum etiam quia valde est probabile, quod, sicuti Deus voluit imperscrutabili suo consilio, ut esset in manu Adami omnes suos descendentes constituere peccatores, ita velit, ut sit in manu cujuslibet parentis filios suos constituere vel non constituere justos. Et sane stante incapacitate parvulorum ad procurandum sibi Baptisma optime illis consuluit Deus, illorum causam relinquendo curæ parentum, qui semper præsumuntur solliciti de bono filiorum suorum. Huic sententiæ videtur etiam suffragari S. Prosper, vel S. Leo, vel quicumque alius sit auctor operis de vocatione Gentium antiquus sane & celebris, qui inquit: (a) *Non irreligiose arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa Nationibus, qua utique si bene uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur*. Juxta hanc igitur sententiam.

R'. adductos Patres asserere parvulos excludi a Baptismo ex voluntate Dei tantum consequente, scilicet consequente culpam & negligentiam parentum: qua quidem negligentia olim admissa, fieri potest, ut Deus nolit amplius, ut Baptismus conferatur pueris, etsi omnem postea diligentiam ipsi parentes jam pœnitentes negligentiæ præteritæ his & nunc adhibeant, ut conferatur. Neque hinc sequitur quod, si pueri damnantur, ex culpa parentum

(a) *Lib.* 2. *Cap.* 23.

rentum tamquam ex causa damnentur; nam culpa parentum in casu non est ratio immediata, ob quam pueri damnantur, sed est solum conditio, sine qua non damnarentur, cum ratio illa sit solum peccatum originale: quomodo si quis in læthali constitutus subito moriatur, antequam obtineat absolutionem, quam solum attritus petiit, etsi hoc factum sit ex negligentia Sacerdotis, non tamen hæc negligentia est ratio immediata damnationis peccatoris, sed est solum conditio, sine qua non damnaretur, cum ratio immediata hujus damnationis sit solum peccatum læthale, quo inficitur.

Hac etiam responsione admissa intelligitur, quomodo Deus velit quantum ex se est, ut parvuli veniant ad Baptismum, etiam quando immatura morte rapiuntur adhuc existentes in uteris matrum, vel quando nascuntur ex parentibus infidelibus, qui nihil cogitant de Baptismo illis applicando, vel in aliis similibus circumstantiis; cum enim hoc evenit, ideo evenit, quia parentes vel peccando, vel omittendo debitam diligentiam, & præcipue orationem, ipsis gratiam Baptismi vel demeruerunt, vel saltem non meruerunt.

CAPUT SEXTUM.

De Prædestinatione.

EXplicabo hic 1. terminos, & recensebo errores & opiniones circa causam motivam prædestinationis ad gloriam: 2. statuam & vindicabo assertionem, quæ probabilior videbitur: 3. agam de effectibus prædestinationis: 4. examinabo utrum prædestinatus possit damnari, & contra utrum reprobus possit salvari: 5. agam de numero prædestinatorum.

ARTICULUS PRIMUS.

Prædestinatio juxta nominis etymologiam significat destinationem antecedentem existentiam rei; unde prædestinatio in Deo significat æternum ipsius

ipsius decretum de aliqua re in tempore facienda. Hic consideratur prædestinatio Dei tantum respiciens supernaturalia.

Quæ spectari potest vel *quoad gratiam*, vel *quoad gloriam*. Prima est decretum Dei absolutum de danda in tempore gratia: secunda est decretum Dei absolutum de danda in tempore gloria. Dixi *decretum absolutum*: prædestinatio enim, de qua modo, non est confundenda cum generali voluntate supra statuta, quam habet Deus de salute omnium; hæc enim est tantum conditionata, & plerumque effectu caret, cum prædestinatio sit decretum absolutum effectum semper consequens. De prædestinatione ad gratiam, præcise ut est talis, agam ex professo in Tractatu de Gratia. De prædestinatione ad gloriam modo est agendum.

Circa hanc in primis solet quæri quænam sit illius causa motiva, scilicet cur unum & non alium ad gloriam Deus prædestinet. Quod quidem potest quæri tum respectu Angelorum, tum hominum, & rursus, si de his loquamur, tam potest quæri respectu hominum consideratorum ante, quam post peccatum Adæ. De causa motiva prædestinationis hominum secundo modo consideratorum hic erit sermo; cum enim nullus hominum prædestinatus de facto sit, nisi post prævisum peccatum Adami, non est, cur hic quæstio instituatur de prædestinatione hominis innocentis. Quid tamen probabilius evenisset, si durasset status innocentiæ, poterit aliquo modo colligi ex dicendis. Postea breviter de prædestinatione Angelorum.

Multi circa hoc fuerunt errores, multæ quoque Catholicorum opiniones. Aliqui antiqui Hæretici, ut Basilides, Valentinus, & Manichæi cum vellent quosdam homines esse naturaliter bonos, alios naturaliter malos, cujusque prædestinationem ex illius natura repetebant. Origines, cum animas corporibus præextitisse putaret, admisit quoque illas in eo statu meruisse vel demeruisse: hoc autem meritum, vel demeritum volebat esse rationem, cur Deus homini decerneret & gratiam & gloriam. Hic error prælusit errori Pelagii, qui præ-

destinationem ad gloriam fundabat in meritis naturalibus, & Semipelagianorum, qui illam fundabant in meritis quidem supernaturalibus, sed quæ tamen primo ortum habuissent a libero arbitrio juxta superius dicta. Huc reduci debet error Calvini, qui docuit independenter a quacumque prævisione operum sive bonorum, sive malorum, aliquos a Deo prædestinatos fuisse, alios reprobatos, & priores necessitari ad bonum, posteriores ad malum, pro prioribus mortuum esse Christum, nullo autem modo pro posterioribus.

Quo loco notare præstat, plures contendere hunc errorem non fuisse primo excogitatum a Calvino, sed usque a temporibus remotioribus viguisse in quibusdam Hæreticis, qui idcirco dicti sunt Prædestinatiani. Hanc sectam aliqui excitatam dicunt circa annum 424. in Monasterio Adrumetino in Africa, illique postea eodem fere tempore nomen dedisse in Gallis Massilienses. Alii illam arcessunt a Lucido quodam Presbytero circa annum 470. alii a Goteschalco Monacho 9. sæculo: alii tandem omnia, quæ de antiquitate hujus sectæ narrantur, fabulosa putant.

Ipse in primis dico probabilius apud Adrumetinos non viguisse hanc hæresim; nam post sedatas turbas in Monasterio Adrumetino, quæ occasionem dederunt pluribus asserendi aliquos fuisse in dicto Monasterio Prædestinatianos, & de quibus infra dicam, S. Augustinus scripsit librum *De hæresibus*, in quo hæreses recensuit, quæ usque ad illud tempus in Ecclesia fuerunt, nec tamen ullam de Prædestinatianis mentionem fecit, eos certe non omissurus si in Adrumeto fuissent.

Rursus series ipsa gestorum illorum temporum satis manifestat quid occasionem dederit falso putandi viguisse Adrumeti hæresim Prædestinatianam. Scripserat S. Augustinus epistolam ad Sixtum (a), in qua & Dei prædestinationem secundum proposi-

(a) 194. *alias* 105.

situm, & necessitatem gratiæ prædicabat. Delata hac epistola Adrumetum per Florum Monachum, ac lecta & examinata, divisi sunt Monachi, aliis cum Valentino Abbate & Floro approbantibus Augustini doctrinam, aliis rejicientibus, utpote qua putabant tolli liberum arbitrium, quod ut salvarent, negabant Dei gratia præveniri nostras voluntates. Interim Felix & Cresconius Monachi Adrumetini, inconsulto Abbate & non satis perspecta causa, rem ad Augustinum detulerunt, Florum inter alios accusantes, quod negaret liberum arbitrium. Id credens vel saltem de eo dubitans Augustinus epistolam (a) dedit ad Valentinum, in qua inter alia hæc habet: *Retulerunt* (Felix & Cresconius) *Monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum eo, quod quidam in vobis sic gratiam prædicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium.*

Ut autem hunc errorem tolleret, librum scripsit *De gratia & libero arbitrio*. Sed cum postea tum ex repetitis interrogationibus factis Monachis delatoribus, tum ex epistolis Valentini cognovisset sanam fidem Monachorum, qui fuerant accusati, & nominatim Flori, ita scripsit initio libri *De correptione & gratia*, quem post alterum *De gratia & libero arbitrio* edidit: *Hanc Fidem, quæ sine dubio vera & prophetica, & Apostolica & Catholica Fides est, etiam in fratre nostro Floro invenisse me gaudeo, unde hi potius corrigendi sunt... qui eum non intelligebant.* Ex his patet non Prædestinatianam hæresim in Monasterio Adrumetino tunc excitatam fuisse, sed potius hanc per errorem affictam fuisse doctrinæ S. Augustini, quasi ex hac talis hæresis sequeretur. Et hinc idem S. Augustinus in libris *Retractationum* loquens de libro *De gratia & libero arbitrio* ait: (b) *Propter*

(a) 214. *alias* 46.
(b) *Lib.* 2. *Retract. cap.* 66.

eos, qui cum defenditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium, sic ipsi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, asserentes eam secundum merita nostra dari, scripsi librum, cui titulus est de gratia & libero arbitrio. Ad eos autem scripsi Monachos Adrumetinos, in quorum Monasterio de hac re ceperat esse contentio.

Tandem testatur S. Prosper Semipelagianos Massilienses idem quoad hoc caput sensisse, quod Adrumetini: *Evenit* inquit ipse (a), *ex dispositione misericordiæ Dei, ut cum quosdam intra Africam similia movissent, librum De correptione & gratia plenum divinæ auctoritatis emitteres.* Atqui ostendi potest Massilienses Prædestinatianos non fuisse. Ergo &c. Minorem ut probem

Dico secundo probabilius Massilienses Prædestinatianos non fuisse; nam S. Prosper loquens de Massiliensibus non dicit eos negasse liberum arbitrium, & prædestinationem ac vocationem ineluctabilem adstruxisse, sed solum hæc objecisse Augustino, quasi ex ipsius doctrina sequerentur. En verba S. Prosperi: (b) *Multi servorum Christi, qui in Massiliensi Urbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti... Hoc autem propositum vocationis Dei, quo... eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori, alia vasa honoris, alia vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem torporis afferre... removeri omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas preveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem.* Scio

(a) *Ep. ad August.*
(b) *Eadem epist. ad Augustinuit.*

Scio objici auctoritatem tum Hincmari testantis (a) & in Africa & in Galliis emersisse tempore S. Augustini hæresim Prædestinatianam, tum Auctoris libri inscripti *Prædestinatus*, qui editus est a Sirmundo, testantis hanc hæresim erupisse tempore Cœlestini Papæ, & ad eam tollendam confugisse Prosperum & Hilarium ad ipsum Cœlestinum. Sed

Contra. Omisso quod in hac re Hincmaro non est fidendum, cum ipse vixerit fere 400. annis post tempora Cœlestini, advertendum etiam, quod ipse manifeste confundit Prædestinatianos cum Semipelagianis, referens tamquam dogma priorum Deum reprobare parvulos ob demerita conditionate futura, quod soli posteriores docebant. Nec pariter est fidendum Auctori *Prædestinati*. qui manifeste Pelagianus est, cum multoties asserat concupiscentiam non esse pœnam peccati, sed bonum naturæ, quod Pelagianorum erat dogma, & Augustinum ac Catholicos sub Prædestinatianorum nomine carpit. Addo quod forsan posset explicari assertum hujus auctoris, illud referendo ad Lucidum, quem fuisse Prædestinatianum statim ostendo.

Dico ergo tertio probabilius Prædestinatianam hæresim docuisse versus finem 5. sæculi Lucidum Presbyterum; nam id constat ex Fausto in sua epistola ad Lucidum, & in præfatione librorum ipsius ad Leontium Arelatensem Episcopum, & ex libello emendationis, quem ipse Lucidus obtulit Episcopis Gallicanis.

Nec opponas non esse credendum Fausto, qui utpote Semipelagianus hæc omnia confinxit, ut sub Prædestinatianorum nomine carperet doctrinam S. Augustini, nam est omnino inverisimile Faustum illudere aut voluisse, aut potuisse Episcopis Gallicanis in Conciliis Arelatensi & Lugdunensi congre-

(a) *Ep. ad Nicolaum Papam*.

gregatis, ad quos detulit errores Lucidi: vel confinxiſse has Synodos, quasi, ut inquit Norisius, de remotissimis Asiæ rebus loqueretur, non vero de eo, quod evenerat in duabus nobilissimis Urbibus, & modico tempore ante. Asserere autem, ut aliqui asserunt, Patres harum Synodorum fuiſse & ipsos Semipelagianos, adeoque eodem consilio, quo Faustus, damnasse doctrinam S. Augustini, est temere turpissimam notam sanctissimis Episcopis affingere.

Dico ultimo incertum esse, utrum Prædestinatianam hæresim docuerit 9. sæculo Goteschalcus; nam Auctores coævi, ex quibus maxime hujus rei veritas esset repetenda, discordes sunt, aliis stantibus contra Goteschalcum, aliis pro ipso. Contra ipsum stant Rabanus Archiepiscopus Moguntinus, qui illum ut hæreticum Prædestinatianum in Synodo Moguntina damnavit, & Hincmarus Remensis, qui illum damnavit in duobus Conciliis Carisiacis, hisque consentiunt Annales Fuldenses & Bertiniani. At ipsum defendunt Lupus Ferrariensis, S. Prudentius Trecensis, Ratramnus Corbejensis, S. Remigius cum Ecclesia sua Lugdunensi, & Patres Concilii Valentini paulo post dicta Concilia Carisiaca celebrati, qui omnes propositiones Gotescalchi in recto sensu exponunt, atque docent illum injuste fuisse damnatum. Rem igitur incertam ut incertam relinquo, ad Catholicorum sententias circa prædestinationem deveniendo.

Cum ergo certum de Fide sit Deum nulli adulto conferre gloriam, nisi ob ipsius merita supernaturalia, oritur quæstio inter Catholicos circa modum, quo concipit Deus decretum prædestinativum adultorum.

Dixi *adultorum*; cum enim certum sit parvulos baptizatos præmorientes usui rationis non salvari ex propriis meritis, sed tantum ex meritis Christi, adeoque gloriam illis conferri non titulo premii, sed solum hæreditatis, certum est pariter eorum prædestinationem ab ipsorum meritis non posse repeti, unde tota circa hoc controversia reducitur ad prædestinationem adultorum.

Ut

Ut autem intelligatur status controversiæ hujus, quæ inter Catholicos agitatur, advertendum prædestinationem ad gloriam posse considerari vel *complete* & *adequate*, vel *incomplete* & *inadequate*. Consideratur primo modo cum consideratur relate ad omnia, quæ ipsam prædestinationem ingrediuntur, & sunt tum series illa gratiarum, quæ secum trahunt finalem perseverantiam, tum ipsa gloria. Consideratur secundo modo cum consideratur vel solum relate ad gratiam cum finali perseverantia conjunctam, vel solum relate ad gloriam. Si consideretur prædestinatio solum quoad gloriam, dicitur *prædestinatio formalis ad gloriam*: si ad gratiam cum finali perseverantia conjunctam, dicitur *prædestinatio radicalis ad gloriam*, cum talis gratia sit gloriæ radix. Prædestinationem ad gloriam completam, vel etiam solum radicalem concedunt omnes Catholici esse ex mero arbitrio Dei, & antecedenter ad omnem meritorum prævisionem. Hoc idcirco non assumo ex professo probandum, præcipue cum obiter, loquendo de prædestinatione formali ad gloriam, multa sint afferenda, quæ hoc probant invicte. Quæstionem ergo reduco ad prædestinationem formalem ad gloriam.

Quæ quidem quæstio, ut instituatur, supponendum aliquem esse ordinem prioritatis & posterioritatis (signi utique & rationis) inter prædestinationem ad gratiam & prædestinationem ad gloriam; si enim hoc non supponatur, non poterit quæri quænam ex his præcedat, quænam sequatur. Et hinc recte Tournely (a): *Præsentis controversiæ nodum ac difficultatem effugere videntur, qui cum Gregorio de Valentia volunt prædestinationem eodem istanti rationis fieri & ad gloriam & ad gratiam*. Et sane nisi fieret jam dicta suppositio, & aliunde statueretur prædestinatio-

(a) *Tom.* 1. *pag.* 592. *edit. Venet. an.* 1746.

tionem ad gratiam simul & ad gloriam fieri independenter a meritis, omnia optime salverentur, quæ debent salvari, nec in difficultates incideremus, quæ hinc inde militant fere inextricabiles. Sed usus communis Theologorum, qui instruentes quæstionem utrum gloria prius decernatur, an merita, indicant se aliquam hic agnoscere signi & rationis prioritatem & posterioritatem, exigit ut hoc & ipse supponens quæstionem aggrediatur, utrum prædestinatio formalis ad gloriam dependeat a meritis, illaque supponat, an è contrario hæc supponant illam.

Duæ itaque sunt circa hanc ex diametro oppositæ celebres sententiæ: tertia est veluti media inter utramque. Prima prædestinationem hanc facit independentem a prævisione meritorum illaque anteriorem, alia facit dependentem eaque posteriorem. Pro prima stant communiter Thomistæ, & Augustinenses, & plerique etiam Scotistæ & Mediistæ, aliique: pro secunda stant plures alii Mediistæ & Scotistæ; multique alii Theologi æque celebres: tertiam docuit, vel potius ex quibusdam Auctoribus hausit Ambrosius Catharinus asserens aliquos eximiæ sanctitatis homines, ut fuerunt E. G. Deipara, Præcursor &c., electos fuisse antecedenter ad omnem meritorum prævisionem, cæteros vero post. Tertiam hanc sententiam hic non suscipio examinandam; non enim apparet sufficiens ratio statuendi aliquam exceptionem a regula generali, consequenter prædestinatio ad gloriam dicenda est vel pro omnibus independens, vel pro omnibus dependens a meritis.

Prima igitur sententia docet Deum post prævisos homines originali infectos aliquos ex speciali sua misericordia destinasse ad gloriam, & vi hujus destinationis illis etiam destinasse gratias efficaces & finalem perseverantiam, ut merita cumulantent tandem coronanda per collationem ejusdem gloriæ. Ex quo patet juxta hanc sententiam gloriam non decerni ex suppositione meritorum, sed

sed potius merita decerni ex suppositione destinationis ad gloriam, quam tamen, ut dixi, concedunt hujus sententiæ auctores dari ob merita.

Hoc explicant duplicem distinguendo ordinem, *intentionis* scilicet & *executionis*. Prior respicit voluntatem de danda gloria, alter gloriæ collationem. Juxta primum gloria est gratuita, quia ut Deus velit huic vel illi absolute dare gloriam; non movetur ex meritis: juxta secundum non est, quia de facto Deus non confert gloriam nisi ob merita.

Rem declarant exemplo. Si ego venditurus domum concipiam tali modo decretum: volo ex meo arbitrio, ut domus sit Petri, sed quoniam volo, ut illius sit titulo emptionis, ideo Petro modum exhibebo, quo nummos acquirat necessarios ad emptionem; in hoc casu quod me determinat ad decernendam Petro domum non est pretium, nam quod Petrus habiturus sit pretium potius est effectus ejusdem determinationis: domum tamen Petro non tradam nisi ob pretium; sicque gratis decernitur Petro domus, sed non gratis conferetur, quod idem est ac si dicatur: decretum de danda Petro domo gratis concipitur, sed non est decretum de danda domo gratis. Ita a pari in casu.

Alii è contrario asserunt decretum de danda gloria, subsequi absolutam prævisionem meritorum, scilicet volunt Deum ideo moveri ad decernendam alicui gloriam, quia prævidit illius finalia merita absoluta. Unde contendunt hi Auctores decretum de danda gratia efficaci & finali perseverantia esse antecedens decreto de danda gloria.

Ubi noto male ab aliquibus hanc posteriorem sententiam statui ut connexam cum sententia de scientia media, quasi hac scientia admissa debeat etiam admitti prædestinatio ad gloriam dependens a meritis, & admissa hac prædestinatione debeat etiam admitti scientia media. Sane potest Mediista admittere etiam prædestinationem independentem a meritis, ut plerique faciunt, & potest qui reji-

rejicit scientiam mediam admittere prædestinationem a meritis dependentem; agitur enim hic de meritis absolutis, non de mere conditionatis, qualia contemplatur scientia media, & quæritur utrum prævisio horum absolutorum meritorum præcedat prædestinationem ad gloriam, an sequatur. Potest autem præcedere etiam in sententia negantium scientiam mediam, si nempe Deus ante quodcumque decretum absolutum de salute hujus vel illius statuat dare gratiam ab intrinseco efficacem, ut explicant E. G. Thomistæ, connexam cum perseverantia finali, qua posita videns merita finalia absoluta, vi illorum postea decernat absolute gloriam: & potest sequi etiam in sententia Mediistarum, si nempe quamcumque prævisionem meritorum absolutorum præcedat Dei decretum absolutum de danda gloria, vi cujus decreti decernat postea dare illas gratias, quas per scientiam mediam vidit effectum habituras, & conjungendas cum finali perseverantia.

In priore igitur sententia decretum prædestinativum gratis quidem concipitur, sed non gratis effectum sortietur: in secunda nec gratis effectum sortietur, nec gratis concipitur. Juxta primam nulla in Deo supponitur scientia de meritis, nisi ad summum scientia simplicis intelligentiæ: juxta secundam supponitur scientia visionis. Juxta primam Deus ita efformat decretum; volo Petro E. G. dare gloriam ex meo præcise arbitrio, cum tamen illam velim dare ut præmium, proinde volo conferre Petro gratias efficaces, quibus merita comparet: juxta secundam decretum est tale: volo Petro gratiam efficacem conferre & perseverantiam finalem, vi cujus cum prævideam illum in gratia decessurum, decerno illi gloriam. Juxta primam tandem decretum est in ordine intentivo gratuitum, in executivo remuneratorium: juxta secundam est remuneratorium tum in ordine intentivo, tum in executivo.

Hæ duæ sententiæ maxima gaudent ambæ probabilitate, quæ ubi sit major difficile est definire. Posse absolute prædestinationem fieri, utro-

que

que modo & ipse fateor. Quæ pro utraque sententia adducuntur gravia sunt, quæ contra utramque probabilem patiuntur solutionem. Quam proinde eligerem diu anceps hæsi, & fere etiam hæreo; libratis tamen hinc inde momentis in eam me sententiam propendere sentio, quæ facit prædestinationem a meritis dependentem. Sit ergo.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *Probabilius videtur formalem adultorum prædestinationem ad gloriam dependere a prævisis illorum meritis finalibus absolute futuris.*

Prob. ex Scripturis. Ex his constat Deum dare gloriam ob merita; nam gloria passim appellatur *premium, bravium, retributio, corona justitiæ, merces &c.*, & merita adducuntur ut ratio, ob quam gloria confertur juxta illud (a): *Venite benedicti Patris mei &c. esurivi enim & dedistis mihi manducare &c.* Ergo in Deo reperitur decretum de danda gloria ob merita. Si hoc frustra admittitur in Deo decretum de danda gloria non supponens merita. Ergo &c.

Dixi *frustra admitti in Deo decretum de danda gloria non supponens merita*; non enim, ut supra innui, contendo absolute repugnare tale decretum, sed solum non apparere necessitatem illud statuendi, posito quod aliud decretum adsit supponens merita, præsertim cum excluso primo decreto conformitas habeatur inter ordinem intentionis & ordinem executionis, quæ non haberetur eo admisso.

Prob. ex Patribus. I. S. Hilarius ait: (b) *Non res indiscreti judicii electio est, sed ex meriti delectu facta discretio est.* II. S. Ambrosius ait: (c) *Non ante prædestinavit, quam presciret, sed quorum merita prescivit, eorum premia prædestinavit.*

(a) *Matt.* 25. (b) *In Psal.* 64.
(c) *Lib.* 5. *de Fid. cap.* 2.

vit. III. S. Augustinus quanquam communius de prædestinatione tantum ad gratiam, vel completa ad gloriam sit locutus, ut infra patebit, cum tamen de prædestinatione ad gloriam formali est locutus, quod nonnisi obiter fecit, illam statuit a meritis dependentem; loquens enim de hac prædestinatione inquit: (a) *Non tamen electio precedit justificationem, sed electionem justificatio; nemo enim eligitur nisi jam distans ab illo, qui rejicitur. Unde quod dictum est, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo dictum sit nisi prescientia*. Alibi asserit se ignorare, cur Deus uni det perseverantiam, alteri non det, quod innuit S. Doctorem non sensisse hanc prædestinationem esse independentem a meritis ipsisque priorem; si enim talis esset, quærenti cur uni Deus det perseverantiam, alteri non, respondisset: *quia unus est prædestinatus, alter non*. En illius verba: (b) *Si a me quæratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam, qua christiane viverent, dilectionem dedit, me ignorare respondeo*. Præterea quærens, quomodo vita æterna sit gratia, respondit: (c) *Ista quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolvi, nisi intelligamus & ipsa bona opera, quibus æterna redditur vita, ad gratiam Dei pertinere*. Profecto si prædestinatio ad gloriam fieret independenter a meritis, hoc etiam sensu gloria posset dici gratia. Negat autem Augustinus hoc sensu posse dici gratiam, quia asserit non posse dici gratiam, nisi quatenus dependet ex meritis, quæ proveniunt a gratia. Ergo negat prædestinationem fieri independenter a meritis. IV. S. Fulgentius ait: (d) *Prædestinavit illos ad supplicium, quos*

a

(a) *Lib.* 1. *ad Simplic. quæst.* 2.
(b) *De correp. & grat. cap.* 8.
(c) *De gra. & lib. arb. cap.* 8.
(d) *Lib.* 1. *ad Monim. vers. finem*.

a se praescivit voluntatis malæ vitio discessuros; & prædestinavit ad regnum, quos ad se præscivit misericordiæ prævenientis auxilio redituros, & in se misericordiæ subsequentis auxilio esse mansuros V. S. Prosper ait: (a) *Quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati, essent autem prædestinati, si essent reversuri, & in sanctitate & veritate mansuri*. Ergo &c.

Prob. ratione. I. Antecedenter ad illud signum, quo Deus homines prædestinat, idest habet voluntatem absolutam de illorum salute, debet in ipso admitti generalis voluntas salvandi omnes conditionata. Hoc est autem proprium voluntatis conditionatæ, ut non transeat in absolutam, nisi purificata conditione. Igitur voluntas illa generalis non transit in absolutam, nisi purificata conditione. Conditio in casu sunt merita absoluta finalia. Ergo ante voluntatem absolutam debent hæc merita præsupponi. Ergo &c. Quam quidem rationem non ideo adduxi, quasi contendam Deum non posse devenire ad prædestinationem nisi præsuppositis meritis, sed solum quia videtur planior &, ut sic dicam, naturalior ordo procedendi primo modo, quam altero.

II. Hoc etiam videtur habere commodi nostra sententia præ opposita, quod est aptior ad tollendas nimias anxietates, quæ circa negotium prædestinationis solent in animis Fidelium oriri, & ad illos excitandos ad studium virtutis; si enim prædestinatio statuatur anterior meritis, non est in potestate hominis illam sibi per bona opera in ordine intentivo comparare, & aliunde ea non posita non salvabitur. Ex hoc autem facile est, ut animus dejiciatur, & non curet bona opera exercere. Id quidem si fiat, male fiet etiam juxta sententiam adversariorum; nam etiam juxta hanc verificatur, quod in ordine executivo præde-

(a) *Ad object. Vincen. cap.* 12.

destinatio dependet a meritis, seu non consequetur homo gloriam nisi positis meritis. Sed melius huic errori occurritur statuendo prædestinationem a meritis dependentem etiam in ordine intentivo; nam sic prædestinatio, sub quocumque respectu consideretur, supponit merita, ex quo mire ostenditur eorumdem meritorum & consequenter bonorum operum necessitas.

Antequam ad objectiones deveniam, notare præstat, quam diversæ sint conditionis quæ Scripturæ & Patrum loca adducuntur pro adversariorum sententia; prima enim necessario debent intelligi de prædestinatione formali ad gloriam, cum, si de alia prædestinatione vel completa, vel etiam solum radicali intelligerentur, probarent illam dependere a meritis, quod per omnes est falsum. At quæ pro contraria adducuntur possunt optime intelligi de prædestinatione completa, vel de radicali, cum nullum in hoc sit incoveniens. Quo posito en responsio quædam generalis fere omnibus illis testimoniis, quæ contra adducuntur, adaptabilis. Hæc igitur semper præ oculis habeatur, quanquam aliæ quoque præsto sint, quæ ipse ad abundantiam infra afferam.

Obj. ergo ex Scripturis I. Hæ docent Deum conferre gratias efficaces, & finalem perseverantiam prædestinatis, ex quo sunt prædestinati. Ita dicitur. (a) *Raptus est, nè malitia mutaret intellectum ejus*; rursus: (b) *Consummatus in brevi explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum:* & Christus: (c) *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi.*

Ergo

(a) *Sap.* 4

(b) *Ibidem*.

(c) *Matt.* 24.

Ergo non prædestinatio a meritis, sed merita a prædestinatione dependent, adeoque hæc est illis prior.

II. Testatur Christus voluntatem Dei de danda gloria esse merum illius placitum; inquit enim: (a) *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*.

III. Dicit Christus: (b) *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis & fructum afferatis*: quod esset falsum, si predestinatio a meritis dependeret; tunc enim prædestinati per propria merita eligerent Deum, non Deus eligeret illos.

IV. Apostolus in epistola ad Romanos totus est in ostendenda gratuita prædestinatione; nam inquit: (c) *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti*. Vocari *secundum propositum* idem est ex Apostolo ac vocari ex arbitrio Dei, ut colligitur ex aliis locis, ubi eandem dictionem semper eodem sensu adhibet. Qui autem hic dicuntur vocati *secundum propositum*, sunt prædestinati ad gloriam; de illis enim hic Apostolum loqui, patet tum ex quo asserat sic vocatis omnia cooperari in bonum, quod non convenit nisi prædestinatis, quibus & mors & ipsa permissio peccati tandem cedunt in bonum, tum ex ratione, quam ibidem subddit; inquit enim: *Nam quos prescivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui..... Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit*. Ubi patet illos, de quibus Apostolus loquitur, tandem dici glorificatos. Præterea ex verbis ultimo relatis patet prædestinationem poni ut causam vocationis, idest collationis gratiæ. Ergo prædestinatio non est ex meritis, sed potius merita sunt ex prædestinatione.

(a) *Luc.* 12. (b) *Jo.* 15. (c) *Cap.* 8.

ne. Præterea infra (a) loquens Apoſtolus de prædestinatione adducit exemplum, Jacob & Esau, de quibus ait: *Cum nondum... aliquid boni egiſsent aut mali, (ut secundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Prædestinationem ergo Jacob, & reprobationem Esau ex illorum operibus dicit non esse repetendam, sed ex solo arbitrio Dei. Pergit: *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? absit. Moysi enim dicit: miserebor cujus miserebor & misericordiam præstabo cujus miserebor. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quasi diceret: nè reprehendamus Deum, quod ita egerit; ipse Dominus est miserendi & non miserendi pro libito, & quod alicujus misereatur, non dependet ex quo homo velit aut currat, sed ex sola sua misericordia. Postea allato exemplo Pharaonis, qui justo Dei judicio fuit obduratus, prosequitur: *Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat:* & paucis interjectis: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo: nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Ubi patet Apostolum asserere, quod sicuti ex mero arbitrio figuli dependet aliquod vas facere in honorem, aliud in contumeliam, ita ex mero arbitrio Dei dependeat, quod aliquis sit prædestinatus vel non sit.

V. Idem Apostolus docet homines non esse electos ad gloriam, quia futuri erant sancti, sed potius futuros sanctos, quia sunt electi; inquit enim (a): *Elegit nos in ipso*, idest in Christo, *ante mundi constitutionem, ut essemus sancti:* & alibi

(a) *Cap.* 9. (b) *Ephes.* 1.

bi electionem ad gloriam vocat ſortem: (a) *Qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum:* ſors autem antecedit omne ſtudium illorum, quibus obtingit. Ergo &c.

℟. Ad I. ex locis adductis ſolum evinci Deum in tempore concedere prædeſtinatis gratias efficaces, ut ſalventur, ex peculiari amore, quo illos proſequitur. At hic amor tam poteſt conſiſtere in hoc, quod ſint prædeſtinati ad gloriam independenter a meritis, quam in hoc, quod ſint prædeſtinati ad gratiam, quæ gloriam trahit. Unde autem probabitur rem potius primo, quam ſecundo modo evenire?

Ad II. ℟. Chriſtum non loqui de prædeſtinatione, de qua hic agitur, ſed de voluntate generali ſalvandi omnes homines, quæ quidem eſt antecedens merita; nam loquebatur ad Apoſtolos, inter quos tunc erat Judas, qui non erat prædeſtinatus. Ergo &c.

Ad III. ℟. Ne ibi quidem ſermonem fieri de electione ad gloriam, primo quia inter auditores Chriſti erat Judas: ſecundo quia Chriſtus dicit (b) hanc electionem fuiſſe cauſam, cur mundus odiſſet Apoſtolos. Ergo non de electione ad gloriam loquitur, quæ electio, cum ſit inviſibilis, non potuit eſſe cauſa, cur mundus odiſſet Apoſtolos. Loquitur ergo Chriſtus de electione ad Apoſtolatum, vel etiam, ut exponit S. Auguſtinus, de electione ad Fidem. Ergo &c.

Ad IV. ℟. Omiſſo quod per illud *ſecundum propoſitum* denotetur arbitrium Dei, adhuc ibi non agi de immediata vocatione ad gloriam, ſed de vocatione ad gratiam efficacem, & quidem cum perſeverantia conjunctam; nam dicitur: *qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti*, ideſt *ad ſanctitatem*. Cum autem vocatio hæc ſit conjuncta cum

(a) *Coloſſ.* 1. (b) *Ibid. v.* 19.

prædestinatione ad gloriam, ideo optime explicantur omnia, quæ in objectione laudata sunt.

Verba illa *nam quos præscivit &c.* dupliciter explicari possunt salva nostra sententia: primo si dicamus Apostolum non assignare prædestinationem ad gloriam ut causam vocationis, sed solum asserere Deum in tempore vocasse, quos ab æterno ad gloriam destinaverat, quod omnes admittunt: secundo omisso, quod prædestinatio assignetur ut causa vocationis, vel per illud *præscivit* intelligitur rigorosa præscientia, vel prædilectio. Si primum, insto. Sicuti prædestinatio dicitur causa vocationis, ita præscientia prædestinationis. At quænam tandem præscientia, nisi præscientia meritorum? Quo posito textus nobis potius favet, quam noceat. Si alterum, nihil pariter contra nos; sensus enim loci erit: quos Deus prædilexit, prædestinavit etiam ad gloriam & quidem ex peculiari dilectione, quam habuit erga illos (quæ quidem prædilectio, ut supra dixi, salvatur etiam per prædestinationem ad gratiam efficacem, & perseverantiam.) Hujus autem prædestinationis effectus est vocatio, quia ideo in tempore vocat Deus, quia ab æterno vocare decrevit. Quæ omnia etiam per nos verificantur. Ergo &c.

Nec faciunt contra nos quæ adducuntur ex cap. 9.; ibi enim Apostolus non loquitur de gratuita electione ad gloriam, quod probari potest tum ex eo, quod ex ibidem allatis inferre vult, sive ex illius scopo, tum ex iis, quæ ibidem affert. Primo enim scopus Apostoli non est, ut ostendat prædestinationem ad gloriam esse gratuitam; sed solum ut ostendat homines vocari ad Fidem ex pura Dei misericordia, non ex præcedentibus meritis. Hoc docet S. Augustinus qui inquit (a): *Hæc est* (intentio Apostoli,) *ut de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Israelitæ gloriari, quod da-*

(a) *Lib. 1. ad Simplic. quæst. 2.*

date sibi legi servissent, & ex hoc Evangelicam gratiam tanquam debitam meritis suis percepissent, quia legi serviebant: Unde nolebant eandem gratiam dari Gentibus tanquam indignis, nisi Judaica Sacramenta susciperent. Præterea si Apostolus loqueretur de prædestinatione ad gloriam, loqueretur etiam de reprobatione ab eadem gloria. Si igitur, cum dicit Jacob dilectum independenter ab operibus, vellet prædestinationem fieri independenter a meritis, etiam cum dicit Esau odio habitum independenter ab operibus, significari vellet reprobationem fieri independenter a demeritis, quod tamen, ut capite sequenti videbitur, non subsistit.

Apostolus igitur eo loco redarguit Christianos ex Judaismo conversos, qui gloriabantur se ad Fidem revocatos ex meritis legis Mosaicæ, sive ex quo essent filii Abrahæ, quasi filiatio Abrahæ tribueret jus ad Fidem. Contra hos docet filiationem naturalem Abraham nullum jus ad Fidem tribuere; quamvis enim promisisset Deus benedictionem filiis Abrahæ, liberum tamen ipsi erat etiam ex his, quemcumque voluisset, ad Fidem vocare.

At quoniam objici poterat: si Deus promisit benedictionem semini Abrahæ, jam quicumque sit ex tali semine, debet hanc obtinere benedictionem, adeoque ad Fidem vocari; ideo Apostolus ostendit non omnes, qui sunt ex semine Abrahæ, debere hanc benedictionem obtinere, sed illos tantum, quibus Deus vult eandem ex sua misericordia impertiri. Id autem ut ostendat, tale instituit argumentum. Non omnes, qui ex Abraham carnaliter descendebant, erant ex populo electo, sed ex iisdem descendentibus aliqui tantum fuerunt ad hoc præelecti a Deo: nimirum cum tam descenderet ab Abraham Ismael, quam Isaac, voluit Deus, ut potius descendentes Isaac, quam descendentes Ismael constituerent populum suum. (Hoc autem innuit per illa verba, quæ alia adducta in objectione præcedunt, scilicet: *Non omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen. Idest non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii*

sunt promissionis, æstimantur in semine) Ergo a pari non omnes, qui descendunt ex Abraham, necessario debent vocari ad Fidem; sed ex mero arbitrio Dei hæc vocatio dependet.

Pergit Apostolus, &, ut idem probet, aliud adducit exemplum ex eadem serie historiæ, exemplum scilicet in objectione laudatum Jacob, & Esau, quasi diceret: licet voluerit Deus, ut descendentes Isaac constituerent populum suum, adhuc tamen non omnes hos descendentes ab hoc elegit, sed cum Isaac duos filios haberet Jacob & Esau, ex proprio arbitrio independenter ab eorum operibus prætulit Jacob, qui erat minor, Esau, qui erat major; sicque dictus est dilexisse Jacob, odio autem Esau habuisse.

Dilectio autem illa, qua ex Apostolo Deus prosecutus est Jacob, & odium, quo prosecutus est Esau (& en quomodo neque ex iis, quæ ibidem affert Apostolus, eruatur ipsum loqui de electione ad gloriam) non consistebant in prædestinatione primi ad gloriam, & reprobatione alterius ab eadem gloria, sed tantum in hoc, quod licet Jacob esset Esau minor natu, adhuc futurus erat felicior Jacob, quam Esau; primo enim est probabile, quod & ipse Esau sit prædestinatus: secundo sensus illorum verborum *Jacob dilexi &c.* non alius est, quam ille, quo adducuntur a Malachia (a), unde desumpta sunt; ibi autem de vocatione tantum ad bona temporalia est sermo; nam statim post illa verba: *Esau autem odio habui*, subditur: *Et posui montes ejus in solitudinem, & hereditatem ejus in dracones deserti*. Hoc tamen non est ita intelligendum, ut Esau nulla omnino bona temporalia habuerit: & ipse enim fuit dives, nam cum munera illi offerret Jacob, ut animum illius demulceret, ipse respondit (b): *Habeo plurima, frater mi, sint tua tibi*. Quod si Esau dicitur odio ha-

(a) *Cap.* 1. (b) *Genes.* 33.

habitus, ideo dicitur, quia fuit minus dilectus; aliquando enim in Scripturis odium sumitur pro minori dilectione juxta illud (a): *Si quis venit ad me & non odit patrem suum & matrem . . . non potest meus esse discipulus*, ubi illud *non odit*, idem est ac, *non diligit minus*, explicante Matthæo: *Qui* (b) *amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus*.

Nec valet objicere Apostolum loqui de primogenitura, quæ concessa est Jacob, denegata Esau, non præcise quatenus erat bonum temporale, sed quatenus secum trahebat etiam æternam gloriam, cum de tali primogenitura loquatur, quatenus hæc secum trahebat benedictiones Abrahæ, inter quas erat prædestinatio ad gloriam.

℟. Etenim, dato quod primogenitura concessa Jacob non esset bonum solum temporale, sed etiam traheret benedictiones Abrahæ, adhuc tamen has benedictiones in hoc non fuisse sitas, quod illas participantes essent prædestinati; sed in hoc tantum, quod essent de populo Dei, idest de populo prædilecto, ex quo nasciturus erat Messias. Sane multi fuerunt ex populo electo, adeoque ex illis, qui erant benedicti benedictionibus Abrahæ, qui damnati fuerunt, sicuti e contrario multi, qui non erant ex populo Dei, salvati sunt. Ergo &c.

Vult igitur Apostolus eo loco ostendere Deum in vocandis hominibus ad fidem non habuisse rationem generis aut gentis, sed quemcumque libuerit elegisse, multos relinquendo Judæos, multos etiam vocando Gentiles, adeoque post verba in objectione laudata subdit: *Vocavit nos non solum ex Judæis sed etiam ex Gentibus*, & post pauca, ut uberius ostendat non debere Judæos gloriari, quod ex meritis legis Mosaicæ, sive ex meritis Abraham vocati sint ad fidem, asserit Deum

(a) *Luc.* 14. (b) *Cap.* 10.

ex hoc ipſo multos Judæos rejicere, quia nolunt vocationem agnoscere ex Dei misericordia; inquit enim: *Quid ergo dicemus? Quod Gentes, quæ non ſectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam, justitia autem, quæ ex Fide est: Iſrael vero, ſectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit? Quare? Quia non ex Fide ſed quaſi ex operibus.*

Hac admiſſa explicatione (quæ ſane litteraliſſima est) facile respondetur aliis in objectione adductis. Jure enim dicit Apostolus non poſſe reprehendi Deum, quod sic egerit; dominus enim est sic agendi, ac proinde dominus est vocandi, vel non vocandi quem libuerit ad Fidem. Pharao autem adducitur pro exemplo illorum, qui non sunt vocati ad Fidem, quia Deus ex mero suo arbitrio illi non contulit gratias efficaces, quibus ad illam converteretur.

Apposite autem ad ostendendam libertatem Dei in vocandis hominibus ad Fidem, adducit exemplum figuli, qui potest aliud vas efficere in honorem, aliud in contumeliam. Et quamvis contendant adversarii per vasa in honorem significari prædestinatos ad gloriam eo quia dicantur (a) *præparata in gloriam;* adhuc tamen stat explicatio nostra, quia vel non dicuntur præparata in gloriam illorum, sed Dei, quod patet ex contextu, dicitur enim: *Ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam:* vel etsi dicantur præparata in gloriam illorum, ideo dicuntur, quia Deus vocationem ad Fidem assumit tanquam medium, quo illos perducat ad glorificationem.

Ad V. ℟. Electionem, de qua primo loco Apostolus, esse electionem ad gratiam, cujus quidem electionis effectus est, ut simus sancti & immaculati, Hoc autem posito nihil contra nos, Alter

(a) *Verſ.* 23.

ter locus pariter intelligendus est de electione ad Fidem, hæc enim electio est sors sanctorum. Favet contextus, additur enim *in lumine*, quasi diceretur: nobis hæc sors obtigit, ut vocaremur in lumen illud Fidei, ad quod vocati sunt sancti: ideoque apposite additur: *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ*, quæ omnia electioni ad Fidem optime conveniunt. Ergo &c.

Ad objectiones modo ex Patribus devenio. Et quoniam maxime in Augustino vim faciunt adversarii, ideo de illo solum speciatim agam. Duo tamen ante omnia notare placet.

Primum est quæstionem esse inter defensores nostræ sententiæ, utrum revera S. Augustinus steterit pro prædestinatione gratuita, an non. Petavius, ut cæteros mittam, existimat revera S. Doctorem stetisse, quo tamen non obstante, ipse contrariam, idest nostram sententiam defendit; idque citra injuriam S. Doctoris factum vult, cui quidem adhærendum esse fatetur, ubi de gratia agitur contra Pelagianos ac Semipelagianos, in aliis vero vult cuique liberum esse debere, ut aliter sentiat, ac ipse sensit: quod confirmat auctoritate Cœlestini Papæ, qui postquam Augustini doctrinam circa gratiam approbavit, subdit (a): *Profundiores difficilioresque partes occurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui Hæreticis restiterunt* (hic appellat Augustinum) *sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere*. Etsi ergo probaretur S. Augustinum stare pro sententia contraria, nobis non deessent exempla doctissimorum Theologorum, quibus nixi a S. Doctore in hoc discederemus.

Alterum est plura loca afferri ex S. Augustino contra nostram sententiam, quæ hic non afferentur, cum pro illis valeat superior generalis re-

(a) *Ep. 1. ad Episc. Gall.*

sponsio, quod scilicet sermo in iis habeatur vel solum de prædestinatione ad gratiam, vel de prædestinatione ad gloriam adæquata & completa. Sane cum totus esset Augustinus in confutandis erroribus Pelagianorum & Semipelagianorum, qui operibus naturalibus, vel omnino, vel saltem ex parte juxta supra explicata vim meritoriam æternæ salutis tribuebant, nihil causam Augustini juvasset asserere prædestinationem formalem ad gloriam esse independentem a meritis supernaturalibus, de quibus non erat quæstio; sufficiebat si ipse merita naturalia excluderet. Ergo non est, cur dicamus, S. Doctorem iis in locis de prædestinatione ad gloriam formali esse locutum. Imo potius habemus cur dicamus S. Doctorem de ea non fuisse locutum, sed solum de prioribus; nam ipse de ea prædestinatione loquitur, quæ ad Fidem pertinet: inquit enim (a): *Hoc scio neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Atqui ad Fidem quidem pertinet prædestinatio independens a meritis ad gratiam, & ad gloriam completa, non autem formalis ad gloriam. Ergo &c. Rursus S. Doctorem in prædestinatione inclusisse etiam gratiam (adeoque non esse locutum de prædestinatione ad gloriam formali) patet ex definitione prædestinationis, quam tradit; dicit enim (b): *Prædestinatio nihil est aliud, quam præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.* Quid autem sunt beneficia Dei, quibus prædestinati liberantur, nisi gratia? Ergo &c.

Quoniam tamen aliquis posset remanere scrupulus circa mentem S. Doctoris, ideo præstat hunc exponere & diluere.

Obj. ergo ex S. Augustino. Testatur S. Prosper (c) plura contra Augustini doctrinam fuisse obje-

(a) *De dono persev. cap.* 19.
(b) *Eodem lib. cap.* 11.
(c) *Ep. ad August.*

objecta a Semipelagianis, quæ nihil faciunt contra prædestinationem ex prævisis meritis, plurimum vero contra prædestinationem gratuitam. Hanc igitur non illam defendit Augustinus. Objiciebant autem, quod illius sententia lapsis adimeret curam resurgendi, & sanctis adferret occasionem torporis; consequenter quod removeretur omnis industria, quod induceretur fatalis quædam necessitas &c. (Verba supra adducta sunt ubi de Prædestinatianis.) Hæc autem omnia, ut patet, contra prædestinationem gratuitam objici possunt, non autem contra prædestinationem ex prævisis meritis. Rursus idem S. Prosper (a) quærit ab Augustino, cur reliquerit sententiam priorum, qui docuerunt prædestinationem ad gloriam fieri dependenter a meritis. Igitur eam sententiam reliquit, ac proinde alteri adhæsit.

IV. Nec Adversarios S. Augustini, nec S. Prosperum assecutos fuisse ejusdem mentem. Cum enim audissent Augustinum asserentem prædestinationem ad gloriam esse independentem a meritis, quod ipse intelligebat vel de prædestinatione radicali, idest ad gratiam, vel de prædestinatione ad gloriam adæquate sumpta & quidem apposite ad Semipelagianorum errorem refellendum, qui prædestinationem illam a meritis naturalibus aliquo modo repetebant; existimarunt ipsum asserere prædestinationem formalem ad gloriam esse a meritis etiam supernaturalibus independentem. Decepti autem sunt, quia diversis usus est Augustinus loquendi formulis agens de prædestinatione, ac usi sint antiquiores Patres. Ipsi enim cum ante exortam hæresim Pelagianam ac Semipelagianam loquerentur, non dubitabant asserere prædestinationem ex meritis dependere: Augustinus autem, cum post has hæreses loqueretur & contra ipsas, volens quam maxime posset illas declinare, merita a ne-

 gotio

(a) *Eadem epistola.*

gorio prædestinationis exclusit, sed sensu tantum supra adducto. Ergo &c.

Obj. ex ratione I. Prædestinatio ad gratiam, & ad finalem perseverantiam est gratuita Ergo etiam prædestinatio ad gloriam, cum hanc illa necessario trahat.

II. Ordinate volens, antequam velit media, vult finem. Gloria est finis, gratia efficax & perseverantia est medium. Ergo prius quam ista, gloriam ordinate volens, qualis est Deus, velle debet. Et sane non alia potest afferri ratio, cur Deus uni det gratiam efficacem & finalem perseverantiam, alteri non det, quam hæc, quia alterum efficaciter salvare vult, alterum non. Ergo prius vult illius salutem, quam collationem mediorum ad salutem consequendam.

Ad I. multipliciter responderi potest: primo dicendo, quod sicuti actualis collatio gratiæ & maxime perseverantiæ est gratuita, nec tamen est gratuita collatio gloriæ, ita potest esse gratuita prædestinatio ad gratiam, quin sit gratuita prædestinatio ad gloriam: secundo dicendo ex illa ratione tantum sequi, quod prædestinatio ad gloriam sit gratuita, si accipiatur adæquate, non vero si accipiatur formaliter, prout hic debet accipi.

Ad II. Etiam ℟. Multipliciter: & primo argumentum nimis probare; probat enim non solum Deum non prædestinare de facto dependenter a meritis, sed nec posse ita prædestinare, cum non possit non ordinate agere, quod tamen communius adversarii non admittunt: secundo ℟. gloriam esse finem ut est volita generaliter & conditionate, non vero ut est volita particulariter & absolute: scilicet cum ex dictis duæ sint in Deo voluntates circa salutem hominum, generalis una & conditionata, particularis altera & absoluta, statuit Deus ex priore voluntate media præparare, quibus homines possent salvari, sicque omnibus præparare gratiam sufficientem, quo posito patet horum mediorum electionem ex gloria conditionate volita tanquam ex fine oriri. At non statuit Deus ex posteriore voluntate conferre hominibus gratias, etiam

si

si vis, efficaces & perseverantiam, sed postquam generaliter voluit dare omnibus gratias sufficientes, aliquibus ex speciali misericordia voluit dare etiam efficaces & finalem perseverantiam, qua posita cum viderit illos decessuros in gratia, illis tandem absolute decrevit gloriam. Ex quo patet non decretum de mediis ad salutem absolute consequendam oriri ex voluntate absoluta aliquem salvandi tanquam ex fine, sed hanc potius oriri ex tali decreto. Et sane quid vetat, ne quis ordinatissime ex intentione finis solum inefficaci & conditionata velit media efficacia, posito quod finis intendatur ut assequendus per alterius liberam cooperationem, & ut præmium ipsi cooperationi reddendum, & media habeant rationem principii meriti? Hoc in casu verificatur. Ergo &c. Ex quo etiam patet negandum esse quod in objectione additur, scilicet ideo Deum uni conferre gratiam efficacem, alteri non, quia unum efficaciter salvare vult, alterum non; cum enim illud non possit intelligi de voluntate conditionata, alias hæc non esset generalis, debet profecto intelligi de voluntate particulari & absoluta. Hæc autem cum ex dictis sit posterior voluntate conferendi gratiam efficacem & perseverantiam, non potest esse ratio, quæ Deum moveat ad hanc gratiam elargiendam.

R. Tertio ordinate volentem prius quidem velle aliquem finem, quam media, sed non necessario omnem finem. In casu autem Deus vult aliquem finem etiam præscindendo a gloria ut volita absolute, vult scilicet ostendere misericordiam suam & amorem erga illum, cui confert gratiam efficacem, & perseverantiam, ut hic tandem moriatur in gratia, & consequenter amicus Dei, in quo statu sit in æternum duraturus: imo ex hoc ipso instari potest contra adversarios. Si ordinate volens prius vult finem, quam media, ex eadem ratione prius vult finem nobiliorem, quam finem minus nobilem; finis autem nobilior est, quod homo moriatur in gratia & in statu amicitiæ indissolubilis cum Deo, quam quod gloriam adipiscatur; nam si ipsi daretur optio unum ex his eli-

gendi præ altero potius primum deberet eligere, quam alterum. Ergo primum voluit Deus ante alterum. Prius igitur voluit Deus, ut homo moreretur in gratia, & ex hoc fine illi decrevit media, scilicet gratiam efficacem & perseverantiam: & ea cohærenter etiam ad principia adversariorum decreta media ex intentione alicujus finis, quin præintelligatur decreta absolute gloria.

Sed contra postremam hanc responsionem instabis. Quod homo moriatur in gratia, & consequenter quod in æternum futurus sit amicus Dei; est connexum cum gloria, & hanc connexionem Deus certe videt. Si ergo per nos primum est finis, cur Deus det seriem gratiarum cum perseverantia conjunctarum, erit etiam alterum, consequenter ante merita volitum. Et sane Deus ante omne decretum absolutum de danda hac, vel illa gratia, præ oculis, ut sic dicam, habebat duas series gratiarum, quas poterat cuique conferre, alteram, quæ prævidebatur conjungenda cum gloria, alteram non conjungendam (subintellige ex culpa creaturæ.) Quis porro non agnoscat Deum eligentem respectu alicujus priorem seriem, neglecta altera, præ oculis habere & intendere hujus gloriam, ad quam hæc series conducit? Ergo &c.

℟. Illa duo esse quidem inter se connexa; sed posse Deum unum velle, quin velit alterum in eodem signo. Ostenditur paritate. Quod aliquis non sit prædestinatus, & quod sit positive exclusus a gloria, sunt duo inter se connexa. Cum enim nullus gloriam ingrediatur, nisi prædestinatus, non prædestinare aliquem secum infallibiliter trahit illius exclusionem a gloria: quomodo si nullus ad cœnam meam sit venturus, nisi a me invitatus, quod ego hunc, vel illum non invitem, secum trahit, quod illud excludam: Et tamen licet, etiam posita Dei voluntate generali salvandi omnes homines, quæ in Deo juxta supra dicta debet admitti, etiam post prævisum originale, utcumque intelligatur (saltem quatenus hoc non repugnat jam dictæ generali voluntati) quod aliquem vel ex suo arbitrio, vel etiam ob originale præcise non

præ

prædestinet; quia non prædestinare importat tantum non velle voluntate efficaci alicujus salutem, quod potest intelligi etiam posita voluntate generali supradicta, quæ de se non debet esse necessario efficax; difficile tamen intelligitur in eodem signo positiva exclusio ab eadem gloria ex mero arbitrio Dei, vel etiam ob ipsum originale. Rursus quod Deus adultum non prædestinet, & quod ad pœnas Inferni illum destinet, sunt duo inter se connexa, cum de nullo adulto verificetur, quod non sit prædestinatus, quin sit etiam deputatus ad hujusmodi pœnas. Et tamen per adversario, potest Deus post solam prævisionem originalis aliquem vel ex suo præcise arbitrio, vel ob ipsum originale non prædestinare, quin possit in eo signo illum ad pœnas Inferni deputare. Ergo a pari &c.

Dixi præcisam suspensionem decreti prædestinativi posse utcumque intelligi, *saltem quatenus non repugnat generali voluntati* salvandi omnes; quamvis enim sub hoc respectu non repugnet, videtur tamen non satis congrua ex alio capite, scilicet ex quo non satis congruum videatur Deum in eodem signo, quo decernit absolute salutem aliquorum, nihil decernere absolute circa sortem aliorum, sed veluti suspensum remanere.

His visis circa causam motivam prædestinationis hominum, aliquid etiam breviter dicamus circa prædestinationem Angelorum.

Circa hanc non solum communiter auctores sententiæ supra propugnatæ, sed etiam multi ex patronis sententiæ contrariæ dicunt ipsam fuisse a meritis dependentem. Rationes, quæ pro hac sententia militant, eædem proportionaliter sunt ac illæ, quas supra adduxi pro prædestinatione hominum.

ARTICULUS TERTIUS.

De effectibus prædestinationis locuturus noto, non eosdem illos assignari juxta assertionem supra statutam, ac assignent Doctores contrariæ sententiæ; illi enim, cum faciant prædestinationem

nem formalem ad gloriam priorem prædeſtinatione ad gratiam, conſequenter faciunt omnes gratias tum internas, tum externas, quas Deus in tempore prædeſtinatis elargitur, effectus ejusdem prædeſtinationis ad gloriam.

Nos vero, qui prædeſtinationem ad gloriam defendimus poſteriorem prædeſtinatione ad gratiam, aſſerimus quidem collationem gratiarum, quibus de facto homines ſalvantur, eſſe effectum prædeſtinationis ad ſeriem illam gratiarum, quæ ſecum trahit finalem perſeverantiam, cæterum negamus eſſe effectum formalis prædeſtinationis ad gloriam.

Sunt igitur effectus prædeſtinationis ad ſeriem illam gratiarum tum vocatio, tum juſtificatio, tum ipſa tandem glorificatio. Nomine *vocationis* veniunt omnia auxilia actualia tum interna, tum externa, quibus Deus hominem ad finalem perſeverantiam ducit. Non ergo quæcunque vocatio inter hos effectus debet numerari, ſed illa, cui homo obtemperat, & quæ eſt connexa cum finali perſeverantia; ſi enim alterutrum deeſſet, ut deeſt primum plerumque, ſecundum ſemper in reprobis, tunc vocatio non eſſet effectus prædeſtinationis, ſed tantum providentiæ communis.

Nomine *juſtificationis* veniunt tum prima gratia habitualis, tum reſtitutio illius in remiſſione peccati, tum omnia dona, quæ gratiam ipſam habitualem juxta dicenda in Tractatu de Gratia conſequuntur.

Tandem nomine *glorificationis* veniunt & viſio beatifica, & etiam alia dona, quæ accidentaliter ipſam comitantur juxta inferius dicenda.

Poſſunt etiam numerari inter effectus ejusdem prædeſtinationis bona illa naturalia, quæ a Deo tribuuntur, ut ſuo modo juvent hominem ad perſeverandum in bono, & quibus poſitis de facto perſeverat: nec non mala pœnæ a Deo aliquando inflicta in bonum ſpirituale illorum, qui ad perſeverantiam ſunt deſtinati.

An autem permiſſio peccati poſſit dici effectus prædeſtinationis, controvertitur. Contendunt ali-

aliqui esse (subintellige respectu prædestinatorum) , quia permissio peccati est aliquid etiam moraliter bonum, & quia potest fieri, ut cedat etiam in bonum spirituale peccantis , quatenus ferventior & humilior ex peccato resurgat. Alii tamen & probabilius id negant; non enim videtur effectus prædestinationis id , quod , licet in se bonum sit moraliter, potius tamen ex se avertit a perseverantia, quam ad illam conducat. Licet autem ex peccato aliquando prædestinati ferventiores resurgant, hoc non provenit ex ipso peccato, aut ex ejus remissione nisi per accidens, directe & per se provenit a gratia, quæ illos ad sic resurgendum movet: unde permissio peccati non potest dici prædestinationis effectus nisi ad summum per accidens, & non ratione sui, sed ratione bonorum, quæ Deus ex illa misericorditer eruit.

ARTICULUS QUARTUS.

Quæsito *utrum prædestinatus possit damnari*, & e contra *reprobus salvari* occasionem præbent quædam Scripturarum & SS. Patrum loca, quibus videtur evinci & prædestinatum posse damnari, & reprobum salvari. Moyses enim certe prædestinatus rogans Deum, ut Populo Israelitico dimitteret quoddam peccatum ait: (a) *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Rursus S. Paulus & ipse prædestinatus inquit: (b) *Castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Tandem dicitur: (c) *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* His locis supponitur prædestinatum posse fieri reprobum. Posse autem reprobum fieri prædestinatum docet S. Augustinus celebri illa sententia: *Si non es prædestinatus, fac, ut prædestineris.* Di-

(a) *Exod.* 32. (b) 1. *Cor.* 9. (c) *Apoc.* 3.

Dicendum tamen impossibile esse, ut prædestinatus damnetur, & ut salvetur reprobus; non enim possunt irrita esse divina decreta absoluta, qualia sunt & prædestinatio, & reprobatio. Sane loquens Christus de prædestinatis inquit: (a) *Oves meæ vocem meam audiunt . . . & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Decreta autem hæc non trahunt secum necessario aut salutem, aut respective damnationem ex vi mediorum ad illa conducentium, quasi Deus respectu prædestinati adhibeat media necessitate antecedenti trahentia ipsius salutem, & respectu reprobi damnationem, sed solum trahunt ex vi præscientiæ, quam supponunt; Cum enim ex dictis Deus non prædestinet, nisi quem vidit, & idcirco quia vidit habiturum finalia merita, cumque ex dicendis non reprobet nisi quem vidit, & idcirco quia vidit habiturum finalia demerita; hinc sicuti non potest hæc Dei præscientia falli, ita nec potest irritari decretum.

Nec obstant contra allata; nam cum Moyses ita allocutus est Deum, vel ab ipso petiit, ut illum deleret de libro viventium, hoc est illum mori faceret, vel ad ostendendum vehemens desiderium, quo tenebatur, ut exaudiretur, petiit rem impossibilem, quasi diceret: aut dimitte peccatum Populi, aut me reproba. Hoc profecto non facies. Ergo fac illud. Cum autem dixit Apostolus se timere, ne reprobus fieret, loquebatur de reprobationis effectu, scilicet de privatione finalis perseverantiæ; timebat enim ne a Deo hac privaretur, adeoque damnaretur, quod utique poterat timere, cum nemo de æterna sua sorte ordinarie loquendo certus sit. Vel etiam dicere possemus, Apostolum se considerasse in priori ad prædestinationem & reprobationem, & quasi ipsius sors esset adhuc apud Deum incerta & determinanda ex

(a) Jo. 10.

ex propriis bonis, vel malis operibus, ut ex illorum prævisione per nos fuit ab æterno determinata. Tandem corona, de qua in Apocalypsi, vel est sola Fides, quam si Episcopus, de quo adducto loco, non tenuisset, alii accepissent; cum soleat Deus, quando aliqui a Fide deficiunt, alios suscitare, qui illorum impleant locum: vel etiam est gloria non absolute volita, sed præparata & volita conditionate, quam, si ille non accepisset, accepturi erant alii.

Porro Augustinus, cum asserit non prædestinatum posse fieri prædestinatum, loquitur, ut supra de Apostolo dixi, in priori ad prædestinationem, quæ, cum a meritis dependeat, meritis etiam potest acquiri. Ut interim omittam, quod illud dictum per plures in scriptis Augustini non invenitur.

ARTICULUS QUINTUS.

Circa numerum prædestinatorum certum est quod, si de Angelis sermo sit, plures sunt prædestinati, quam reprobi, cum eorum nonnisi tertia pars corruerit: si de hominibus, plures sunt reprobi, quam prædestinati juxta illud: (a) *Arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam*; & illud: (b) *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Cæterum existimant aliqui tot homines esse prædestinatos, quot Angeli corruerunt: alii tot esse homines prædestinatos quot Angeli: alii tot homines esse prædestinatos quot Angeli creati fuerunt. Ego, cui divinari non placet, hæc aliis relinquo examinanda.

CA-

(a) *Matt.* 7.
(b) *Matt.* 20.

CAPUT SEPTIMUM.

De Reprobatione.

TRia hoc capite præstabo. I. prænotabo necessaria ad intelligentiam materiæ: 2. assertiones ponam ad illam spectantes: 3. assignabo ordinem prædestinationis ac reprobationis.

ARTICULUS PRIMUS.

Reprobatio alia est a *gratia*, alia a *gloria*. Prima importat exclusionem a gratia: altera a gloria. De prima, ut præcise talis est, hic non est sermo, sed de posteriore. Circa quam

Noto reprobationem, ut de prædestinatione dictum est, posse considerari tum *complete* & *adæquate*, tum *incomplete*, & *inadæquate*. Primo modo respicit simul & illam gratiarum seriem, quæ cum perseverantia finali est conjuncta, & ipsam gloriam: altero modo respicit vel præcise gloriam, & tunc dicitur *reprobatio formalis a gloria*, vel præcise illam gratiarum seriem, quæ conjuncta est cum finali perseverantia, & tunc dicitur *reprobatio a gloria radicalis*. Non est hic sermo de reprobatione vel completa vel radicali, sed de formali.

Hæc duplex distinguitur, alia *negativa*, alia *positiva*. Prima in hoc solum consistit, quod aliquis non sit ad gloriam prædestinatus, sive hoc fiat per meram negationem actus prædestinativi, sive per actum positivum, quo dicat Deus: *Nolo huic vel illi dare gloriam*: secunda consistit præterea in deputatione alicujus ad pœnas Inferni. Unde patet, quod reprobatio positiva negativam includit, non è contra.

Quæritur autem, ut circa prædestinationem factum est, quænam sit causa reprobationis formalis a gloria & quidem tum positive tum negativæ. Contendit Calvinus, quod Deus ex solo suo arbitrio quosdam homines ad gloriam prædes-

sti-

ſtinaverit, quosdam non ſolum negative, ſed & poſitive reprobaverit. His autem, quos ita reprobavit, vult a Deo denegari Fidem & gratiam, imo eos impelli ac neceſſitari ad peccandum eo conſilio, ut damnentur. Hanc doctrinam ſecuti ſunt communius Calviniſtæ, qui & ipſi diviſi ſunt. Alii ſunt dicti *Antelapſarii*, qui volunt ſupradictum decretum a Deo efformatum antecedenter ad prævisionem lapſus hominis. Alii *Poſtlapſarii*, qui decretum illud ſolum conſequenter ad hominis lapſum efformatum volunt.

Ab impietate Calvini longe diſcrepant Catholici Theologi, qui tamen & ipſi in varias abeunt ſententias. Alii reprobationem poſitivam dicunt quidem dependentem a demeritis, negativam autem dicunt demeritis anteriorem. Ita Eſtius, Sylvius, plurimique Thomiſtæ. Cum his alii conveniunt quoad reprobationem poſitivam, diſcrepant vero quoad negativam, quam dicunt ſolum ſubſequentem ad originale. Sententia hæc, quæ eſt plurium Thomiſtarum & Auguſtinianorum, ita ab illis explicatur.

Deus videndo totam hominum maſſam originali infectam, vidit conſequenter illam eſſe indignam æterna gloria. Hæc igitur maſſa poterat juſte ab ipſa gloria tota excludi. Sed Deus ex ſola ſua miſericordia aliquos elegit, quos licet indignos gloriæ voluit ad illam deſtinare, adeoque illis gratias efficaces præparavit, quibus gloriam conſequerentur: alios decrevit non admittere, vel non decrevit admittere ad gloriam utpote ipſis ob originale indebitam, quamvis ſubſequenter ſtatuerit aliquibus ex illis remittere originale, ex cujus remiſſione, inquiunt, ſicuti non tollitur, quod ii, quibus remittitur, aliquando non fuerint eo infecti, ſic non tollitur, quod aliquando non fuerint jam conſtituti indigni æternæ gloriæ, ſicque quod juſte eos Deus ab eadem gloria reprobaverit.

Negativa igitur reprobatio horum adultorum per hos Doctores non eſt rigoroſe pœna originalis, quod jam multis ſupponitur dimittendum,

sed

sed solum ob originale gloria fit beneficium indebitum, & ideo ex eodem originali desumit Deus motivum reprobandi: quod est causa cur reprobatio hoc peccatum supponens ut motivum, dicatur reprobatio a gloria tanquam a beneficio indebito.

Advertunt tamen isti reprobationem negativam dupliciter considerari posse, nimirum vel absolute & in generali, vel comparative & in particulari: quæri enim potest generaliter, quare aliqui homines reprobentur, & tunc fit quæstio de reprobatione considerata primo modo: & quæri potest in particulari quare hic potius, quam alter reprobetur, & tunc fit quæstio de reprobatione secundo modo considerata. Primæ reprobationis causa est, inquiunt, peccatum originale, secundæ sola voluntas Dei. Hinc si generaliter quæratur, quare aliqui homines negative reprobentur, respondent: *propter originale*. Si quæratur quare ex duobus eodem originali infectis unus reprobetur, alter non, respondent: *quia Deus ex imperscrutabili suo judicio sic voluit*. Reprobatio igitur negativa a gloria tanquam a beneficio indebito, generaliter spectata supponit per hos auctores ut sui causam modo supra explicato peccatum originale.

Alii tandem distinguentes inter reprobos adultos, & parvulos, docent in parvulis quidem reprobationem tum negativam, tum positivam (si tamen hæc circa illos potest admitti) oriri ex prævisione peccati originalis; in adultis vero illas oriri ex prævisione peccati actualis. Quid circa hanc rem ipse sentiam sequentibus assertionibus aperiam.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio prima. *Ex solo arbitrio Dei non dependet reprobatio positiva* Est contra Calvinum.

Prob. ex Scripturis. Testantur hæ Deum non odisse creaturas suas: (a) *Diligis omnia, quæ sunt*.

(a) *Sap.* 11.

& nihil odisti eorum, quæ fecisti. Quodnam autem esset majus odium, quam si ex proprio arbitrio eas ad pœnas destinaret?

Huc referantur supra allata circa generalem voluntatem, quam habet Deus de salute omnium; hæc enim nullo modo componi possunt cum reprobatione positiva ex mero arbitrio Dei.

Prob. ex Patribus. I. Chrysostomus inquit: (a) *Deus non modo nec relinquere nec punire nos vult, sed etiam quando punit, non libens hoc facit*. Repugnat autem, quod Deus invitus puniat, & ex solo suo arbitrio prædestinet ad pœnam. II. S. Augustinus ait: (b) *Bonus est Deus, justus est Deus: potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est*: & S. Fulgentius inquit: (c) *Notum est iram Dei dici non posse; nisi ubi creditur hominis iniquitas præcessisse*. Si autem Deus non potest hominem punire absque illius culpa, nec poterit illum ad pœnam destinare absque illius culpa. III. S. Prosper ait; (d) *Quod hujusmodi in hæc prolapsi mala sine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt, sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt*. Ergo non ex solo Dei arbitrio.

Prob. ratione. Omnis pœna supponit culpam, Ergo Deus non prædestinat aliquem ad pœnam, nisi supposita ipsius culpa.

Quam vero impium sit Calvini systema pro ea parte, qua asserit Deum ex hac reprobatione inducere reprobos ad peccandum, nemo non videt. Sed de hoc ex professo alibi.

Obj. ex ratione. Deus est absolutus creaturarum Dominus. Quidni ergo possit eas ad pœnam pro libito destinare?

℟. Deum

(a) *Homil* 68 *in Jo. al.* 67.
(b) *Lib* 3 *contr. Jul. cap.* 18. (c) *Lib.* 1. *ad Mon.*
(d) *Resp.* 3. *ad Cap. Gall.*

ꝶ. Deum posse quidem absolute loquendo de creaturis suis facere quidquid vult, at in suppositione, quod voluerit serio hominum salutem, & quod idcirco illos ordinaverit ad vitam æternam, & quod vi hujus ordinationis cuicumque suppeditet auxilia ad salutem sufficientia, asseri non potest illum ex mero suo arbitrio aliquos velle a gloria excludere, & ad æterna supplicia deputare.

Assertio secunda. *Quamvis explicata reprobatione negativa per meram carentiam actus prædestinativi (si hæc daretur) absolute posset utcumque repeti ex arbitrio Dei, non est tamen de facto repetenda, sicuti multo minus est repetenda explicata per actum exclusivum alicujus a gloria.*

Dixi, *si hæc daretur*, ut enim supra innui, non videtur satis Deo congrua suspensio cujuscumque decreti absoluti circa sortem reproborum in eo signo, quo adstruitur ab adversariis.

Quod ergo, si daretur, posset absolute utcumque repeti ex arbitrio Dei probatur; nam si aliqua hic esset repugnantia, deduceretur ex generali voluntate Dei (quæ præsupponi debet) erga salutem omnium. Sed ex hoc capite absolute non repugnat; nam, ut supra obiter innui, non videtur absolute implicare, quod etiam posita in Deo generali voluntate de salute omnium hominum, quæ voluntas prout est generalis, non est necessario efficax, Deus ex mero suo arbitrio habeat pro aliquibus voluntatem etiam efficacem, ea non habita pro aliis. Ergo &c.

Quod autem hæc suspensio non sit de facto repetenda ex mero arbitrio Dei probatur; nam connaturalius est divinæ bonitati & sinceritati voluntatis conditionatæ, quam habet de salute omnium, ut hæc voluntas ideo solum dicatur non transire in absolutam, quia prævidetur defutura conditio, sub qua concipitur, adeoque prævidentur defutura merita finalia absoluta, quam si dicatur non transire ex mero arbitrio Dei.

Quod tandem multo minus sit repetendus ex arbitrio Dei actus exclusivus alicujus a gloria proba-

batur; quomodo enim componetur generalis voluntas, quam habet Deus de salute omnium hominum cum hoc, quod ipse ex mero suo arbitrio hunc vel illum excludat a gloria?

Repones componi inter se voluntatem generalem salvandi omnes, & voluntatem non salvandi hunc vel illum, quia prima respectu non prædestinatorum est inefficax: voluntas autem non salvandi aliquos potest optime stare cum inefficaci voluntate illos salvandi. Sed

Contra. Voluntas inefficax potest quidem stare cum opposita voluntate, quando una est antecedens, altera consequens, sicuti optime stat in sententia infra adoptanda, quæ facit reprobationem consequentem ad demerita, quia tunc voluntas salvandi omnes supponitur in Deo antecedens, & voluntas non salvandi aliquem supponitur consequens illius demerita. At voluntas licet inefficax salvandi non videtur posse stare cum opposita voluntate non salvandi aliquem, quando ambæ sunt antecedentes, ut enim simul starent, oporteret, ut hi actus possent esse simul in Deo: *volo ex meo præcise arbitrio, ut omnes homines salventur: volo ex meo præcise arbitrio, ut non omnes homines salventur*. Cum autem hi actus implicent, implicabunt quoque illæ duæ voluntates.

Assertio tertia. *Reprobatio negativa explicata per meram carentiam actus prædestinativi (si daretur) absolute posset utcumque repeti ab originali. Non est tamen de facto repetenda & multo minus est repetenda explicata per actum exclusivum alicujus a gloria.*

Prima pars probatur ex dictis capite superiore; si enim in hypothesi absolute posset repeti ex arbitrio Dei, multo magis poterit repeti a peccato.

Prob. secunda pars. Cum enim generalis voluntas de salute omnium sit in Deo admittenda etiam posito originali, hic quoque militat ratio in simili casu adducta superiore assertione.

Prob.

Prob. tertia pars ex Conciliis; nam Tridentinum (a) docet *in renatis nihil Deum odisse*; quo posito sic. Si in renatis nihil odit Deus; ergo renatis Deus non vult amplius malum. Ergo nec maximum malum, quale est exclusio a gloria. Si hoc, illos non reprobavit negative modo jam dicto ab originale. Ergo &c. Prob. subsumptum. Si Deus negative illos reprobassset ob originale modo jam dicto; oporteret, ut in Deo essent isti duo actus: *volo absolute istis maximum malum, quale est exclusio a gloria*, quod in casu importatur a reprobatione: *& aliquando cessabo a volitione ejusdem maximi mali*, quod importatur per voluntatem remittendi originale. Hoc est impossibile. Ergo &c. Et sane si istis Deus voluit remittere originale, voluit ergo & quidem efficaciter ab istis tollere istud impedimentum a gloria. Quis autem credat Deum voluisse efficaciter tollere impedimentum a gloria, quando ob illud statuisset absolute gloriam denegare?

Prob. ratione. Etiam supposito originali verificatur, quod Deus habuerit seriam & sinceram voluntatem circa salutem omnium hominum. Ergo originale non impedivit hanc voluntatem. Quomodo autem hoc staret, si ob originale aliquos Deus vellet exclusos a gloria? Tunc profecto simul in Deo haberentur hi duo actus: *Non obstante originali volo sincere omnes homines salvos fieri: volo tamen propter originale aliquem non salvari*: qui duo actus repugnant inter se. Ergo &c.

Obj. ex Augustino, S. Doctor de reprobis inquit: (b) *Si vasa sunt iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem, quæ illis debita redditur, sibi hoc imputent, quia in ea massa facta sunt quam propter unius peccatum, in quo omnes peccaverunt.*

(a) *Sess.* 5. *Can.* 5.
(b) *Ep.* 194. *alias* 105. *ad Sixt. cap.* 6.

runt, merito Deus justeque damnavit. Et infra (a) loquens de Jacob, quem supponit prælestinatum, & de Esau, quem supponit reprobatum inquit: *Quid diligebat in Jacob antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? Et quid oderat in Esau, antequam natus fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* Ergo &c.

Respondent primo aliqui Augustinum non assignasse ut causam reprobationis originale nisi respectu illorum, quibus nunquam erat dimittendum, inter quos numerat Esau, quem supponit nunquam ab originali mundatum: in quo tamen a pluribus deseritur Augustinus contendentibus Esau & fuisse ab originali mundatum, & etiam salutem consecutum. Cum autem originale sit & ipsum causa reprobationis illorum, quibus non est dimittendum, ideo de istorum reprobatione loquens S. Doctor, ut illius causam assignat originale. Et hoc apposite ad refellendos Pelagianos contendentes reprobationem fieri solum post prævisa peccata actualia (cum ipsi originale negarent.)

Responderi potest secundo S. Augustinum per illam reprobationem, quæ originale agnoscit ut sui causam, non intelligere reprobationem formalem a gloria, sed reprobationem completam, scilicet reprobationem a serie gratiarum efficacium, quæ secum trahit finalem perseverantiam, & ipsam tandem gloriam non quidem eo sensu, quod Deus directe in pœnam originalis decernat negare illam seriem gratiarum efficacium iis, quibus jam statuit illud dimittere, sed ita ut; cum homines ob originale redditi sint omnes indigni peculiaris illius dilectionis, quam Deus ostendit erga illos, quibus talem gratiarum seriem elargi-

 tur;

(a) *Cap.* 8.

tur; jam potuerit Deus juste omnes a tali serie reprobare. Ex his aliquos voluit ex sua misericordia ad illam seriem prædestinare, alios non. Cum autem remissio originalis secum quidem trahat, quod Deus nolit amplius illos ob originale punire, quibus originale dimisit, sed non trahat quod illos debeat prosequi iis, ut ita dicam, peculiaribus favoribus, quibus prosecutus eos fuisset, si nunquam habuissent originale (sicuti non trahit, quod debeat restituere homini immortalitatem & immunitatem a concupiscentia, quæ ipse homo habuisset, si caruisset originali) patet quomodo verificetur remanere etiam dimisso originali indignitatem quandam, ex qua Deus possit juste determinari ad negandam jam dictam seriem gratiarum.

Sane si dicamus ob originale immediate moveri Deum ad negandam seriem gratiarum cum perseverantia connexarum, quod tandem secum trahit reprobationem, non læditur generalis illa voluntas, quam Deus habet omnes salvandi etiam posito ipso originali, & etiam relate ad illos, quibus vult originale dimittere. Nam cum generalis illa voluntas & remissio originalis non importet ex dictis, ut Deus velit hominem, quem vult salvare, & cui vult originale dimittere, prosequi specialibus favoribus, qualis est collatio gratiarum cum perseverantia connexarum; potest consequenter Deus ex originali licet dimittendo desumere motivum denegandi talem specialem favorem, cum in sententia adversariorum Deus ex originali immediate desumat motivum excludendi a gloria, quod nec videtur componi cum generali voluntate, quam habet Deus de salute omnium etiam posito originali, nec multo minus cum voluntate dimittendi originale illis, quibus dimittere vult, ut supra ostendi.

Scrupulus potest remanere circa hanc responsionem, quod scilicet, sicuti dixi superius, Deum ab originali non posse desumere motivum reprobandi illos, quibus ipsum originale vult dimittere, quia tunc etiam posita dimissione originalis

Deus

Deus vellet homini maximum malum, ita nec videtur posse sumere motivum denegandi seriem gratiarum cum perseverantia conjunctarum, quod ipsum est maximum malum.

Sed advertendum disparitatem maximam esse inter unum casum & alterum. Nam primo exclusio a gloria respectu hominis ad finem supernaturalem elevati non habet nisi rationem mali: rursus, ut supra visum est, si ob originale præcise decerneretur, non posset tunc verificari voluntas, quam habet Deus salvandi homines etiam posito originali: & tandem, si ita decerneretur, decerneretur absque quo homo posset impedire suam reprobationem, cum nec posset impedire originale, nec eo posito posset impedire in hypothesi decretum taliter exclusivum. At exclusio a gratiis cum finali perseverantia connexis, cum fiat per hoc, quod Deus seligat illas gratias, quæ cum perseverantia non sunt connexæ, non est rigorose malum, sed potius denegatio favoris specialis, quæ potest stare cum generali voluntate, quam habet Deus omnes salvandi: & si hanc denegationem consequitur damnatio, hoc non est nisi ex culpa actuali hominis, qui potuisset gratiis sibi datis consentire, & cum istis salvari. Ergo &c.

Antequam ad quartam assertionem procedam, noto reprobos dividi in parvulos, & adultos: adulti & ipsi dividi possunt, aliis enim remittitur originale, aliis non. Parvuli, qui damnantur, ob solum originale damnantur: adulti, quibus remissum est originale, damnantur ob sola actualia. Alii adulti ob actualia quidem damnantur, sed etiam ob originale, quod remissum non supponitur. Hoc posito sit

Assertio quarta. *Quicumque reprobatur, quomodocumque reprobetur, ob illa solum peccata reprobatur, ob quæ de facto damnationem subit.*

Prob. ratione. Deus de facto ex supra visis parvulos decedentes cum originali damnat ob originale: adultos decedentes cum solis actualibus damnat ob sola actualia: adultos autem & cum originali & cum actualibus decedentes damnat &

ob originale & ob actualia. Ergo in Deo datur decretum de illis sic damnandis. Si hoc, frustra admittitur decretum de illorum reprobatione aliam supponens causam a jam dictis. Ergo &c.

Cum autem dico parvulos reprobari ob originale, id non dico, quasi Deus statim ac videt illos originali infectos, decreverit illos excludere a gloria; hoc enim non posset componi cum generali voluntate, quam habet Deus salvandi omnes etiam supposito originali; sed eatenus dico, quatenus postquam vidit illos originali infectos, præparavit media, quibus ab originali mundarentur, quæ postquam vidit non applicanda, vidit consequenter illos cum originali decessuros, & tunc eos reprobavit.

Pariter cum dico reprobos adultos decessuros cum originali & actualibus, vel cum solis actualibus, reprobari ob originale & ob actualia, vel ob sola actualia, id est intelligendum, ut Deus istis quoque præparaverit media, ut & ab originali & ab actualibus mundarentur, quæ media in illorum potestate constituerit. Cum autem viderit illos talia media neglecturos, adeoque cum originali & actualibus, vel cum solis actualibus decessuros, & ob istud originale & ob actualia, quæ admiserunt illos reprobavit.

ARTICULUS TERTIUS.

Pro coronide tractationis de prædestinatione & reprobatione, restat, ut ordinem afferam, quo Deus juxta statutas sententias concipit decretum vel prædestinativum, vel reprobativum. Si ergo de Angelis loquamur, ordo est hujusmodi.

I. Deus decrevit creare Angelos, illos ordinando ad finem æternæ gloriæ, quam illis simplici affectu voluit & conditionate, nimirum si in justitia perseverassent, in qua illos constituturus erat. II illis destinavit tum gratiam habitualem & sanctificantem, tum auxilia actualia ad perseverandum in justitia. III. vidit alios ex propria libertate cum adjutorio tamen gratiæ perseveraturos, alios non.

IV.

IV. illos statuit salvare, sicque prædestinavit, hos statuit damnare, sicque reprobavit.

Si vero de hominibus sermo sit: I. Deus decrevit creare genus humanum, illud ad beatitudinem supernaturalem ordinando, quam omnibus hominibus simplici affectu & conditionate voluit. II. omnibus hominibus destinavit tum gratiam habitualem, tum justitiam originalem, quæ essent duraturæ, quousque primus homo peccaret, cui gratias etiam sufficientes destinavit, ut in innocentia posset perseverare. III. vidit Adamum peccaturum, & in ipso omnes ejus descendentes peccaturos (si Christum excipias & Mariam Virginem.) IV. non obstante peccato originali voluit omnibus hominibus voluntate seria & sincera quamvis conditionata salutem, & ad remedium suppeditandum humano generi præordinavit Incarnationem Verbi & ipsius merita. V. statuit ex meritis Christi omnibus hominibus concedere auxilia sufficientia, ut a peccato liberarentur, & consequerentur salutem, & aliquibus etiam ex speciali misericordia auxilia efficacia connectenda cum perseverantia finali. VI. vidit hæc auxilia respectu istorum effectum habitura, adeoque istos & ab originali liberandos, & tandem in gratia decessuros: alia vero auxilia respectu aliorum vel nullum, vel non completum effectum habitura, quatenus hi vel non erant ab originali liberandi, vel etsi essent ab originali liberandi, ob peccata actualia erant denuo gratiam amissuri, ac tandem in lethalibus actualibus decessuri. VII. illos prædestinavit, hos reprobavit.

DISSERTATIO V.

De Visibilitate ac respective Visione Dei.

DIssertationem hanc in quatuor capita divido. In 1. agam de possibilitate visionis Dei: in 2. de illius existentia: in 3. de antecedentibus & consequentibus hanc visionem: in 4. de ejusdem visionis inæqualitate.

CAPUT PRIMUM.

De possibilitate Visionis Dei.

QUamvis probata existentiæ visionis Dei, probetur etiam ejus possibilitas, cum ab actu ad potentiam valeat illatio, consueverunt tamen Theologi examinare possibilitatem hujus visionis seorsim ab illius existentia; multa enim habentur circa ipsam præcise visibilitatem peculiarem merentia animadversionem. Et ipse ergo de visibilitate Dei speciatim agam.

Duplex esse potest sensus quæstionis, *an Deus videri possit*, nimirum, an videri possit *oculo corporeo*, & an videri possit *oculo mentis*. Rursus, cum visio ipsa mentalis sive intellectualis triplex esse possit, nimirum *abstractiva*, *intuitiva*, & *comprehensiva*, quarum prima est, qua Deus cognoscitur in creaturis, altera, qua cognoscitur in se, tertia qua ita cognoscitur, ut cognitio adæquet ipsius cognoscibilitatem tum extensive repræsentando quascumque ejus perfectiones, tum intensive illas repræsentando tanta claritate, quanta repræsentabiles sunt: cumque facile concedant omnes Deum posse abstractive videri; hinc quæstio præcipue reducitur ad intuitivam visionem Dei & comprehensivam.

Agen-

Agendum ergo 1. de visione Dei per oculum corporeum: 2. de visione Dei intellectuali intuitiva: 3. de comprehensiva.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. olim fuisse qui Deum dixerunt oculo corporeo visibilem, utpote qui Deum corporeum faciebant. Ita superius relati Antropomorphitæ. Contra hos non est modo quæstio; nam suppono ex probatis Deum esse mere spiritualem. Alii dixerunt esse ita visibilem Filium Dei, quem faciebant creaturam, ut Ariani, & nec contra hos modo disputatur; nam hic supponitur (probabitur autem in Tractatu de Trinitate) Filium Dei esse verum Deum. Hic ergo supponitur verum Deum esse substantiam mere spiritualem, & de Deo sic considerato procedit quæstio, utrum in hac immediate substantia possit ab oculo corporeo videri.

Noto 2. nomine visionis per oculum corporeum intelligi expressionem imaginis objecti visi factam in fundo oculi mediantibus radiis ab ipso objecto emissis vel reflexis & varie modificatis. Quod quidem est advertendum, ut distinguatur sententia communis Theologorum negantium possibilem in præsenti providentia visionem Dei per oculum corporeum elicitam, a sententia quorumdam Philosophorum existimantium posse a substantia etiam spirituali illos motus & modificationes excitari in fundo oculi, qui excitantur a re corporea, adeoque imaginem quandam exprimi, in qua oculus objectum spirituale intueatur: quæ quidem sententia etsi vera esset, a quo nunc præscindo, non tamen admitteret veram & rigorosam visionem ocularem respectu objecti spiritualis: nam tunc nec per radios a se immediate more corporum emissos vel reflexos depingeretur in oculo imago rei spiritualis, neque hæc qualiscumque imago, utpote exhibens extensionem, colorem, aliasque modificationes sensibiles, esset adæquata imago rei spiritualis, quæ omnibus his qualitatibus est destituta. De visione ergo vera & rigorosa procedit quæstio.

Noto 3. communiſſimam eſſe Theologorum ſententiam Deum in ſe immediate non poſſe oculo corporeo videri juxta legem ordinariam. De lege extraordinaria res non eſt adeo certa; aliqui enim contendunt non conſtare ſufficienter, quod hoc ſit impoſſibile, cum dicant non conſtare ſufficienter, quod non poſſit a Deo condi potentia aliqua ſenſitiva, intra cujus ſpecificativum ſit etiam objectum ſpirituale. Huic ſententiæ putant robur accedere ex Auguſtino, de quo infra. Ita Valentia, Pontius, aliique. Hic ex profeſſo ſermo tantum erit de potentia ordinaria: apparebit tamen ex dicendis quid de extraordinaria probabilius ſit ſentiendum. Sit ergo

Assertio. *Juxta legem ordinariam non poteſt oculus corporeus videre Deum immediate & in ſe.*

Prob. ex Patribus. S. Auguſtinus I. pluries expreſſe dicit oculo corporeo non poſſe videri Deum; inquit enim: *Deus* (a) *eſt . . . lux mentium purgatarum, non iſtorum corporis oculorum. Erit ergo tunc mens idonea, quæ illam lucem videat, quod nunc nondum eſt. Hoc autem oculus videre corporis neque nunc poteſt, neque tunc poterit*: alibi (b): *Non enim eſt corpus*, (Deus) *ut carneis oculis inquiratur.* Et ad Fortunatianum ſcribens (c) rogat illum, ut conveniat quemdam, qui offenſus fuerat ex iis, quæ alibi ſcripſerat pro impoſſibilitate viſionis Dei per oculum corporeum, ſubdens non ſe tamen pœnitere de eo, quod dixerat; inquit enim: *Rogare digneris, ut ignoſcat mihi, ſi quid durius & aſperius in ſe dictum accepit in ea epiſtola, quam me modo ſcripſiſſe non pœnitet, quia dixi iſtius corporis oculos nec videre Deum, nec eſſe viſuros. Cauſam quippe adjunxi, cur hoc dixerim, ne ſcilicet Deus ipſe corporeus eſſe credatur, & in loci ſpatio intervalloque viſibilis; ni-*

(a) *Ep.* 92. *alias* 6.
(b) *Lib.* 8 *de Trin. cap.* 4.
(c) *Ep.* 148. *olim* 111. *cap.* 1.

nihil enim videre aliter istius corporis oculus potest.

II. S. Doctor plura refert & approbat dicta Patrum stantium pro statuta assertione. Ita plura affert ex commentariis S. Ambrosii in Lucam (Lib. 1. Cap. 3.), inter quæ hæc habentur (a): *nec in loco Deus videtur, sed mundo corde: nec corporalibus oculis quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu.* Et infra (b) addit Augustinus: *Etiam quod S. Hieronymus, dicam. Non solum Patris divinitatem, sed nec Filii quidem, nec Spiritus S., quæ una in Trinitate natura est, possunt oculi carnis aspicere, sed oculi mentis . . . Res incorporalis corporalibus oculis non videtur.*

III. S. Doctor plures ad assertionem supra statutam probandam rationes affert; in primis enim patet ex supra allatis impossibilitatem videndi Deum respectu oculi corporei ab ipso deduci, ex quo Deus non sit corpus. Rursus id deducit ex quo Deus sit immensus & indivisibilis: *Omne*, inquit (c), *quod oculis corporis conspici potest, in aliquo loco sit necesse est, nec ubique sit totum, sed minore sui parte minorem locum occupet, & majore majorem. Non ita est Deus invisibilis & incorruptibilis.* Id etiam deducit ex quo objectum visibile debet esse in aliqua distantia ab oculo, quod de Deo non verificatur: *Istius*, inquit (d), *corporis oculos dixi non visuros Deum, hoc intuens, quod istius corporis oculi omnino non possunt cernere nisi corpora, quæ ab eis aliquo loci intervallo separata sunt; nam si nullum intervallum sit, nec ipsa corpora per eos videmus.* Tandem adducit hanc aliam rationem, quia si Deus ita posset vi-

 deri,

(a) *Ep.* 147. *alias* 112. *cap.* 11.
(b) *Ead. ep.* 147. *cap.* 33.
(c) *Epist.* 92. *ad Ital. olim* 6.
(d) *Ep.* 148. *olim* 111. *cap.* 1.

deri, posset etiam ore manducari, aure audiri, olfactu præsentiri &c., quæ omnia sunt absurda: *Cur*, inquit (a), *solis oculis corporeis Christi hoc donum attributum esse contendunt, non etiam cæteris sensibus? Sonus ergo erit Deus, ut possit etiam auribus percipi, & halitus erit, ut sentiri possit olfactu, & liquor aliquis erit, ut possit bibi, & moles erit, ut possit tangi?* Ergo &c.

Probationes ex ratione non est cur hic afferam, cum principaliores jam adductæ sint ex Augustino. Placet tantum & has & assertionem simul hac unica confirmatione, quæ est omnium ratio a priori, roborare. Potentia vitalis specificatur ab objecto, idest dicitur esse talis, quia in talem speciem objecti tendit, & non in aliam: ita potentia intellectiva specificatur a vero, quia in verum tendit, & non in bonum: volitiva specificatur a bono, quia in bonum tendit, & non in verum &c. Cum igitur specificativum potentiæ visivæ corporeæ sit corpus coloratum, ideo extra hoc specificativum hæc potentia vagari nequit, adeoque non potest quidpiam aliud attingere, quam corpus coloratum; cumque Deus talis non sit, non poterit oculus corporeus illum attingere.

Obj. ex Scripturis. I. Job ait: (b) *Rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt*. Et infra (c) *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.*

II. Passim in Scripturis dicitur Deum vel visum esse a Prophetis *facie ad faciem*, ut de Jacob: (d) *Vidi Deum facie ad faciem*: vel ita videndum a Beatis, ut docet Apostolus per illa verba

(a) *Citat. epist. ad Ital.*
(b) *Cap.* 19. (c) *Cap.* 42.
(d) *Genes.* 32.

ba: (a) *Videbimus eum facie ad faciem*. Hæc autem visio *facie ad faciem* est visio per oculum corporeum. Ergo &c.

℟. Ad I. Job primo loco asserere quidem se visurum Deum *in carne*, sed non *per carnem*, idest visurum Deum reassumpto corpore, sed non mediantibus organis corporeis. Ita S. Augustinus. (b) Alio loco vel metaphorice loquitur S. Job, quasi dicat: plura audivi Deus de tua providentia & misericordia in homines, sed modo hæc proprio experimento & quasi oculari inspectione cognosco, cum videam finem malorum meorum & imminentem benedictionem tuam super me: vel innuit se Deum vidisse mentaliter per clariorem illuminationem intellectus: vel tandem innuit se vidisse etiam oculo corporeo Deum non in se, sed in imagine quadam corporea ab ipso Deo assumpta.

Ad II. ℟. illud *facie ad faciem*, cum de visione Prophetarum dicitur, vel intelligi de visione intellectuali clariore quam aliis concederetur, vel de visione Angeli repræsentantis Deum, ut de Jacob ostendit contextus, vel de visione Dei non in se, sed in specie corporea assumpta, ut explicat D. Augustinus inquiens: *Illi* (c) *ideo viderunt, quicumque Deum viderunt, quia cui voluerit, sicut voluerit, apparet ea specie, quam voluntas elegerit, etiam latente natura*. Cum vero illud *facie ad faciem* dicitur de visione Beatorum, illud dicitur de visione intuitiva mentis. Ita expresse idem Augustinus inquiens: (d) *Cum legis, videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, intellige inde nos tunc visuros facie ad faciem, unde videmus nunc*

(a) 1. *Cor* 13
(b) *Lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 29.
(c) *Ep.* 147. *al.* 112. *cap.* 7.
(d) *Ep.* 92. *al.* 6.

per speculum in ænigmate. Hoc autem utrumque interioris hominis munus est, sive cum in ista peregrinatione adhuc per fidem ambulatur, in qua utitur speculo & ænigmate, sive in illa patria, cum per speciem contemplabitur, pro qua visione positum est facie ad faciem.

Obj. ex Augustino. Asserit S. Doctor post resurrectionem Deum videndum oculis corporeis; inquit enim (a): *Longe alterius erunt potentiæ*, (oculi corporei) *si per eos videbitur incorporea illa natura, quæ non continetur loco, sed ubique tota est*. Ergo &c.

℟. S. Augustinum ibi agere non de oculo remanente corporeo, sed de oculo converso in spiritum, & de hoc ipso oculo nihil asserere, sed dubitare. Explico. Duplicem distinguit S. Doctor quæstionem circa visionem Dei per oculum corporeum: alteram, (b) *utrum Deus per oculum corporeum remanentem corporeum possit videri:* alteram, (c) *utrum Deus post resurrectionem videndus sit per oculum, qui quidem fuit corporeus, sed tamen jam in spiritum conversus sit*. In prima quæstione, quæ illa ipsa est, quæ modo agitatur, semper sententiam negativam propugnavit Augustinus, ut constat ex locis in probatione adductis: imo cum dictis Augustini offensus fuisset quidam Episcopus, scripsit S. Doctor epistolam 148. ad Fortunatianum, in qua munus ipsi demandavit veniam sibi ab illo Episcopo impetrandi, sed tamen in sententia sua semper constans asseruit se non pœnitere de eo, quod dixerat, & denuo attulit rationes, quibus inductus fuerat ad id dicendum (Vide verba S Doctoris supra in probationibus). De altera quæstione nihil voluit definire Augustinus; inquit enim: (d) *Si quisquam hoc*

(a) *Lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 29.
(b) *Ep.* 92. *ad Ital alias* 6.
(c) *Ep.* 147. *ad Paulinam. al.* 11.
(d) *Ep.* 148. *ol.* 111. *cap.* 1.

hoc putet, (corpus reddendum spirituale ... *volo ut me doceat*, *si verum sapit*. *Si autem in hoc falsum sentit*, *longe tolerabilius est corpori aliquid arrogare*, *quam Deo derogare* (Scilicet tolerabilius est corpus elevare ad naturam spiritualem , quam Deum asserere corporeum , illum constituendo oculo corporeo visibilem) : & infra : *Nondum plena fiducia confirmo utrum ita futurum sit spirituale corpus* : postea : *Fateor me nondum alicubi legisse* , *quod mihi sufficere existimarem sive ad discendum sive ad docendum*. Sed ipsum in sententiam negativam propendisse , sufficienter ostenderat , ubi de sententia affirmativa loquens hæc habet : (a) *Sunt alii Deum quidem ipsum corpus non esse minime dubitantes*, *sed ideo eos*, *qui ad vitam æternam resurgent* , *etiam per corpus Deum visuros putant* , *quoniam talem sperant spiritualis corporis qualitatem*, *ut etiam ipsa* , *quæ caro fuerat*, *spiritus fiat*. *Quod si ita est*, *quantum distet a superiore opinione*, *& quam sit tolerabilius*, *etiamsi verum non sit* , *facillime puto judicari*. Ubi patet hanc sententiam a S. Doctore appellari quidem tolerabiliorem sententia illorum , qui dicunt Deum videndum ab oculo corporeo tali remanente, sed tamen dici falsam. Ergo &c.

Obj. ex ratione. Potest Deus elevare rem , ut operetur etiam supra vel contra ipsius naturam: ita elevavit aquam baptismalem, ut mundaret animam, & elevavit aliquando ignem , ut potius refrigeraret, quam combureret. Ergo etiam potest elevare oculum corporeum , ut videat rem spiritualem , qualis est Deus.

℟. distingendo antecedens : id potest Deus, cum creatura agit vitaliter, seu per potentiam vitalem , nego : cum agit per obedientialem , omitto . Explico . Actio vitalis, sive quæ fit per potentiam vitalem , est actio, quæ fit a vivente operante

(a) *Ep.* 147: *al.* 112. *cap.* 21.

te & ut est vivens, & ut est tale vivens, ut est E. G. auditio respectu auris, visio respectu oculi: actio obedientialis, sive quæ fit per potentiam obedientialem, est actio, quæ fit ab agente, sive vivens sit, sive non vivens, non quatenus est tale agens, sed quatenus adhibetur ut instrumentum Dei ad operandum. Actio ergo vitalis debet correspondere naturæ agentis, secus obedientialis. Visio autem est actio vitalis. Ergo debet correspondere naturæ oculi, adeoque sistere infra corpora colorata, quæ sunt specificativum ipsius, inter quæ non est Deus. Potentia porro obedientialis, quæ est in oculo, potest quidem inservire, ut producatur visio Dei, sed hæc visio utpote actio vitalis spiritualis nunquam præstabitur ab ipso oculo vidente Deum, præstabitur tantum a potentia tali actionis generi correspondente, scilicet ab intellectu. Rem duobus exemplis declaro: Auris per potentiam obedientialem potest etiam producere visionem, si nimirum applicando oculo aliquam aurem, efficiat Deus, ut cæcus videat: at non potest ipsa auris videre, quia videre est actio vitalis, quæ non correspondet naturæ auris. Lutum per potentiam obedientialem potest producere visionem, ut de facto produxit, cum Christus illo linivit oculos cæci nati: at non potest ipsum lutum videre, quia videre est actio vitalis, quæ non correspondet naturæ luti. Ita a pari in casu. Quæ autem exempla in objectione adducta sunt, tantum valent de potentia obedientiali. Ergo &c.

ARTICULUS SECUNDUS.

Noto 1. duplicem errorem circumferri circa possibilitatem visionis Dei intuitivæ: alium Armenorum, qui olim dixerunt intuitivam Dei visionem esse absolute impossibilem, ad quos accessisse videntur Palamitæ, qui dixerunt Deum in se cerni non posse, sed tantum cerni a Beatis in quodam lumine ab ipso emanante, quod increatum quidem, sed non divinam esse substantiam con-

tenderunt: alium Beguardorum & Beguinarum, qui talem visionem dixerunt possibilem etiam spectatis viribus creaturæ naturalis.

Noto 2. omnes Catholicos contendere, quod possit probari ex auctoritate possibilitas visionis Dei intuitivæ, sed non omnes concedere, quod possit evidenter ratione aliqua positiva probari, volunt enim plures id ratione posse quidem probari *negative*, solvendo scilicet objectiones, quæ contra adducuntur, sed non *positive* saltem per demonstrationem: quod non irrationabiliter asseri videbitur infra.

Noto 3. definitum quidem esse, ut infra ostendetur, contra Beguardos non posse ab intellectu creato per vires naturales videri Deum intuitive, sed ita tamen ut hoc directe afficiat intellectus hactenus creatos, aut creabiles juxta providentiam ordinariam. De intellectu autem creabili in alia providentia disputant inter se salva fide Theologi Catholici, contendentibus pluribus posse a Deo creari intellectum, cui sit connaturalis visio Dei intuitiva, aliis id negantibus. Animus non est posteriorem hanc controversiam agitare, sed illam indicasse præstat, ut sententia affirmantium distinguatur ab errore Beguardorum & Beguinarum. His positis sit

Assertio prima. *Deus intuitive videri potest.* Est de Fide.

Prob. ex Scripturis. Ibi dicitur: (a) *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: alibi: (b) *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*: Apostolus inquit: (c) *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: & S. Joannes: (d) *Videbimus eum sicuti est*. Ergo &c.

Prob.

(a) *Matt.* 5. (b) *Jo.* 14.
(c) 1. *Cor.* 13. (d) 1. *Jo.* 3.

Prob. ex Conciliis. Florentinum definit: (a) *Beatos intueri clare ipsum Deum trinum & unum, sicuti est.*

Prob. ex Patribus. S. Ambrosius inquit: (b) *Tunc* (in Cælo) *revelata facie gloriam Domini speculari licebit.* S. Augustinus inquit: (c) *Si quaeris utrum etiam sicuti est possit aliquando videri, respondeo filiis hoc esse promissum, de quibus dictum est: scimus quia cum apparuerit* &c. rursus: (d) *Non autem ipse* (Deus) *apparebat in natura propria, quam Moyses videre cupiebat, ea quippe promittitur sanctis in alia vita.*

Obj. ex Scripturis I. Deus in ipsis dicitur invisibilis; nam dicitur: (e) *Qui lucem inhabitat inaccesibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*: rursus dicitur solum Deum nosse seipsum: (f) *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius.*

II. Locus ille in probationibus adductus, ubi dicitur Deus videndus *facie ad faciem* nihil probat; phrasis enim *facie ad faciem* in Scripturis non semper denotat visionem Dei intuitivam. Ita dicunt Israelitæ: (g) *Facie ad faciem locutus est nobis* (Dominus) *in monte de medio ignis*; & tamen Israelitas Deum non vidisse intuitive patet ex iis, quæ de eadem locutione habet Moyses: (h) *Locutus est Dominus ad vos de medio ignis: vocem verborum ejus audistis, & formam penitus non vidistis.* Hoc idem dici posset de locis, ubi asseritur Moysen Deum vidisse *facie ad faciem*; hæc enim loca saltem probabiliter non indicant Dei visionem, ut infra probabitur. Ergo &c.

Ad I. R. loca adducta non posse rigorose intelligi, alias excluderent etiam visionem abstractivam. Quare ergo non poterunt explicari de visione

(a) *Sess.* 25. (b) *Lib. de bono mortis c.* 11.
(c) *Ep.* 147. *al.* 111. *cap.* 15.
(d) *Ibid. cap.* 8. (e) 1. *Timot.* 6.
(f) *Matt.* 11. (g) *Deut.* 5. (h) *Cap.* 4.

sione aut comprehensiva, aut per oculos corporeos, aut de visione in hac vita? Aliquo autem ex aductis modis non debere loca illa intelligere docet S. Augustinus, ut scilicet salventur alia Scripturarum testimonia, quæ Deum dicunt visibilem. *Quia nec ista testimonia*, inquit S. Doctor, (a) *falsa esse possunt: Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt, &: Scimus, quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, negare non possumus filios Dei visuros Deum.*

Ad II. ℟. non semper equidem dictum illud *facie ad faciem* importare visionem intuitivam, ut probant adducta exempla, loco tamen in probationibus allato importare; sensus enim locorum Scripturæ maxime ex contextu eruendus est, & si contextum locorum in objectione adductorum expendamus, patet ibi non de visione intuitiva sermonem esse: si vero contextum expendamus loci D. Pauli, patet ibi promitti intuitivam Dei visionem. Omisso enim, quod visio *facie ad faciem* opponitur visioni per speculum & in ænigmate, & consequenter visioni abstractivæ, notandum est insuper quod immediate subditur: *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum;* nam per illud, *sicut* &c. indicatur eundem futurum modum tum visionis Dei de Paulo, tum Pauli de Deo. Addo diversimode esse explicandam visionem Dei *facie ad faciem*, cum sermo est de visione hujus vitæ, quam visionem alibi Scriptura negat intuitivam, ac cum sermo est de visione alterius vitæ, quam visionem alibi Scriptura dicit intuitivam.

Obj. ex Patribus I. Chrysostomus inquit (b): *Id quod est Deus, non modo Prophetæ, sed nec Angeli nec Arcangeli.... vident.... creata quippe natura quomodo increatum videre possit?* Rursus do-

(a) *Ep.* 148. *olim* III. *cap.* 3.
(b) *Homil.* 15, *in Jo. al.* 14.

(a) docet Angelos solum vidisse Deum post Incarnationem, scilicet in forma corporea, antea vero non vidisse, quia substantia Dei est invisibilis: *Tunc*, inquit, *Angelis visus est, cum carnem induit, antea autem ipsum non ita videbant: siquidem substantia ipsis invisibilis est*. Alibi loquens de Angelis, qui coram Deo stant, dicit ab ipsis non videri Dei substantiam; inquit enim: (b) *Non ipsum sine temperamento lumen, neque ipsam puram substantiam videbant, sed qua videbantur attemperata erant*. Postea: *Quid autem est illa attemperatio? Quando Deus, non sicut est, apparet, sed ad modum ejus, qui ipsum visurus est, sese attemperat, videntiumque infirmitati sese accomodat*. Hoc eodem modo dicit Deum fuisse visum in hac vita a Prophetis, qui certe Deum tunc intuitive non viderunt.

II. Theodoretus ait: (c) *Clarum est, quod sub aspectum quidem non cadit divina natura, caro autem cadit, & per eam, quæ videri potest, quæ non videri potest, visa est*. Ergo &c.

℟. Ad I. mentem Chrysostomi eruendam esse ex ipsius scopo. Hic autem erat confutare Anomæos, qui, ut infra dicam, Deum se posse comprehendere dictitabant. Visio igitur, cujus possibilitatem negat S. Doctor, est tantum comprehensiva. Scio Vasquez negare Anomæos tam fuisse stupidos, ut assererent se posse comprehendere Deum, adeoque ipsum existimare S. Joannem Chrysostomum non de comprehensiva, sed de intuitiva visione locutum esse. Fallitur tamen Vasquez; ipse enim Chrysostomus testatur hoc fuisse assertum ab Anomæis. *Ausus est*, inquit, (d) *homo dicere, Deum novi; ut ipse Deus seipsum novit. Haccine con-*

(a) *Ibidem*.
(b) *Homil. 3. de incomprehens. Dei natura*.
(c) *Dialog. 1. qui dicitur* Immutabilis.
(d) *Homil. 2. de incomprehens. Dei natur.*

confutatione indigent, haeccine demonstratione? An non satis est hac solum verba proferre, ut tota eorum impietas reveletur? Etenim hac insania est perspicua, amentia inexcusabilis, novus impietatis modus. Similia habet S. Hieronymus, Theodoretus, & Socrates. Contra hunc ergo errorem loquens Chrysostomus, cum dicit a nulla creatura posse videri Deum, id tantum dicit de visione comprehensiva: cum dicit Angelis post Incarnationem visum fuisse Deum, qui antea erat invisibilis, ideo dicit; quia Angeli viderunt post Incarnationem circumscriptum illum (subintellige in natura humana), qui antea in natura divina, quam solam habebat, erat incircumscriptus; & humanam Dei incarnati naturam comprehenderunt: cum dicit ab Angelis videri Deum per attemperationem, non vero in sua substantia, id dicit, quatenus Angeli, cum non cemprehendant divinam essentiam, illam non vident, ut ita dicam, in tota sua latitudine, sed per hoc, quod ipse se attemperet capacitati intellectus creati. Si autem dicit tali quoque attemperatione visum fuisse a Prophetis, hoc dicit, quatenus & ipsorum capacitati se attemperavit Deus præbens se ipsum illis conspiciendum, diverso tamen modo ac egerit cum Angelis; hi enim sunt capaces Deum videndi intuitive, secus (de lege saltem ordinaria) Prophetæ, cum viverent.

Sane comprehensibilitatem tantum Dei fuisse a Chrysostomo negatam patet ex quo, postquam illud sibi objecit: (a) *Quid igitur? omnes ne in ignorantia sumus?* respondet: *Absit, sed nemo sic novit, ut Filius:* & paulo post: *Sic & nunc omnes Deum novimus, substantiam vero ejus, quæ sit nemo novit, nisi is, qui ex ipso natus est; cognitionem enim hic dicit certam visionem & comprehensionem, talemque, qualem Pater de Filio*

(a) *Homil.* 15. *in Jo. al.* 14.

lio habet: & post habitam Homiliam tertiam de incomprehensibili Dei natura inquit: (a) *Postquam nuper ostendimus Deum esse incomprehensibilem hominibus, imo & ipsis Cherubim & Seraphim... quid residuum erat? ut ostenderemus neque Principatus, neque Potestates, neque Dominationes, neque aliam ullam creatam virtutem esse, quæ Deum perfecte comprehendat... Itaque cum audis: Deum nemo vidit unquam, id intellige nullum esse, qui Deum substantialiter omnino perfecte cognoscat.*

Imo alibi expresse Beatis concedit intuitivam Dei visionem; loquens enim de B. Petro in Thabor constituto inquit: (b) *Quod si ille, obscura quadam conspecta futurorum imagine, omnia statim rejecit ab animo ob inditam a tali visione voluptatem; quid dicetur, quando ipsa rerum veritas aderit, quando apertis regiis ædibus ipsum Regem conspicere licebit non ultra in ænigmate neque per speculum, sed facie ad faciem, non ultra per Fidem, sed per speciem?* & alibi: (c) *Hic quidem* (Deum) *nemo vidit, illic autem, qui adsunt, perpetuo vident, quatenus illum videre licet, non solum præsentem, verum etiam suæ gloriæ splendore condecorantem universum cœtum.*

Ad II. ℟. Theodoretum solum negare Deum esse visibilem oculo corporeo vel visione comprehensiva: ipse enim adductum dialogum scribit contra Eutychianum, qui directe contendebat unicam in Christo etiam post Incarnationem esse naturam, ita tamen ut aliqua etiam assereret ex hæresibus, quæ antecesserant, inter quas erat etiam hæresis Anomæorum; ideo Theodoretus, ut ostenderet in Christo post Incarnationem esse præter divinam humanam etiam naturam, simulque ut

(a) *Homil.* 4. *de incompreheus. Dei nat.*
(b) *Homil.* 1. *ad Theodorum lapsum.*
(c) *Homil. de S. Philogonio.*

ut confutaret errorem Anomœorum, tale inſtituit argumentum: Chriſtus habebat naturam oculo corporeo viſibilem & comprehenſibilem. Talis non poteſt eſſe natura divina. Ergo præter hanc aliam habebat naturam, quæ ſane alia non erat niſi humana. Ergo &c.

Theodoretum autem ſtare pro nobis patet ex quo ipſe diſtinguit quod videbunt poſt diem judicii ſoli Fideles, & quod videbunt tum Fideles tum infideles, & aſſerit ſolos Fideles viſuros bona, quæ ſperant, ideſt Deum facie ad faciem, infideles autem viſuros humanitatem a Chriſto aſſumptam: En ejus verba: (a) *Nunc bonorum, quæ ſperantur, magnitudo eſt quidem omnino ignota infidelibus, Fideles autem vident tanquam in ſpeculo & in ænigmate; per Fidem enim ambulabant, non per ſpeciem: tunc autem videbunt facie ad faciem*: & ſtatim poſtea ſubdit: *Fideles & infideles videbunt naturam ex nobis ſumptam*.

Obj. ex ratione. Inter potentiam & objectum debet eſſe proportio. Nulla autem eſt inter intellectum creatum & Deum, cum hic ſit infinitus, ille finitus. Ergo &c. Et ſane non major videtur eſſe proportio inter intellectum creatum & Deum & oculum corporeum. Ut ergo ex ſupra viſis nequit oculus corporeus intueri Deum, ita nec intellectus creatus.

℟. Primo argumentum probare Deum nec abſtractive poſſe cognoſci, nec credi, nec amari. ℟. Secundo proportionem requiſitam inter objectum & potentiam cognoſcentem non eſſe *magnitudinis* aut *dignitatis*, quaſi quod potentia debeat eſſe æqualis objecto, ſed eſſe, ut dici ſolet, *habitudinis* atque *capacitatis*, quam habet intellectus creatus reſpectu Dei, cum hic contineatur intra ſpecificativum illius. Ut hic autem videat Deum

(a) *Comment. in epiſt. ad Epheſios Cap.* 2.

Deum infinitum, non requiritur, ut illum videat infinito modo, sufficit si videat modo finito. Quod si quæratur quomodo objectum infinitum videri possit modo finito, respondebo id difficile posse explicari. Hoc solum asseri potest Deum & se ipsum, ut ita dicam, attenuare, & intellectum elevare, ut infinita sui ipsius magnitudo valeat in finita magnitudine intellectus representari: eo proportionaliter modo (valeat exemplum, quantum valere potest), quo capax est parvus oculus magnum montem intueri, & sic capax ejusdem montis extensio in oculi sensorio repræsentari. Sed quamvis difficile sit explicare quomodo objectum infinitum finito modo repræsentetur, hoc tamen non officit veritati assertionis, cum agatur de re superante captum nostrum.

Disparitas autem est inter oculum corporeum & intellectum in ordine ad videndum Deum; etenim inter oculum corporeum & Deum nulla est ex supra probatis nec habitudinis proportio, qualis est inter ipsum Deum & intellectum, cum Deus non contineatur intra specificativum potentiæ visivæ corporeæ, contineatur vero intra specificativum potentiæ visivæ intellectualis. Ergo &c.

Assertio secunda. *Non est hactenus ratione naturali demonstratum esse creaturæ possibilem visionem Dei intuitivam.*

Prob. ratione. Validiora momenta, quæ hactenus sunt adducta ad hoc probandum, sunt hæc; I. lumine naturali est notum possibilem esse consecutionem ultimi finis. Visio autem intuitiva est ultimus hominis finis, Ergo &c. II. in nobis est naturalis appetitus, quem per sensum intimum agnoscimus, videndi Deum; nam in nobis est naturalis appetitus beatitudinis, quæ in visione Dei consistit: Ergo hæc visio est possibilis; si enim talis non esset, errasset Auctor naturæ in nobis statuendo talem appetitum. III. evidens est, quod omne intelligibile potest visione intellectuali videri. Cum ergo Deus sit intelligibilis, poterit utique ab intellectu creato videri. Quidni igitur etiam intuitive? IV. evidens est, quod sensibus

com-

competit immediata perceptio objecti. Quare ergo hæc negabitur intellectui? V. evidens est, quod potentia imperfecte attingens objectum suum potest elevari ad illud perfecte attingendum. Cum ergo visio Dei intuitiva sit ultima perfectio potentiæ intellectivæ, evidens est hanc posse elevari ad videndum Deum intuitive. Sed hæc momenta non sunt demonstrativa. Ergo &c. Minor prob. per partes.

Non I.: nam quod visio Dei intuitiva sit ultimus hominis finis, non demonstratur lumine naturali: cujus rei inter alia indicium est, quod fere nullus ex Philosophis, qui solo lumine naturali locuti sunt, illum statuerunt in hac visione. Per solam ergo Fidem hoc est exploratum. Ergo &c.

Non II.; nam (cohærenter ad supra dicta) quod visio Dei sit hominis beatitudo, non est exploratum nisi per Fidem. Etsi ergo appetamus etiam beatitudinem, quatenus hæc consistit in visione Dei, hic appetitus fundatur in revelatione nos docente in tali visione consistere beatitudinem, unde cum talis appetitus sit supernaturalis, ex illo non potest naturaliter probari possibilitas talis visionis. Ad summum potest concedi naturalis aliquis appetitus cognoscendi Deum, sed undenam probabitur hunc appetitum tendere ad visionem Dei intuitivam, & non ad solam abstractivam? Respondebis id vel ex eo probari, quod posita cognitione abstractiva excitatur naturaliter appetitus ad cognitionem perfectiorem, ac proinde ad intuitivam. Sed primo potest appetitus excitari ad cognitionem perfectiorem sistentem intra lineam cognitionis abstractivæ: secundo etsi excitaretur appetitus ad cognitionem intuitivam, non tamen hæc posset ex illo demonstrari possibilis, cum subinde excitentur appetitus ad aliqua, quæ non possunt demonstrari possibilia, ut est quando ex desiderio sciendi, quæ fiunt eodem tempore pluribus locis, excitatur in nobis appetitus simul in pluribus locis existendi. Ergo &c.

Non

Non III.; nam ex hoc solum infertur Deum esse cognoscibilem aliquo modo, non quod sit cognoscibilis tali determinato modo, scilicet per sui immediatam manifestationem intellectui, quod ad intuitivam visionem requiritur.

Non IV.; nam cum multa ignobilioribus aliquando competant, quæ nobilioribus non competunt, ut sunt E. G. quæ cœlestibus corporibus inanimatis conveniunt, nec tamen conveniunt terrestribus animatis, quis poterit tuto argumentari ab eo, quod sensibus convenit, ad id, quod competit intellectui?

Non V.; nam dato etiam, quod evidens esset potentiam imperfecte attingentem objectum elevari posse ad illud perfecte attingendum, hoc tamen solum valeret in illo genere, quo objectum ipsum attingebat, sicque si potentia imperfecte attingebat objectum illud concipiendo abstractive, poterit elevari ad illud perfecte intelligendum abstractive: non autem evidenter valet argumentum ab uno genere ad aliud, sicque a perceptione imperfecta objecti considerata abstractive ad perceptionem ejusdem consideratam intuitive.

Assertio tertia. *Nullus intellectus creatus aut creabilis juxta ordinariam providentiam per proprias naturales vires potest intuitive videre Deum*. Est de Fide.

Prob. ex Scripturis. Ibi dicitur: (a) *In lumine tuo videbimus lumen:* alibi: (b) *Oculus non vidit, Deus, absque te quæ præparasti expectantibus*: rursus: (c) *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*. Ergo &c.

Prob. ex Conciliis. In Viennensi relatis erroribus Beguardorum & Beguinarum, inter quos erat

(a) *Psalm.* 35. (b) *Isai.* 64.
(c) *Matt.* 11.

rat etiam error oppoſitus ſuperiori aſſertioni, Clemens V. illos damnavit his verbis: *Nos ſacro approbante Concilio ſectam ipſam* (Beguardorum & Beguinarum) *cum premiſſis erroribus de lumine gloriæ damnamus, & reprobamus*. Ergo &c.

Prob. ex Patribus. Origenes inquit: (a) *Mens noſtra ipſum per ſe Deum, ſicut eſt, non poteſt intueri*. S. Ambroſius inquit: (b) *In poteſtate noſtra non eſt* (Deum) *videre, ſed in poteſtate illius eſt apparere*. S. Auguſtinus inquit: (c) *Sicut non eſt a carne ſed ſuper carnem, quod carnem facit vivere, ſic non eſt ab homine, ſed ſuper hominem, quod hominem facit beate vivere.* Ergo &c.

Prob. ratione. Media, quibus homines gloriam, adeoque viſionem Dei intuitivam conſequuntur, ſunt neceſſario ſupernaturalia: talia ſunt gratia, habitus virtutum, actiones meritoriæ &c. Ergo etiam ipſa viſio intuitiva.

Obj. ex Patribus. Auguſtinus ait: (d) *Nonniſi peccatis homines ſeparantur a Deo*. Solum ergo peccatum cauſa eſt, cur homines a Dei viſione excludantur. Ergo non excellentia ipſius Dei. Igitur in ſtatu innocentiæ Deum homo naturaliter vidiſſet. Ergo &c.

℟. peccatum dici poſſe cauſam, cur Deum non videamus, etſi naturaliter non habeamus potentiam Deum intuendi: primo quia peccatum eſt cauſa illius cœcitatis mentis, quæ, ſi non omnino impedit nos, retardat tamen ab eo cognoſcendo abſtractive: ſecundo quia, cum miſericorditer elevati ſimus ad finem videndi Deum intuitive, nihil poteſt nos impedire a conſecutione talis viſionis, niſi peccatum.

(a) *Lib.* I. *Periar. cap.* I.
(b) *Comment. in Luc. Lib.* I. *Cap.* I.
(c) *Lib.* 19. *de Civit.* Dei *Cap.* 25.
(d) *Lib.* 10. *de Civit.* Dei *Cap.* 22.

Obj. ex ratione I. Deus est visibilis. Cum ergo intellectus habeat naturalem vim cognoscendi visibilia, habebit proinde naturalem vim cognoscendi ipsum Deum, adeoque etiam intuitive videndi.

II. Non minus Deus est objectum excedens intellectum nostrum, si cognoscatur abstractive, quam si cognoscatur intuitive. Sicuti ergo non obstante hoc excessu potest ab intellectu per vires naturales abstractive cognosci, ita etiam intuitive.

℟. ad I. Deum utique esse visibilem absolute loquendo, quo fit, ut contineatur intra specificativum potentiæ intellectivæ adæquate sumptum, sed ex hoc non sequitur, quod contineatur intra specificativum naturale illius. Hoc declaratur. Illud dicitur contineri intra specificativum alicujus potentiæ adæquatum, quod absolute non repugnat produci ab eadem potentia: sic actus supernaturales continentur intra specificativum adæquatum potentiæ humanæ volitivæ, quia absolute possunt ab illa produci. Illud autem dicitur contineri intra specificativum naturale, quod potest ab illa potentia produci juxta ipsius naturales vires: & sic actus supernaturales non continentur intra specificativum naturale voluntatis. Deus porro continetur intra specificativum potentiæ intellectivæ adæquate sumptum, quia absolute potest videri, sed non intra illius specificativum naturale ex probatis. Ergo &c.

Ad II. ℟. Excedi quidem vim naturalem intellectus creati a cognitione Dei intuitiva, sed non ab abstractiva; hæc enim est cognitio Dei per creaturas & ænigmatica, & in hac refulget quidem Deus, sed veluti obumbratus a creaturis, quæ, ut ita dicam, temperant immensum splendorem Dei, & sinunt, ut intellectus creatus in eum oculos intendat. At cognitio Dei intuitiva est cognitio Dei in se ipso, adeoque repræsentans totum illius immensum splendorem nimis opprimentem infirmam aciem creati intellectus. Eo ergo proportionaliter modo, quo solem in alio, puta in pictura, oculus corporeus intueri potest, at non potest ob nimium

mium ejus splendorem intueri in se ipso; a pari in casu.

ARTICULUS TERTIUS.

Noto Anomæos duce Eunomio atque Aetio docuisse posse ab intellectu creato Deum comprehendi. Contra hos sit

ASSERTIO. *Deus est incomprehensibilis ab intellectu creato*. Est de Fide.

Prob ex Scripturis. Ibi dicitur (a), Deus *magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu:* rursus (a): *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum omnipotentem reperies?* tandem (c): *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram*. Ergo &c.

Prob. ex Conciliis. Lateranense IV. hæc habet (d): *Unus solus est verus Deus, æternus, immensus, incomprehensibilis, omnipotens:* rursus (e): *Confitemur quod una quædam summa res est incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, Filius* &c.

Prob. ex Patribus. Chrysostomus ait (f): *Neque Principatus, neque Potestates, neque Dominationes, neque aliam ullam creatam virtutem esse, quæ Deum perfecte comprehendat*. *S.* Augustinus inquit (g): *Si comprehendis, non est Deus:* rursus (h): *Attingere aliquantum mente Deum magna beatitudo est, comprehendere autem omnino impossibile*. Præterea Patres contra Arium & Macedonium disputantes probant Filium, & Spiritum S. esse Deum, ex quo in Scripturis dicantur Deum comprehendere. Igitur per ipsos nulla creatura potest comprehendere Deum; alias nullius roboris esset illorum argumentum.

L 2 Obj.

(a) *Jerem.* 32. (b) *Job.* 11. (c) *Job.* 36.
(d) *Cap.* Firmiter. (e) *Cap.* damnamus.
(f) *Homil.* 4. *contra Anomæos*.
(g) *Serm.* 117. *al.* 38. *de verb. evangel. Cap.* 3.
(h) *Ibid.*

Obj. ex Scripturis. Apostolus ait (a): *Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum*. Cum igitur Apostolus fuerit a Deo cognitus comprehensive, ita comprehensive cognoscet in patria Deum. Pariter ait (b): *Sic currite, ut comprehendatis*. Possibilis est igitur comprehensio.

℟. Cum Apostolus asserit se cogniturum Deum, sicut a Deo cognitus est, illud *sicut* non denotare perfectam æqualitatem, sed solum aliquam similitudinem. Hæc autem habetur in casu; nam utrobique visio est intuitiva. Perfectam sane æqualitatem non semper importari per illud *sicut* patet ex similibus; dicit enim Christus (c): *Estote vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*, quibus hortatur quidem Christus ad perfectionem aliqualiter similem perfectioni Dei, non autem ad perfectionem illi omnino æqualem; ita enim nos hortaretur ad aliquid impossibile. Per illa autem, verba, *sic currite, ut comprehendatis*, non indicat S. Paulus comprehensionem, de qua hic agitur, sed solum assecutionem beatitudinis.

Obj. ex ratione I. Potest Deus videri totus, imo debet sic videri; objectum enim simplicissimum, quale est Deus, non potest partim videri, partim non videri. Rursus potest videri totaliter; nulla enim est in hoc implicantia, saltem si loquamur de creatura a Deo creabili. Ergo potest Deus comprehendi.

II. Deus etiam ut comprehensibilis est objectum intellectus creati; nam comprehensibilitas est perfectio Dei, cum Deus seipsum comprehendat: omnem autem perfectionem Dei potest intellectus creatus attingere. Sed si comprehensibilitas Dei est objectum intellectus creati, hic potest Deum comprehendere. Ergo &c.

℟. Ad

(a) I. *Cor.* 13.
(b) *Ibidem Cap.* 9. (c) *Matt.* 5.

℟. Ad I. Deum quidem totum videri posse & debere ob rationem ibi indicatam, sed non posse videri totaliter. Rationem, qua id negem, deduco ex auctoritate Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, quæ id asserunt impossibile, quæ ratio & est sufficientissima, ut patet, & est expeditissima. Sunt enim qui id repetunt vel ex quo nunquam entitas cognitionis creatæ potest nobilitate adæquare nobilitatem entitatis divinæ cognoscibilitatis: vel ex quo creatura non sit capax cognoscibilitatis infinitæ: vel ex quo non possit creatura videre omnia, quæ sunt in Deo eminenter, aut omnia decreta libera: vel ex quo non possit Deus videri tanta claritate, quanta ipse se videt, quæ tamen omnia ad comprehensionem volunt requiri. Sed cum hæc magnis sint obnoxia difficultatibus maxime attenta potentia Dei absoluta, placet in prima responsione immorari, atque possibilitatem totalis visionis Dei præcise ex auctoritate negare, quod & sufficit ad hanc totalem visionem excludendam, & eximit nos a vindicandis singillatim modis jam assignatis, ob quos rejicitur ab aliis eadem totalis visio. Ergo &c.

Ad II. ℟. Per hoc, quod intellectus creatus cognoscat Deum esse aliquo modo comprehensibilem, non idcirco illum comprehendere; alias nedum in patria, sed etiam in via a nobis actu comprehenderetur, cum & nos nunc sciamus Deum esse modo explicato comprehensibilem. Ergo &c.

CAPUT SECUNDUM.

De existentia visionis Dei intuitivæ.

QUoniam evidens est Deum abstractive de facto etiam in hac vita videri, ideo de existentia abstractivæ visionis nihil hic dicam. Examen ergo reducam ad existentiam visionis iutuitivæ, circa quam tria examinabo: 1. an aliquibus hæc concessa fuerit in hac vita: 2. an concedatur Sanctis in alia vita: 3. quandonam istis concedatur.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. controversiam esse inter catholicos Doctores, an aliquibus hominibus visio Dei intuitiva fuerit concessa in hac vita. Controversia hæc præscindit a Christo, quem certum est etiam in hac vita a primo conceptionis instanti vidisse Deum intuitive: præscindit etiam a Deipara, quam, etsi non sit certum vidisse Deum intuitive in hac vita, communior tamen Theologorum existimat vidisse, cum congruentissimum sit ipsam hoc quoque privilegio fuisse donatam. Quæstio ergo potissimum reducitur ad Moysen, ad S. Paulum, ad Henoch & Eliam, de quibus ita Scriptura loquitur, ut dubium ingerat, an adhuc viatores ad talem visionem fuerint admissi.

Noto 2. quæstionem circa Moysen & S. Paulum agitari de visione illis concessa raptim & transeunter; certum enim est apud omnes, illos non vidisse Deum stabiliter & permanenter; & in hac quæstione ita divisi sunt Patres, & Theologi, ut magna pars illorum stet pro sententia affirmativa, magna item pars pro negativa.

Noto 3. quæstionem circa Henoch & Eliam agitari de visione illis concessa stabiliter & permanenter. Huic quæstioni occasionem præbet sententia fere communis Patrum asserentium hos nondum mortuos esse, sed fuisse vivos translatos in locum nobis ignotum, qui per aliquos est Paradisus terrestris, per alios contendentes, post diluvium non amplius hunc extare, est alius locus amœnissimus; ibi reservandos usque ad tempora Antichristi, contra quem prædicare debent. Nititur hæc sententia Scripturæ; nam, licet de omnibus Patriarchis antediluvianis dicatur, (a) quod sint mortui, de Enoch tamen solum dicitur: *Ambula-*

(a) *Gen.* 5.

bulavit Henoch cum Deo ... & non apparuit, quia tulit eum Deus, & Apostolus: (a) *Henoch translatus est, ne videret mortem*. Et de Elia dicitur: (b) *Cum pergerent* (Elias & Eliseus) *& incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus & equi ignei diviserunt utrumque, & ascendit Elias per turbinem in cœlum ... Et non vidit eum amplius.* Et de his intelligitur illud: *Dabo duobus* (c) *testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta*. Cum ergo juxta hanc sententiam Enoch & Elias sint adhuc viatores, quæritur utrum isti interim videant Deum intuitive. Pro affirmativa parte stant pauci, inter quos Catharinus, Salmeron, aliique; communius enim stant Theologi pro negativa. His positis sit.

Assertio. *Non est dicendum Deum fuisse visum intuitive aut a Moyse, aut a S. Paulo, aut ipsum modo videri ab Henoch & Elia.*

Solet assertio probari ex Scripturis; ut ex illo: (d) *Non videbit me homo, & vivet ... faciem meam videre non poteris*, & ex illo: (e) *Deum nemo vidit unquam*: & ex Apostolo dicente: (f) *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*: quibus relate ad Moysen & S. Paulum solent addi plures auctoritates Patrum. Sed quoniam aliquam hæc momenta patiuntur difficultatem, cum loca Scripturæ videantur posse explicari de visione vel comprehensiva, vel per oculum corporeum, vel de lege ordinaria; auctoritates vero Patrum compensentur per alios Patres contra sentientes; ideo placet assertionem hoc alio momento probare.

Prob. ergo ratione. Ex una parte constat de lege a Deo statuta, ut Sanctis concedatur visio intuitiva solum post mortem: ex alia non constat

L 4 suffi-

(a) *Heb.* 11. (b) 4. *Reg.* 2.
(c) *Apoc.* 11. (d) *Exod.* 33.
(e) *Jo.* 1. (f) 1. *Tim.* 6.

sufficienter, quod circa istos fuerit dispensatum in hac lege. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis pro Moyse. De eo dicitur: (a) *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem*: & infra sic Moyses Deum alloquitur: *Ostende mihi gloriam tuam. Respondit. Ego ostendam omne bonum tibi*. Alibi ait Deus: (b) *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum: at non talis servus meus Moyses .... ore enim ad os loquor ei, & palam & non per ænigmata & figuras Dominum videt*. Ergo &c.

℟. in Exodo indicari familiare Dei colloquium cum Moyse, non intuitivam Dei visionem. Sane hanc per illud, *loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem*, non indicari patet ex sequentibus, cum post illud petat Moyses a Deo, ut ostendat illi faciem suam: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam*: quæ indicant antecedenter visionem Dei intuitivam non fuisse ipsi concessam. Rursus post verba *ostende &c.* & responsionem Dei supra allatam, subditur: *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & vivet*: & iterum: *Ecce*, inquit, *est locus apud me, & stabis supra petram, cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam, tollamque manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris*. Alter locus ex Numeris potest explicari, ita ut Deus familiariter locutus fuerit cum Moyse, illique palam manifestaverit voluntatem suam. Nec est prætereundum quod addunt aliqui, scilicet non Deum, sed Angelum vice Dei apparuisse Moysi; quod probant ex quo S. Stephanus de eo, quod in Exodo dicitur, Moysi apparuisse Dominum in medio rubi hæc habet: (c) *Apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi*.

Obj.

(a) *Exod.* 33. (b) *Num.* 12. (c) *Act.* 7.

Obj. ex Scripturis pro S. Paulo. De illo dicitur: (a) *Raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Ergo &c.

℟. S. Paulum evectum quidem fuisse ad audienda arcana cœlestia, quod indicatur per illud *audivit*, sed non ad videndum Deum. Et sane toto sermonis contextu de revelatione quidem fit sermo, non de visione. Rursus qui Deum intuitive videt, non potest nescire, utrum sit in corpore, an extra corpus, quod tamen S. Paulus nesciebat. Ergo &c.

Obj pro Henoch & Elia ex Scripturis De Henoch dicitur: (b) *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum*, & de Elia: (c) *Et ascendit Elias per turbinem in cœlum*. Ergo sunt jam admissi ad locum, ubi Deus videtur, consequenter &c.

℟. (omisso quod illud *in Paradisum* de Enoch in Græco, & Hebraico non legitur) locum, in quem translati sunt Henoch & Elias, non esse empireum, alias, cum hæc translatio ante Christum contigerit, non fuisset primus hominum Christus, qui in illud introivit. Paradisus ergo, in quem translatus est Henoch, est regio amœnissima; hæc enim per tale nomen significatur, ut de horto deliciarum dicitur: (d) *Plantaverat Dominus Deus Paradisum voluptatis*, & regio circa Jordanem dicitur (e) irrigata *sicut Paradisus Domini*: quod idem valet de cœlo, ad quod translatus est Elias. Nisi dicere velimus nomine cœli venire locum elevatum, quo sensu volatilia, quia in sublime feruntur, dicuntur (f) *volucres cœli*. Ergo &c.

L 5 Obj.

(a) 2. *Cor.* 12. (b) *Eccle.* 44.
(c) 4. *Reg.* 2. (d) *Gen.* 2.
(e) *Gen.* 13. (f) *Psalm.* 8.

Obj. pro iisdem ex ſenſu Eccleſiæ. Hæc colit Henoc, & Eliam ut alios Sanctos jam beatos; celebrat enim feſtum Eliæ die 20. Julii: utrumque invocat in commendatione animæ. Ergo &c.

℟. Cultum hunc illis deferri, non quod ſint beati, ſed quod ſint amici Dei & jam confirmati in gratia.

Obj. pro iisdem ex Patribus. S. Bernardus de illis ait: (a) *Felices plane, qui jam ſoli Deo vivunt, ſoli vacant intelligendo, diligendo, fruendo*. Ergo &c.

℟. S. Bernardum illos dixiſſe felices ſenſu, quo dixerat ſermone antecedente (b), quia ſcilicet *omnes materiæ & occaſiones ablatæ ſunt, quæ eorum intellectum impediant vel affectum, quia ſoli Deo viventes nec noverunt niſi Deum, nec cupiunt niſi Deum*: Fruuntur ergo Deo non ad modum beatorum, ſed ad modum ſanctorum viatorum, qui intime ſunt Deo conjuncti.

Obj. pro iisdem ex ratione. Si iſti nondum viderent Deum, eſſent in ſtatu merendi. Toto ergo hoc tempore, quod fluxit ab illorum raptu usque ad Antichriſtum, tot merita cumularent; ut tandem ſuperarent omnes alios, & ipſam etiam Deiparam. Hoc non. Ergo &c.

℟. Diviſos eſſe Theologos circa antecedens. Vega, Abulenſis, de la Haie cenſent Henoch & Eliam adhuc mereri: quod etſi ſubſiſteret, æquarent fortaſſe, vel etiam ſuperarent merita aliorum Sanctorum, non tamen Deiparæ, quippe quia longiſſime abeſſent ab intenſione charitatis & dignitate ejusdem Deiparæ. Probabilius tamen juxta Eſtium, Suarez, & Vasquez poſt raptum non amplius merentur; raptus enim illorum æquivalet morti, unde ſicuti per hanc tollitur ſtatus meriti, ita & per illum. Ergo &c.

AR-

(a) *Serm. 6. de Aſcens.* (b) *Serm. 3. de Aſcens.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Noto existentiam visionis Dei intuitivæ in alia vita ab illis omnibus negari, quos supra dixi negare illius possibilitatem.

Assertio. *Beati in altera vita Deum vident intuitive*. Est de Fide.

Probationes hic non affero, cum sufficiant quæ capite superiore adductæ sunt ad probandam visionis intuitivæ possibilitatem.

Obj. ex Scripturis. Angeli sancti sunt beati, nec tamen Deum vident intuitive; cum dicat S. Petrus: (a) *In quem* (Deum) *desiderant Angeli prospicere:* desiderium autem fertur in rem, quæ non possidetur. Ergo &c.

℟. Ideo dici Angelos desiderare visionem Dei, quia possessio hujus visionis non ingerit satietatem aut fastidium, ut ingerit possessio bonorum temporalium, sed stat cum jugi desiderio illius continuationis. Ita S. Gregorius, qui (b) comparans locum mox adductum cum alio: (c) *Angeli eorum semper vident faciem Patris*, ait: *Si sententia utraque conferatur, quia sibi nequaquam discordet, agnoscitur. Deum quippe Angeli & vident & videre desiderant, sitiunt intueri & intuentur... ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur, ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur, & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur.*

L 6 AR-

(a) *Ep.* 1. *cap.* 1.
(b) *Lib.* 18. *Moral. cap.* 54. *n.* 19. *in Cap.* 28: *Job.* (c) *Matt.* 18.

ARTICULUS TERTIUS.

Noto 1. quæstionem hic institui relate ad tempus post mortem Christi; de tempore enim ante mortem Christi est fere communis sententia nullam animam licet plene purgatam admissam fuisse ad visionem Dei intuitivam. Dixi *fere communis*, non enim desunt aliqui volentes ipsas animas & tunc admissas fuisse ad talem visionem, ut est Cl. Canonicus Cadonicus in opere typis Venetis super hoc edito anno 1763. Hanc porro sententiam hic non vacat examinare.

Noto 2. fuisse olim in Ecclesia controversiam circa tale tempus post mortem Christi. Aliqui Patres existimarunt has animas solum post ultimi judicii diem admittendas esse ad visionem beatificam, interim vero eas asservari in quibusdam receptaculis extra Cœlum, vel etiam, ut aliqui dixerunt, in Cœlo, ita tamen ut Deum revelata facie non viderent. Alii e contrario defendebant his animabus statim a morte eandem visionem concedi. Modo per definitionem Ecclesiæ sublata est omnis controversia.

Noto 3. me hic ex professo locuturum de animabus, quæ post Christum e corpore solvuntur plene purgatæ Quod tamen de his dicam valet etiam de iis, quæ, cum e corporibus sunt solutæ, nondum erant plene purgatæ, sed tandem per pœnas Purgatorii purgatæ sunt, de iis, inquam, valet relate ad tempus, quo verificatur eas esse sic purgatas.

Assertio. *Post Christum animæ Sanctorum, quæ a corpore migrant immunes ab omni culpa & pœna reatu, ad visionem Dei intuitivam statim a morte admittuntur*. Est de Fide.

Prob. ex Scripturis. Apostolus (a) testatus est se cupere dissolvi & esse cum Christo: *Desiderium*

(a) *Philipp.* 1.

rium habens dissolvi & esse cum Christo. Supra dixerat: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* Sane si Apostolus non sperasset se Christo fruiturum immediate post mortem, non fuisset cur tantopere desideraret mortem, cum in hypotesi hæc illum non fuisset conjunctura cum Christo: imo potius optasset prosecutionem vitæ. Si enim, ut ipse testatur (a) coartabatur ex una parte a desiderio fruendi Christo, & ex alia a desiderio juvandi Fideles, & quid ex his eligeret ignorabat, jam, si non sperasset se futurum cum Christo statim post mortem, elegisset vivere in bonum Fidelium. Sperabat ergo se cum Christo statim post mortem futurum, adeoque sperabat esse in Paradiso, ubi Christus est, & ubi intuitive videtur Deus Rursus dicit S. Joannes: (b) *Nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Apparebit autem quid erimus in hora mortis; tunc enim proferetur a judice sententia definitiva sortis nostræ. Ergo tunc similes Deo erimus, quia tunc videbimus eum sicuti est.

Prob. ex Conciliis. Lugdunense II. approbavit professionem Fidei missam a Michaele Paleologo, in qua hæc habentur: *Credimus illorum animas, qui post sacrum Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel iisdem exutæ sunt purgata, mox in Cælum recipi:* quibus iisdem verbis utitur Florentinum addens: (c) *Et intueri clare ipsum Deum trinum & unum sicuti est.* Tridentinum docet (d) Sanctos cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus offerre. Supponit ergo illos etiam nunc regnare cum Christo, adeoque frui intuitiva Dei visione.

Prob. ex Patribus. S. Cyprianus ait: (e) *Quanta est dignitas, quanta securitas exire hinc lætum,*

(a) *Ibidem.* (b) 1. *Jo.* 3.
(c) *In decret. union. part.* 2. (d) *Sess.* 25.
(e) *Ad Fortunatum de exhort. Martyr. C.* 12.

tum, exire inter pressuras & angustias gloriosum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus, & aperire eosdem statim, ut Deus videatur & Christus? S. Hieronymus de obitu Leæ *Nunc*, inquit, (a) *pro brevi labore æterna beatitudine fruitur, excipitur Angelorum Choris... Christum sequitur, & dicit: quæcumque audivimus, ita & vidimus in Civitate Dei nostri*. Alios afferam, cum objectionibus ex illis desumptis respondendum erit.

Quamvis autem non omnes adductæ probationes directe evincant animas, de quibus modo, statim a morte admitti ad visionem beatificam, indirecte saltem id evincunt, cum evincant illas admitti ante ultimi judicii diem, quo posito non est, cur non statim a morte admittantur.

Obj. ex Scripturis I. illud (b). *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum*. Fructus ergo eleemosynæ, quæ indicatur juxta Interpretes per illud *mitte panem tuum super transeuntes aquas*, invenitur post tempora multa. Ergo non statim a morte.

II. Christus solum ultimo judicii die electos invitabit ad regnum; tunc enim illis dicet: *Venite . . . possidete paratum vobis regnum*. Ergo non prius possederunt; alias inepta esset hæc invitatio.

III. Admissa assertione jam Sancti antiqui Testamenti, qui in sinu Abrahæ juxta fere communem sententiam detinebantur, debuissent statim post Christum acquirere beatitudinem, cum eadem ratio de istis valeat, ac de animabus, quæ plene purgatæ post Christum e corporibus solvuntur. Atqui ex Apostolo illi Sancti nec post Christum adepti sunt beatitudinem. Ergo &c. Prob. mi-

(a) *Ep. ad Marcell*, 23. *al.* 24.
(b) *Eccl.* 11.

minor. Apostolus (a), postquam varios Sanctos recensuit, qui perfectam Fidem habuerunt, hæc subdit: *Juxta Fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed eas a longe aspicientes & salutantes & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere, & si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi: nunc autem meliorem appetunt, idest cœlestem.* Aliis postea viris sanctis enumeratis caput ita absolvit: *Et hi omnes testimonio Fidei probati non acceperunt repromissionem Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Ergo &c.

IV. Idem Apostolus de se inquit: (b) *Reposita est mihi corona justitiæ, quem reddet mihi Dominus in illa die justus Judex, non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus.* Omnibus ergo simul est reddenda corona. Non igitur in die mortis cujusque, sed in judicio universali.

V. Dicit S. Joannes se vidisse subtus altare animas Martyrum, quæ voce magna clamabant: (c) *Usquequo Domine... non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, ut requiescerent adhuc modicum tempus, donec compleantur conservi eorum & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi.* Animæ ergo Martyrum erant subtus altare, desiderabant vindictam, non erant obtenturæ intentum nisi in fine mundi. Ergo non statim a morte &c.

VI. Ex assertione sequitur animas, quæ cum aliqua levi macula migrant e corporibus, hac sublata ad visionem Dei statim admitti. Hoc autem

(a) *Heb.* 11. (b) 2. *Timot.* 4.
(c) *Apoc.* 6.

tem est falsum; nam hæ animæ solum post resurrectionem corporum ad illam admittentur, ut patet ex illo: (a) *Nisi eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis*. Si enim animæ statim post expiationem ad gloriam elevarentur etiam independenter a resurrectione corporum, utilo esset pro iis orare. Ergo &c.

Hic non affero objectionem, quæ deduci solet ex parabola operariorum, quibus omnibus in fine diei fuit solutum pretium; infra enim ostendam quo sensu hæc parabola sit accipienda: ut omittam, quod hoc potest referri ad retributionem præmii completi in fine mundi omnibus simul facienda.

Ad I. ℞. advertendo in textu non dici *solum post tempora multa*, quod excluderet propinquitatem retributionis, sed simpliciter *post tempora multa*, quod verificari potest, etsi præmium statim a morte conferatur; nam cum hoc sit æternum, semper durat, adeoque etiam post multa sæcula invenitur: ut omittam verba adducta fuisse scripta diu ante Christum, unde relate ad tempus scriptionis verificabatur etiam præmium retribuendum solum post tempora multa, idest post mortem ipsius Christi.

Ad II. ℞ electos in die judicii vocandos ad præmium, quod antea non obtinuerant, scilicet ad præmium completum animæ & corporis. Hoc autem non impedit, ne antea præmium habuerint ipsorum animæ. Quæ responsio (contra eos, qui negant quidem sanctos Deo fruituros ante diem Judicii, sed concedunt impios statim a morte damnandos) confirmari potest paritate eorumdem impiorum, qui licet in die Judicii audituri sint: *Discedite a me maledicti in ignem æternum*, adhuc tamen prius in illo puniebantur.

Ad III. ℞. Apostolum ibi non eodem semper sensu sumere nomen *repromissionis*, alias sibi contra-

(a) 2. *Marc.* 12.

tradiceret; postquam enim enumeratis aliquibus Sanctis veteris Testamenti dixit (a) illos non accepisse repromissiones, alios postea enumerat, (b) quos dicit accepisse, ac tandem de omnibus generatim concludit (c) ipsos non accepisse *repromissionem*. Hic ergo esse videtur sensus Apostoli: Abrahamum & Saram, quos proxime ad verba citata ex versu 13. commemorat, defunctos esse *non acceptis repromissionibus*, idest *non accepta possessione terræ Chanaan*, quam Deus ipsis promiserat, cum hæc promissio in ipsorum tantum posteritate esset implenda, sed tales promissiones a longe aspexisse & salutasse, confitentes se peregrinos esse super terram. Dicit autem Apostolus Sanctos illos, dum viverent, Patriam inquisisse utique cœlestem; si enim terrenam inquisissent, ad illam poterant reverti: ideo Deus voluit vocari eorum Deus, & paravit illis cœlestem civitatem, in qua tanquam in Patria quiescerent, quod indicatur per illud: *Ideo non confunditur Deus vocari eorum Deus; paravit enim illis civitatem*. Nec refert quod dicatur *nunc inquirunt*; particula enim *nunc* ibi æquivalet particula *sed*, *atqui*, non denotat tempus præsens, cujus significationis plura habemus in Scripturis exempla, & præcipue ubi ait Apostolus: (d) *Si totum corpus, ubi oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra unumquodque eorum in corpore, sicut voluit. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc multa quidem membra, unum autem corpus*; hic enim patet particulam *nunc* bis repetitam æquivalere particulæ *sed*, non denotare tempus præsens. Prosequitur Apostolus, & alios enumerat, (e) qui sunt posteri Abraham, ut Gedeonem, Barac, Sam-

(a) *Vers.* 13. (b) *Vers.* 33.
(c) *Vers.* 39. (d) 1. *Cor.* 12.
(e) *Vers.* 32.

Samsonem &c., quos dicit accepisse *repromissiones* quia isti possederunt terram promissam. In fine autem capitis dicit hos non accepisse *promissionem*, quod cum hoc loco dicat in singulari, videtur denotare aliam quamdam promissionem veluti antonomasticæ talem. At quamnam? Hoc utique potest intelligi primo de Messia, qui illorum tempore nondum advenerat: secundo de consummata gloria corporis & animæ, quam nonnisi in fine mundi cum omnibus aliis Sanctis novi Testamenti acquirent: tertio (juxta sententiam fere communem de dilatione beatitudinis usque ad Christum respectu Sanctorum veteris Testamenti) de consecutione hujus beatitudinis. Quicumque ex his sensibus admittatur, facilis est explicatio verborum, quæ sequuntur: *Deo pro nobis melius &c.* nam semper nos, qui ad novum Testamentum pertinemus, sumus melioris, quam illi, conditionis; illi enim juxta primam Messiam expectare debuerunt, nos non debemus: illis juxta secundam magis est expectanda dies Judicii universalis quam nobis: illis juxta tertiam fuit diu expectanda visio beatifica, nobis non item. Ergo &c.

Ad IV. ℟. *illam diem*, de qua Apostolus, posse sumi primo pro die Judicii universalis, qua omnibus simul & publice retribuetur corona completa: secundo pro die mortis ejusdem Apostoli, qua die non dicitur ibidem retribuenda corona omnibus; illud enim *in illa die* potest referri tantum ad illud *quam reddet mihi Dominus*. Dici etiam posset eadem die omnibus diligentibus Deum, ut Paulus diligebat, esse retribuendam coronam, eadem inquam die sumpta non pro illa individuali die, qua moriturus erat Apostolus, sed sumpta generaliter pro illa die, qua quisque æqualis cum eo meriti est moriturus, quia revera talibus omnibus retribuitur die mortis corona. Sane si ego E. G. dicam: *die mortis maxima urgebor angustia: non solum autem ego sed & omnes alii*, tunc non consideratur dies mortis meæ individualiter, sive non asseritur o-

omnes

mnes passuros angustiam eadem ipsissima die talis anni, mensis, hebdommadæ, qua ego moriar; sed asseritur passuros esse die, qua quilibet morietur? Ita a pari in casu.

Ad V. (*quidquid veniat per altare*, per quod alii intelligunt Christum, quia nonnisi super ipsum, idest ex meritis illius offeruntur hostiæ gratæ Deo: alii intelligunt eundem Christum, quatenus in ipsius humanitate, utpote exemplari futuræ resurrectionis; quiescunt animæ Sanctorum: alii locum proximum Deo: alii alia) ℞. illas animas fuisse beatas; de illis enim dicitur cap. sequenti, quod *erant ante thronum, & in conspectu Agni* & quod datæ sunt singulis stolæ albæ, quibus stolis beatitudo denotatur. Ita S. Gregorius inquiens: (a) *Ante resurrectionem Sancti singulas stolas accipiunt, quia sola animarum beatitudine perfruuntur: in fine autem mundi binas habituri sunt, quia cum mentis beatitudine etiam carnis gloriam possidebunt*. Non autem illæ animæ desiderant vindictam, quatenus vindicta est, seu quatenus est malum hostium suorum, sed tantum ex desiderio glorificationis corporum, quæ habebitur, cum in fine mundi Deus sumet talem vindictam: vel etiam illam desiderant tantum ex amore justitiæ, ut justus Princeps graviter offensus a subdito exigit ab eo pœnam, non quatenus præcise est malum offendentis, sed ex amore justitiæ. Illorum autem desiderio non satisfiet totaliter, nisi completo numero Sanctorum, idest in die judicii juxta superius dicta.

Ad VI. ℞. primo plures per resurrectionem ibi intelligere non resurrectionem corporum a morte temporali, sed animæ a peccato, qua posita explicatione, textus, ut patet, est impertinens ad adversariorum intentum: secundo etsi tex-

---

(a) *Lib.* 35. *Moral. cap.* 9. *ver.* 9.

textus intelligeretur de resurrectione corporum, adstrui necessariam ut mortui præmium accipiant, resurrectionem *non factam*, sed *futuram*. Ex lege enim a Deo statuta nedum anima, sed etiam corpus debet coronari, unde stante tali lege si coronandum tandem non esset corpus, nec anima coronaretur. Et hinc sæpe in Scripturis præmium animæ fit dependens a resurrectione, ut cum Apostolus ait: (a) *Si ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?* Sed aliud est, quod non sit coronanda anima, nisi & corpus tandem coronetur, aliud quod non sit coronanda anima, nisi quando corpus coronabitur: primum importatur per verba adducta, non secundum: Ergo &c. Circa hoc videantur etiam quæ infra dicentur ad testimonium Chrysostomi.

Obj. ex sensu Ecclesiæ. I. hæc in pluribus antiquis Liturgiis precabatur requiem omnibus Sanctis & ipsi Deiparæ: quod idem præstamus modo per illa verba: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo Fidei, & dormiunt in somno pacis . . . Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis & pacis ut indulgeas deprecamur.*

II. Ecclesia existimat nos solum in die finalis Judicii accepturos gloriam; Apostolos enim in hymno ipsorum precatur; ut nobis gloriam impetrent in die judicii: *Ut cum redibit Arbiter in fine Christus sæculi, nos sempiterni gaudii concedat esse compotes*. Ergo &c.

℞. Ad I. Ecclesia Sanctis jam beatis precari gloriam & requiem solum extrinsecam, ut scilicet apud nos in gloria crescant, (quo modo etiam precamur gloriam Deo) & ut requiem obti-

(a) 1. *Cor.* 15.

timeant ab impiis, quatenus hi ab injuriis contra illos deſiſtant. Addi poteſt ſenſum precum pro Beatis oblaturum eſſe, ut eis gratulemur, ut Deo pro ipſorum gloria gratias agamus, ut eorum gloriæ per interceſſionem & imitationem ipſorum evadamus participes. Nec dicas eodem modo Eccleſiam illis precari requiem, ac animabus Purgatorii, quas certum eſt nondum Deo frui; nam etſi pro omnibus eodem modo Eccleſia oret, illa tamen oratio per diſtributionem, ut dicitur, accomodam ad varios fines refertur pro varietate perſonarum, pro quibus funditur, ſicque pro ſanctis jam beatis valet illa oratio ad ſupradictos fines, pro Purgantibus, ut a pœnis liberentur. Audiatur Auguſtinus inquiens: (a) *Cum Sacrificia... pro baptizatis omnibus defunctis offerantur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt, pro non valde malis propitiationes ſunt, pro valde malis etiamſi nulla ſunt adjumenta mortuorum, qualeſcumque vivorum conſolationes ſunt.*

Ad II. ℟. Eccleſiam quidem nobis precari vitam æternam completam in die Judicii, ſed non ita ut exiſtimet ſanctos etiam ante illa incomplete non frui. Et ſane Eccleſia de Martyribus dicit: (b) *Vitam beatam poſſident*, & de Confeſſore: (c) *Æternitatis premio potitur inter Angelos.* Sentit ergo iſtos etiam nunc Deo frui. Ergo &c.

Obj. ex Romanis Pontificibus. Joannes XXII. docuit animabus ſanctorum differri ad diem judicii viſionem beatificam; nam I. teſtantur multi Hiſtorici hoc ipſum propugnaſſe, ipſum edidiſſe libellum, quo hanc ſententiam ex Scriptura & Patribus probabat, ipſum eam publice prædicaſſe, ipſum omni favore proſecutum eos, qui ita ſentiebant, & dure excepiſſe ſentientes cotrarium, nam ex his Thomas Valeſius in carcerem eſt conje-

(a) *Enchir. cap.* 110.
(b) *In Hymn. Martyr.*
(c) *In Hymn. Confeſſ. non Pontif.*

jectus, & Durandus Meldensis Episcopus a Fidei Censoribus in judicium vocatus est.

II. Cum Philippus Galliarum Rex prohibuisset, ne in suo regno hæc sententia traderetur, ipsi restitit Joannes, volens ut traderetur.

III. Narrat Ptolomæus Lucensis (a) Benedictum XII. Joannis successorem in publica concione dixisse: *Sanctos clare videre essentiam Dei contra opinionem prædecessoris sui*. Ergo &c.

℞. Primo generaliter quod, etsi Joannes XXII. fuisset in contraria sententia, nihil tamen contra assertionem, cum Joannes non ut Summus Pontifex, sed ut Doctor privatus eam tradidisset, adeoque posset impune deseri. Sed revera non probatur sufficienter ita sensisse; nam Benedictus XII. ejus successor in libello, quem edidit, *De beata visione*, expresse asserit Joannem adduxisse quidem solum rationes pro dilatione visionis beatificæ, sed tamen frequenter tam privatim, quam publice asseruisse, *quod illa, quæ dicebat circa ista, non dicebat nisi conferendo*. Imo ipse Benedictus narrat (b) Joannem morti proximum vocatis ad se aliquibus Cardinalibus, Prælatis, & publicis Tabellionibus declarasse mentem suam præsentem & præteritam his verbis: *Ecce quod nostram intentionem, quam cum Sancta Ecclesia Catholica circa hæc habemus, & habuimus, serie præsentium, ut sequitur, declaramus. Fatemur siquidem & credimus, quod animæ purgatæ separatæ a corporibus sunt in cælo, cælorum Regno & Paradiso, & cum Christo in consortium Angelorum congregatæ, & vident Deum & divinam essentiam facie ad faciem clare quantum status & conditio animæ separatæ patitur*. Rursus cum Galliarum Rex convocasset Theologos Parisienses, ut

(a) *Ad ann.* 1335. *apud Murat. de Script. Italis Tom.* 11. (b) *Diplom.* Benedictus Deus.

ut illorum audiret mentem circa hanc quæstionem, ipsi responsum dederunt Regi, cujus autographum Parisiis in Conventu Patrum Prædicatorum asservatur, & in quo hæc habentur: *Multorum fide dignorum relatione audivimus, quod quidquid in hac materia sanctitas sua* (Joannes) *dixit, non asserendo, seu opinando protulit, sed solummodo recitando.* Idem habetur in Epistola Universitatis ad Joannem, quæ edita est a Martene (a).

Tandem ipse Joannes de S. Thoma Erfordiensi hæc habet: (b) *Lætentur cæli sursum, qui hunc sanctum gloriosum in se suscipiunt*: & infra: *Cælestis imperii ipse ineffabili throno gaudet*. Et de S. Thoma Aquinate: (c) *Cælum credentibus & humilibus patere a Christo in Cælos ascendente reseratam dudum clausam in se credentibus januam Paradisi: S. Thomam devicto triumphatoque mundo in perpetuas æternitates receptum*. Et de S. Ludovico Tolosano: (d) *Tandem gloriosam resolutus in mortem, qui hic vivus ambulavit in innocentia, in medio domus suæ, ad Deum suum contemplandum in gaudio facie revelata, in sua innocentia est ingressus*. Sed jam ad singula.

Ad I. ergo ℟. Historicos asserentes Joannem fuisse in sententia de dilatione visionis beatificæ, deceptos esse falsis vocibus, quæ circa hoc vulgatæ sunt. Cum enim Joannis tempore multi negarent dilationem visionis beatificæ, ac contenderent sententiam illam asserentem salva fide defendi non posse, ipse quæ pro dilatione stabant in unum congessit relictis rationibus, quæ stabant pro altera, non ut priorem defenderet, sed solum ut ostenderet, etiam pro hac valida esse fun-

---

(a) *Tom.* I. *Thesau. Anecdot.*
(b) *In Bull. Canoniz. ejusd.*
(c) *In Bull. Canoniz. ejusd.*
(d) *In Bull. Canoniz. ejusd.*

fundamenta, adeoque & hanc (cum nondum tunc esset contrarium definitum) salva Fide defendi posse. Ex hoc sparsus est rumor, quod Joannes staret pro dilatione visionis beatificæ, quem rumorem maxime foverunt Joannis inimici (multos enim ipse habuit inimicos) & hoc rumore decepti plures historici Joannem traduxerunt ut asserentem jam dictam dilationem. Favit quidem Joannes pluribus statitibus pro hac sententia, sed remanet probandum ex hoc ipso illis favisse, quia illam defendebant. Thomas Valesius fuit conjectus in carcerem, non quia sententiam contrariam prædicasset; hoc enim permiserat Joannes (a), sed quia minus reverenter in Pontificem locutus fuisset, & assertoribus dilationis visionis maledictionem divinam precatus fuisset, cum tamen hæc sententia posset tunc impune defendi. Durandus pariter non fuit in judicium vocatus ob propugnatam sententiam contrariam, sed ex quo ad illam probandam usus fuisset argumentationibus suspectis.

Ad II. ℟. Joannem voluisse, ut (re nondum ab Ecclesia definita) liberum esset cuicumque circa hanc controversiam defendere quam sententiam ipsi placuisset.

Ad III. ℟. quod, si ita Benedictus est locutus, explicanda sunt illa *contra opinionem prædecessoris sui*, non quam ipse assertive docuit, sed cujus adduxit probationes in suo libello. Dixi, *si ita Benedictus est locutus*, fortasse enim ex falsis vocibus deceptus Ptolomæus hæc scripsit.

Obj. ex Patribus I. S. Hilarius docet, justos solum in die judicii beatos futuros; inquit enim (b): *Judicii dies vel beatitudinis retributio est æterna, vel pœna: tempus vero mortis habet unumquemque suis legibus, dum ad judicium unumquemque aut Abraham reservat, aut pœna.* Cohærenter ad quæ alibi

(a) *Epist. ad Reg. Galliar.* (b) *In Ps.* 2. *n.* 48.

alibi docet justos tempore mortis transituros in sinum Abrahæ, quem collocat in infernis quibusdam receptaculis. *Exeuntes*, inquit (a), *de corpore ad introitum illum Regni cœlestis per custodiam Domini Fideles omnes reservabuntur, in sinu scilicet interim Abrahæ collocati, quo adire impios interjectum chaos inhibet, quousque introeundi rursum in Regnum Cœlorum tempus adveniat:* & rursus (b): *Humanæ ista lex necessitatis est, ut consepultis corporibus ad Inferos animæ descendant: quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit.* In hoc autem loco dicit animas non videre Deum, sed hanc visionem desiderare: *Hoc animæ*, inquit (c) *desiderium, hæc sitis spei ejus est, ut Dei sibi proveniat aspectus, ut quamprimum raptus in nubibus Deo Christo obviam elevatus appareat.* Animas porro ibi constitutas dicit constitutas in Regno Christi, a quo ad Regnum Patris transferentur, & tunc incipient videre Deum: *Justi*, inquit (d), *per hoc Sancte Jerusalem Regnum beatum, æterno Regno proximi, post Regnum Domini Jesu Christi, in Regnum Dei Patris, Domino congregante transibunt.* Et tandem (e): *Tradet Christus Deo Patri Regnum, & tunc quos Regnum Deo tradiderit, Deum videbunt.*

II. Chrysostomus docet animam non coronari sine corpore, adeoque ante diem judicii, quo fiet corporum resurrectio: *Si maneat*, inquit (f) *anima & millies sit immortalis, sicut est revera, absque carne non accipiet bona illa ineffabilia, sicut nec punietur . . . Si enim non resurgit corpus, incoronata manet anima extra illam beatitudinem, quæ est in Cœlis*; docet omnes simul justos esse

(a) *In Psalm.* 120. *n.* 16. (b) *In Ps.* 138. *n.* 22.
(c) *In Psalm.* 62. *n.* 3. (d) *In Psalm.* 148. *n.* 8.
(e) *Lib.* II. *de Trin. n.* 39.
(f) *Homil.* 39. *in* I. *ad Corint.*

coronandos, adeoque tantum in fine mundi: *Cogitate*, inquit (a), *vos quoque, quid & quantum sit sedere Abraham & Paulum Apostolum expectantes, quando tu fueris consumatus, ut tunc possint accipere mercedem; nam nisi quoque adfuerimus, prædixit eis servator se non daturum. Sicut si Pater benevolus dicat probis Filiis, & qui opus confecerunt, se non daturum quod edant, nisi venerint eorum fratres . . . Ne viderentur* (antiqui sancti) *esse melioris, quam nos, conditionis, si primi coronarentur, definivit omnibus unum tempus coronarum:* docet animas justorum post mortem ferri in sinum Abrahæ: *Misericordia*, inquit (b), *non sinit nos illo incidere, quo dives ille, neque audire tremendas voces, sed deducit in sinum Abrahæ.*

III. S. Ambrosius docet animabus justorum, dum e corporibus solvuntur, quædam habitacula esse præparata, quæ appellat *promptuaria*, in quibus usque ad diem judicii expectant remunerationem: *Scriptura*, inquit (c) *habitacula illa animarum promptuaria nuncupavit, quæ occurrens querelæ humanæ, eo quod justi, qui præcesserunt, videantur usque ad judicii diem per plurimum scilicet temporis debita sibi remuneratione fraudari; mirabiliter ait: Coronæ esse similem illum judicii diem . . . Ergo dum expectatur plenitudo temporis, expectant animæ remunerationem debitam:* & postea addit septem gradus lætitiæ animarum sanctarum, quorum nullum repetit a visione beatifica, imo hanc videtur excludere, dum loquens de quarto gradu ait: *Sanctos incipere intelligere requiem suam, & futuram sui gloriam prævidere:* & loquens de septimo ait: *Sanctos sine trepidatione lætari festinantes videre vultum Dei*. Tandem alibi (d) *Solvitur*, inquit, *corpore anima, & post*

(a) *Homil.* 28. *in epist. ad Hebr.*
(b) *Homil.* 52. *in Matt. al.* 53.
(c) *De bono Mortis cap.* 10.
(d) *Lib.* 2. *de Cain & Abel cap.* 2.

post finem vitæ hujus, adhuc tamen futuri ambiguo suspenditur: quod cum visione beatifica componi non potest.

IV. S. Augustinus præterquamquod, ut alii Patres supra adducti, assignat pro loco animarum sanctarum usque ad diem judicii secreta receptacula; inquit enim (a): *Pars* (Civitatis Dei,) *quæ conjungenda immortalibus Angelis ex mortalibus hominibus congregatur, & nunc mortaliter peregrinatur in terris, vel in eis, qui mortem obierunt, secretis animarum receptaculis sedibusque requiescit*, docet insuper visionem Dei Sanctis reservari in die judicii: *Illa*, inquit, (b) *visio facie ad faciem liberatis in resurrectione servatur*. Et cum in fine vitæ scripsit libros Retractationum, anceps videtur fuisse circa hoc; inquit enim (c): *Quinam sint illi beatissimi, qui jam sunt in ea possessione, quo ducit hac via, magna quæstio est. Et Angeli quidem sancti quod ibi sint, nulla quæstio est: sed de sanctis hominibus jam defunctis, utrum ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere, merito quæritur; jam enim corpore quidem corruptibili, quo anima aggravatur, exuti sunt, sed adhuc expectant etiam ipsi redemptionem corporis sui, & caro eorum requiescit in spe, nondum in futura incorruptione clarescit. Sed utrum ad contemplandam cordis oculis veritatem, sicut dictum est facie ad faciem, nihil ex hoc minus habeant, non hic locus est disputando inquirere*.

V. S. Bernardus docet animas Sanctorum interim esse sub altari (quo nomine intelligit humanitatem Christi,) ibique lætari quidem, sed non plene expectantes introire in requiem æternam, & super altare collocari, quod ipse explicat pro con-

(a) *Lib.* 12. *de Civit. Dei cap.* 9.
(b) *In Psalm.* 43.
(c) *Lib.* 1. *Retract. cap.* 14.

secutione visionis Dei. En ejus verba (a): *Consummato militiæ tempore gaudium habent Sancti etiam in spiritu suo, donec adveniat dies illa, qua introire mereantur in gaudium* Domini *sui . . . Interim quippe sub altari eos esse & non supra, ipse nos doceat, ... qui, ut scripsit in Apocalypsi, sub altari ipso eorum etiam voces audivit. Adhuc ergo signatum est super eos lumen vultus* Domini, *& licet non plenam, habent tamen lætitiam multam in corde suo, donec veniat dies illa, qua implebit eos lætitia cum vultu suo. Interim convertantur animæ illæ in requiem suam, donec veniat dies, qua introire mereantur in requiem* Domini: & alibi (b): *Altare, de quo nobis habendus est sermo, nihil aliud arbitror esse, quam corpus ipsum* Domini *Salvatoris . . . Interim ergo sub Christi humanitate feliciter Sancti quiescunt . . . . donec veniat tempus, quando jam non sub altari collocentur, sed exaltentur super altare. Sed quid dixi? Nunquid humanitatis Christi gloriam non dicam hominum, sed vel Angelorum assequi poterit quis, nedum superare? Quonam igitur modo super altare dixerim exaltandos eos, qui nunc sub altari quiescunt? Visione utique & contemplatione, non prælatione. Ostendet enim nobis Filius semetipsum non in forma servi, sed in forma Dei: ostendet nobis Patrem & Spiritum Sanctum.* Quod vero super hoc altare sint collocandæ adeoque donandæ visione Dei solum in die judicii, docet Bernardus dum, postquam distinxit (c) tres animarum status, primum in corpore, secundum sine corpore, tertium in beatitudine consummata, & primum constituit in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in domo Dei, subdit: *Jam multi ex nobis in atriis stent expectantes donec reci-*

piant

(a) *Serm. 2. in Fest. omn. Sanct.*
(b) *Serm. 4. in Fest. omn. Sanct.*
(c) *Serm. 3. in idem Fest.*

piant corpora sua, donec impleatur numerus fratrum; in illam enim beatissimam domum nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis, idest nec Sancti sine plebe, nec spiritus sine carne. Neque enim præstari decet integram beatitudinem, donec sit homo integer, cui detur, nec perfectione donari Ecclesiam imperfectam. Alibi docet animas sine corpore esse maculatas aliqua ruga, consequenter visionis beatificæ incapaces, quæ omnem maculam excludit. *Adeo*, inquit S. Doctor (a) alloquens corpus, *viget in eis desiderium hoc naturale* (reunionis cum corpore,) *ut nedum tota eorum affectio libere pergat in Deum, sed contrahatur quodammodo, ut rugam faciat, dum inclinantur desiderio tui*. Et tandem docet animas sanctas non inebriandas voluptate proveniente a visione Dei nisi post resurrectionem. *Corpore*, inquit (b), *exuti & in Cœlum translati jam bibere dicuntur eadem, quæ prius comederant . . . sed inebriari non possunt, quoniam a perfectissima contemplatione divinitatis quodammodo retardantur, dum adhuc resurrectionem sui corporis in fine sæculi præstolantur; qua facta ita corpus menti, & Deo mens inhærebit, ut jam deinceps nihil sit, quo ab interna ebrietate contemplationis revocari possit*. Ergo &c.

Ad I. ℟. Priora verba Hilarii ab aliquibus explicari de judicio universali, quo completa fiet retributio vel præmii, vel pœnæ tum quoad animam, tum quoad corpus: quod non tollit, ne antecedenter facta fuerit quoad animam solam. Hæc autem retributio fortasse fuit existimata a S. Hilario imperfecta ob appetitum, quem habet anima reunionis cum corpore, ut senserunt alii etiam PP. inter quos Augustinus inquiens (c): *Quo appetitu retardatur quodammodo anima, ne tota intentione*

(a) *Ibid.*
(b) *Serm.* 87. *de diversis ol.* 52. *inter parvos*
(c) *Lib.* 12. *de Genes. ad litt. cap.* 35.

ne pergat in illud summum Cœlum, quamdiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat: ideoque aliqui Theologi apud Bellarminum putarunt, reassumptis corporibus augendam etiam intensive beatitudinem Sanctorum essentialem. Potuit ergo S. Hilarius hanc tantum beatitudinem consummatam simpliciter, & veluti antonomastice appellare *beatitudinem*, & consequenter asserere in die universalis judicii faciendam retributionem beatitudinis. Ab aliis vero explicatur Hilarius de judicio particulari, quo eadem retributio quoad animam fiet. Sane Hilarium non putasse differri ad ultimum judicium præmium, aut pœnam patet ex verbis immediate antecedentibus; dixerat enim: *In brevi exardescit ira; excipit enim nos statim ultor Infernus, & decedentes de corpore, si ita vixerimus, confestim de via recta perimus. Testes nobis evangelicus dives & pauper, quorum unum Angeli in sedibus Beatorum & in Abraha sinu locaverunt, alium statim pœnæ regio suscepit. Adeo autem statim pœna mortuum excepit, ut etiam fratres ejus adhuc in supernis manerent. Nihil illic dilationis aut mora est*: & statim subdit: *Judicii enim dies vel beatitudinis &c.*

Loco sequenti per *sinum Abrahæ* intelligit S. Doctor locum, quo animæ Sanctorum detinentur usque ad diem judicii, quemque fortasse putabat non esse Cœlum, ut putarunt alii antiqui, non ideo tamen has animas excludentes a visione Dei, quæ potest haberi etiam extra Cœlum. Nisi dicere velimus S. Hilarium per *sinum Abrahæ* non locum aliquem extra Cœlum, sed tantum protectionem & custodiam Dei significare, ut plures putant. Sane S. Doctor alibi expresse docet animas Sanctorum in morte conjungi Christo, ut dum inquit (a): *Christi consortium mors acquirit*: & alibi (b): *Cum Pater velit credentes in Filio vitam æternam habere*,

(b) *In Psalm.* 119. *n.* 1.
(b) *Lib.* 9. *de Trin. n.* 50.

bere, Filius vult illic, ubi ipse sit, esse credentes. Cum igitur in Cœlis Christus sit, Cœlum pariter statim a morte ex mente S. Hilarii scandent animæ Sanctorum. Ubi etiam notandum est illud *rursus*, quod supponit animas istas, dum peracto judicio evehentur ad Paradisum, non primo illum ingredi, sed etiam antea fuisse ingressas.

Quod vero putet S. Hilarius omnes exemplo Christi in morte descendere ad Inferos, mirum non est; hæc enim fuit peculiaris opinio aliquorum antiquorum, nunquam tamen ab Ecclesia acceptata, quæ potest stare cum visione Dei his animabus concessa, ut patet exemplo Christi videntis certo Deum etiam cum ad Inferos descendit.

Alter locus communius explicatur de desiderio, quod habent animæ separatæ videndi Deum unitæ denuo corporibus in finali resurrectione, quod non impedit, ne etiam antea viderint. Sed litteralius explicandus videtur de desiderio, quod habent animæ sanctæ in hoc mundo degentes, videndi Deum; de animabus enim viatricibus loquitur S. Doctor.

Postrema loca ut explicentur, videndum quid ille intelligat nomine *Regni Christi* & *Dei*. Per Regnum ergo Christi ipse duo intelligit: primo quod per Christum nos simus perfecte domini nostrorum: *Christus*, inquit (a), *regnat in nobis, cum per eum ipsi dominorum in nos jure regnamus*: secundo quod uniti simus humanitati ipsius, atque in corpore ipsius glorioso certam expectationem habeamus glorificationis corporis nostri; explicans enim illud Psalmi: *Quis requiescet in monte sancto tuo?* ait (b): *Quid sublimius Christo, quidve excelsius Deo nostro? Mons autem ejus est illud, quod ex homine corpus assumpsit, in quo nunc habitat & sublimis & excelsus super omnem principatum & potestatem, & omne nomen ..... Si*

M 4 *ergo*

(a) *In Psalm.* 2. *n.* 4.
(b) *In Psalm.* 14. *n.* 5.

ergo requiei nostræ spes omnis est in Christi corpore, & cum in monte sit quiescendum, montem non aliud possumus intelligere, quam corpus, quod suscepit ex nobis .... Ad illud enim post habitationem Ecclesiæ scanditur, in illo in Domini sublimitate requiescitur, in illo cum Angelorum choris, cum & nos simus Dei *Civitas, sociabimur*. Regnum autem Dei ita ipse definit (a): *Regnum Dei est ubi peccatum vincitur, ubi mors perimitur, ubi non regnat hostis*, quod habebitur in resurrectione gloriosa juxta eundem Hilarium paulo post subjicientem: *Hoc nobis erit Regnum Dei, cum, omnibus vitiorum nostrorum aculeis contusis, labes erit corporeæ infirmitatis absorpta*. Hoc posito en sensus S. Hilarii: animæ sanctorum usque ad diem judicii sunt in Regno Christi, tum quia non sentientes amplius rebellionem partis inferioris contra superiorem perfectum habent in se ipsas dominium; tum quia unitæ sunt Christo, & in gloria corporis ipsius pignus habent certissimum futuræ gloriosæ resurrectionis corporum, quæ informarunt. In die autem judicii tradet Christus Deo Patri Regnum, quia Sanctos suos donabit etiam immortalitate & gloria corporum. *Tradet*, inquit (b), *Regnum Deo Patri, non ita tanquam tradens potestate concedat, sed quod nos conformes gloriæ corporis sui facti Regnum Dei erimus*. Ex quo autem dicat nos visuros Deum, cum in corpore glorificabimur, non sequitur antea non visuros, ut cum alibi dicit (c): Christum tunc sæculo dominaturum, *cum evacuaverit omnem principatum*, scilicet in fine mundi, non sequitur eum antea dominatum non fuisse. Ut ergo in hoc secundo casu Christus dicitur tunc dominaturus, quia peculiari modo incipiet tunc dominari, ita Sancti dicuntur tunc visuri Deum, quia peculiari modo incipient tunc vide-

(a) *In Psalm.* 2 *n.* 42
(b) *Lib.* 11. *de Trin. n.* 39.
(c) *In Psalm.* 65. *n.* 13.

videre, ſcilicet perfecte beatificati tum in anima, tum in corpore.

Cæterum S. Hilarium non excludere a Regno Chriſti viſionem beatam patet, ex quo illud Regnum appellet (a) *ſedem Beatorum*, *Terram viventium*, *Paradiſi incolatum*, *ſanctæ Jeruſalem Regnum beatum &c.* Ergo &c.

Ad II. ℟. Chryſoſtomum primo loco non contendere ſimul tempore futuram tum animæ, tum corporis beatitudinem, ſed ſolum quod, ſicut Deus ſtatuit utrumque coronare, data hypotheſi quod non eſſet coronandum corpus (ut accideret, ſi non reſurgeret,) nec coronaretur anima, ut ſupra notavi in reſponſione ad ſextam objectionem ex Scriptura; totus enim eſt ibidem S. Doctor in adſtruenda corporum reſurrectione, & hanc probat ex quo ſtante lege Dei ſit non ſolum coronanda anima, ſed etiam corpus, unde ſi irritaretur hæc lex quoad corpus, irritaretur etiam quoad animam, quod cum non ſit dicendum, nec dicendum eſt primum. Et ſane argumentum, quod ibidem efformat, ſimile eſt alteri, quod eodem loco deducit ex verbis Apoſtoli (b); *Si reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit;* ut enim hic non eſt idem aſſerere: *Non reſurrexit Chriſtus, niſi & alii mortui reſurgant*, ac: *Reſurrectio Chriſti debet eſſe eodem tempore, quo aliorum mortuorum reſurrectio;* ita in caſu. Rurſus eodem modo ibi S. Doctor ratiocinatur de juſtis, ac de peccatoribus. Atqui hos ſentit non puniendos ſolum die judicii; ſed puniri etiam nunc, ut patet ex poſtremo loco in objectione adducto. Ergo &c. Altero loco loquitur S. Doctor de mercede perfecta & conſummata, quæ nonniſi in fine mundi omnibus ſimul Sanctis tribuetur. Ad locum poſtremum valeat reſponſio ſupra allata ad ſimilem S. Hilarii.

M 5 Cæte-

(a(*In Pſalm.* 2. 141. 148.
(b) 1. *Cor.* 15.

Cæterum Chrysostomum non putasse differri justis ad judicii diem retributionem, patet ex quo alibi de S. Paulo ait (a): *Quia multum erga Christum amorem exhibuit, Cœlos transcendit & cum Angelis constitutus est*: & de justis (b): *Justi sive hic, sive ibi cum Rege sunt: atque ibi quidem multo magis ac propius, non per speciem, non per Fidem, sed facie, inquit, ad faciem*.

Ad III. ℟. S. Ambrosium per illa *promptuaria* intelligere quidem secreta receptacula subterranea relate ad animas justorum, quæ è corporibus ante Christum discesserunt, & de quibus loquitur liber 4. Esdræ, quem ibi adducit: sed relate ad animas sic post Christum descendentes intelligere mansiones in Cœlis: inquit enim: (c) *Hæ sunt habitationes, de quibus dicit* Dominus, *multas mansiones esse apud Patrem suum*. Sane nullus de mente S. Doctoris circa hoc relinquitur dubitandi locus, si advertatur illum alibi asserere animas sanctorum jam esse in Cœlo: de SS. enim Gervasio, & Protasio ait: (d) *Quorum anima in Cœlo, corpus in terra*; & de Acholio: (e) *Acholius superiorum incola, possessor Civitatis aeternæ illius Jerusalem, quæ in Cœlo est, videt illic urbis ejus mensuram immensam, purum aurum, lapidem pretiosum, lumen sine sole perpetuum, & hæc omnia jamdudum sibi comperta, sed nunc facie ad faciem*: & de S. Petro: (f) *Unde evocem te Petre?... De Cœlo, ubi jam choro insertus es Angelorum*. Ideo autem dicit has animas usque ad diem judicii fraudari retributione, illamque expectare, quia solum illa die obtinebunt perfectam gloriam etiam corporibus respondentem.

Fal-

(a) *Homil.* 32. *in epist. ad Rom.*
(b) *Homil.* 3. *in epist. ad Philip.*
(c) *De bono Mort. cap.* 10.
(d) *Ep.* 54 *lib.* 7. *ep.* (e) *ep.* 22. *lib.* 3. *epist.*
(f) *Lib.* 11. *in Luc. cap.* 22.

Falsum porro est inter illos septem gradus lætitiæ non enumerare illam, quæ provenit ex visione Dei; loquens enim de quinto gradu ait: *Quintus ordo exultationis uberrimæ habet suavitatem, quod ex hoc corruptibilis corporis carcere in lucem libertatemque pervenerint, & repromissam sibi possideant hæreditatem:* rursus: (a) *Hanc remunerationem habent, ut videant faciem Dei.* Dicit autem has animas *prævidere suam futuram gloriam*, hoc intelligendo de gloria consummata etiam corporis, *ac festinare videre vultum Dei*, hoc intelligendo de visione itidem completa corporibus reassumptis. Tandem quod subditur explicatur de ambiguitate relate ad tempus ultimi Judicii, quod vel ipsos Beatos latet juxta illud: (b) *De die autem illa vel hora nemo scit neque Angeli Cœlorum.*

Ad IV. ℟. Augustinum ancipitem solum fuisse circa locum, in quo usque ad diem judicii asservantur animæ Sanctorum, ut supra dixi evenisse aliis quoque Patribus; de bono enim Latrone inquit: (c) *Anima illius Latronis . . . præstitit . . . aut requiem sinus Abrahæ ... aut Paradisum, sive in tertio Cœlo: Si tamen non aliquid unum est diversis nominibus appellatum, ubi sunt animæ Beatorum;* & alibi: (d) *Nunc vivit Nebridius in sinu Abrahæ, quidquid illud est, quod illo significatur sinu ... bibit quantum potest sapientiam pro aviditate sua sine fine felix.* Alibi etiam (e) sinum Abrahæ ita explicat: *Sinus Abrahæ intelligitur secretum Patris, quo post passionem resurgens assumptus est Dominus . . . ubi etiam ante resurrectionem justorum animæ vivunt cum Deo.* Sed non dubitasse S. Doctorem, quod

(a) *Eodem cap.* 11. *de bono Mortis.*
(b) *Matt.* 24.
(c) *Lib.* 12. *de Genes. cap.* 34.
(d) *Lib.* 9. *Confess. cap.* 3.
(e) *Lib.* 2. *Evangel. quæst. quæstione* 38.

quod in eo loco animæ istæ videant Deum, patet tum ex modo adductis locis, ubi illas vocat *beatas, felices, & assumptas ad locum, ubi Christus assumptus est*, tum ex quo alibi de Martyribus loquens ait: (a) *Quamvis cum suis corporibus nondum, jam tamen eorum animæ regnant cum illo:* & loquens de loco, in quo sunt omnes boni, inquit: (b) *Ibi omnes Sancti & justi, qui fruuntur verbo Dei sine lectione, sine literis; quod enim per paginas scriptum est nobis, per faciem Dei illic cernunt.*

Cum autem dicit visionem Dei Sanctis reservari in die judicii, vel loquitur de tota simul collectione Sanctorum, quæ tota simul tunc solum admittetur ad hanc visionem, vel, si loquatur de singulis animabus, est intelligendus de visione expedita & perfecta, quam non retardet appetitus ad reunionem cum corpore proportionaliter ad supra notata circa S. Hilarium. Loco sequenti tantum innuit, sibi non fuisse visum tunc locum opportunum agitandi quæstionem, utrum Sancti etiam nunc videant Deum. Sed aliud est ab hac quæstione aliquando præscindere, aliud stare pro parte negante.

Ubi etiam noto S. Doctorem aliquando, scilicet ante Episcopatum fuisse, ut ipse testatur (c) in errore Millenariorum, qui docebant Sanctos non regnaturos cum Christo in Cœlis, nisi post regnum terrenum mille annorum habendum in terris: de quo errore alibi. Interim notasse hæc præstat, ne explicanda putentur quæ ex ipso adducuntur contra nostram sententiam scripta ante Episcopatum; concedendum est enim ipsum revera contra illam tunc stetisse, quamvis hæc postea retractaverit retractata priore sententia.

Ad

(a) *Lib.* 20. *de Civit. Dei cap.* 9.
(b) *In Psalm.* 119. *n.* 6.
(c) *Lib.* 20. *de Civit. Dei cap.* 7.

Ad V. ℟. S. Bernardum eo sensu asserere animas Sanctorum esse modo *sub altari*, idest in corpore Christi, quo sensu supra dixi ab Hilario intelligi illas esse *in Regno Christi*. Dicit autem ibi *non plene lætari*, idest retardari quodammodo a plena lætitia, ob appetitum ad unionem cum corpore: *expectantes introire in requiem æternam, & collocari super altare*, idest expectare quietem a dicto appetitu habendam per reassumptionem corporum, qua etiam corpori glorioso Christi (per hanc gloriam non amplius in forma servi, sed in forma Dei apparentis) mediante corpore reassumpto conformatæ super altare collocabuntur: & *expectare visionem Dei*, idest visionem perfectam & completam absque ullo appetitu eas retardante, proportionaliter ad supra dicta.

Ut ita explicetur Bernardus, facit primo, quod ipse allatis in objectione sermonibus duas aperte distinguit beatitudines, incompletam unam, quæ habetur nunc, completam alteram, quæ habebitur postea: *Consummato*, inquit ipse, (a) *militiæ tempore gaudium habent Sancti in spiritu suo, donec adveniat dies illa, qua introire mereantur in gaudium Domini sui, gaudium habituri & in corpore suo . . . & licèt non plenam, habent tamen lætitiam multam*: rursus: *Est ergo multitudo dulcedinis, quæ abscondita est, magna quidem & magna valde, necdum tamen perfecta*: & postea: *Ad requiem exutæ a corporibus animæ sanctæ protinus admittuntur, ad plenam autem gloriam regni non ita*: secundo quod ipse alibi expresse Sanctis concedit etiam nunc visionem Dei. *Hoc jam tertio*, inquit ipse (b), *hauriunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, & nudis, ut ita dicam, oculis divinitatis intuentur essentiam*; & alibi de S. Victore: *Jam Cœlos ingressus .....*, inquit, (c) *vere nunc revelata facie speculatur gloriam Dei*.

Ani-

(a) *Serm. 2. citato*.
(b) *Serm. 20. de diversis, qui est 2. de verb. Apost.* (c) *Serm. 2. de s. Victore*.

Animas porro Sanctorum ante resurrectionem constituit Bernardus *in atriis*, quia nondum beatitudine completa donatæ sunt, & , ut inquit ipse, unica stola vestiuntur, duplici vestiendæ in resurrectione: *Acceperunt jam*, (sunt ejus verba (a). *singuli stolas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos .... Stola enim prima ipsa est felicitas, & requies animarum, secunda vero immortalitas & gloria corporum*.

Rursus *macula* istarum animarum per Bernardum nihil est aliud, quam appetitus ad reunionem cum corpore, qui juxta ipsum illas impedit, ne toto conatu in Deum ferantur, ut supra circa mentem SS. Hilarii & Augustini notavi. Sed hæc non impedit illarum beatitudinem. Ex his patet quid velit S. Doctor, cum asserit has animas non inebriandas contemplatione Dei nisi post diem judicii,

Obj. ex ratione. I. Christus, qui est exemplar nostræ glorificationis, licet omnino immunis ab omni tum culpæ tum pœnæ reatu, non statim a morte ascendit ad Cœlum. Ergo neque ad illud statim post mortem debent ascendere electi, quamvis ita immunes.

II. Si anima admitteretur ad visionem Dei absque corpore, semper esset inquieta, cum semper in ea haberetur appetitus nondum satiatus ad unionem cum corgore.

III. Absurdum est admittere in patria aliquid incompletum, qualis esset anima sine corpore. Ergo &c.

℟. ad I. quod si deberet stare rigorosa similitudo inter Christum & Sanctos. deberent isti ante judicii diem in Cœlum ascendere, cum Christus ita ascenderit. Directe dico Christum, licet quoad humanitatem esset extra Empyreum, visione tamen Dei intuitiva fruitum esse, qua Sancti ordinarie non fruuntur nisi in Empyreo.

Ad

(a) *Serm. 3. in festo omnium Sanct.*

Ad II. ℟: posse stare aliquod desiderium cum beatitudine, quod patet exemplo Christi desiderantis salutem omnium hominum, nec tamen obtinentis. Ergo a pari, vel potius a fortiori in casu, cum animæ sciant esse tandem propria desideria complenda.

Ad III. ℟. esse quidem absurdum, quod aliquid sit incompletum in eo statu, in quo debet beatificari, non autem quod sit incompletum in alio statu. Anima autem, quamvis sine corpore sit incompleta in esse hominis, in quo non debet beatificari nisi post ultimi judicii diem, est tamen completa in esse animæ, in quo ante illum diem ex probatis debet beatificari. Ergo &c.

CAPUT TERTIUM.

De antecedentibus & consequentibus visionem beatificam.

NOmine *antecedentium* hic intelligo principia producentia visionem beatificam, nomine *consequentium* ejusdem effectus. Primo ergo de antecedentibus, mox de consequentibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Principia productiva visionis alia sunt remota, alia proxima. Priora sunt, quæ producunt visionem, sed non immediate, ut E. G. merita Christi, habitus supernaturales virtutum, & de his alibi: alia sunt, quæ immediate concurrunt, & de his modo.

Sicuti ego ad cognoscendum objectum tria requiruntur, potentia cognoscitiva, auxilium, quo ipsa potentia adjuvetur ad cognoscendum, & objectum ipsum; ita hæc tria requiruntur in cognitione seu visione Dei.

Potentia cognoscitiva est intellectus, qui active concurrit ad hanc visionem; licet enim hæc sit supernaturalis, potest tamen intellectus ad illam active concurrere, ut concurrit ad actus supernaturales Fidei.

Auxilium, quo intellectus adjuvatur, dicitur a Theologis *lumen gloriæ*. Illius existentiam & necessitatem fatentur omnes: existentiam quidem; nam hæc colligitur ex Scripturis, ut (a): *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen* (& quamvis primarius sensus hujus loci sit nos visuros Deum in Verbo, communius tamen Patres illum interpretantur etiam de lumine gloriæ): necessitatem autem; nam hanc definivit Viennense supra relatum. Præterea cum intellectus ex se incapax sit Deum intuendi, debet proinde ad hoc peculiari Dei auxilio elevari, quod, ut dixi, vocatur lumen gloriæ. Rursus ad cognitionem Dei naturalem requiritur auxilium Dei tali cognitioni proportionatum, quod est lumen rationis: ad cognitionem Dei per Fidem requiritur auxilium Dei proportionatum cognitioni per Fidem, quod est habitus Fidei. Ergo ad cognitionem Dei intuitivam requiritur auxilium tali cognitioni proportionatum, quod est lumen gloriæ.

Probabilius hoc lumen est aliquid habituale ac permanens, quam actuale & transiens; nam Beatus non transeunter solum, sed etiam permanenter videbit Deum. Probabilius ergo ad hoc adjuvatur per auxilium permanens & habituale. Rursus pro eliciendis actibus virtutum supernaturalium, qui non sunt assidue exercendi, infundit Deus auxilia permanentia, scilicet illarum habitus. Ergo a fortiori ad eliciendam visionem beatificam, cujus actus nunquam cessabunt, auxilium debet suppeditari permanens & habituale.

Hoc lumen se tenet ex parte potentiæ intellectivæ, non ex parte objecti. Pro intelligentia noto, quædam, ut objectum cognoscatur, requiri ex parte objecti, quædam ex parte potentiæ cognoscitivæ. Ex parte objecti requiritur & quod sit cognoscibile, & quod debito modo applicetur potentiæ

(a) *Psalm.* 35.

cognoscitivæ : ex parte potentiæ requiritur vis objectum cognoscendi : quomodo ut objectum oculo corporeo videatur, requiritur & quod sit visibile, & quod sit debito modo applicatum potentiæ visivæ, (quæ duo se tenent ex parte objecti) & quod oculus habeat in se vim corpus videndi (quod se tenet ex parte potentiæ). Unde si corpus in se non sit visibile, ut est aer, vel non sit debito modo oculo applicatum, ut si inter illud & oculum esset aliquid opacum, tunc deficit aliquid ad visionem, sed aliquid, ut patet, se tenens ex parte objecti. E contra si & corpus sit visibile, & sufficienter præsens oculo, sed hic vel sit vitiatus, ut in cœco, vel infirmæ aciei ut in nobis respectu solis, aliquid tunc deficit ex parte potentiæ. Ita proportionaliter in casu.

Quamvis ergo ut intellectus videat Deum, requiratur & quod Deus sit visibilis, & quod debito modo sese offerat eidem intellectui, quæ duo se tenent ex parte objecti, aliud tamen requiritur ex parte intellectus, nimirum ut sit confortatus ad videndum ipsum Deum, qui magis superat aciem intellectus creati, quam aciem superet visus corporei Sol. Cum autem quod intellectum sic confortat sit lumen gloriæ, idcirco dicitur lumen istud se tenere ex parte potentiæ.

Hinc ita se habet lumen gloriæ ad visionem Dei, ut E. G. habitus Fidei ad actum ejusdem Fidei. Sicuti ergo ad hunc concurrit ex parte potentiæ habitus elevans intellectum ad credendum (non enim sufficiunt quæ se tenent ex parte objecti, puta illius manifestatio per revelationem, sed posita hac manifestatione requiritur aliquid elevans intellectum ad credendum), ita ad visionem beatificam concurrit lumen gloriæ ex parte potentiæ, scilicet intellectus.

Non ergo ita se habet lumen corporeum ad visionem corpoream, ac lumen gloriæ ad visionem intuitivam; hoc enim, ut dixi, se tenet ex parte potentiæ, quam perficit, illud penes objectum, quod reddit visibile.

Obje-

Objectum visionis beatificæ est ipse Deus. Sed quomodonam se offert Deus videndum Beatis? per se, an per speciem aliquam sui ad se distinctam?

Pro solutione adverto, ut objectum percipiatur, requiri, ut sit intime præsens intellectui percipienti vel per se, vel per speciem sui, idest per quandam similitudinem, quæ ipsius gerat vices. Hæc autem similitudo dicitur *species impressa* seu *intentionalis* seu *intelligibilis*, ut imago objecti, quam intellectus efformat cum ipsum concipit, dicitur ipsius *species expressa* seu *verbum mentis*. Exemplo res declaratur. Si ego volens in charta imprimere imaginem Deiparæ adhibeam typum, in quo hæc imago est exculpta, imago in typo contenta est veluti species impressa, imago vero, quæ per typum in charta producitur, est veluti species expressa.

Species autem impressa non est confundenda cum lumine gloriæ; nam hoc, ut supra dixi, se tenet ex parte potentiæ, illa autem ex parte objecti. Ita enim, si daretur, se haberet species impressa & lumen gloriæ ad visionem Dei, ut revelatio mysterii & habitus Fidei ad actum Fidei. Sicuti ergo revelatio mysterii est quid distinctum ab habitu Fidei, ita a pari in casu.

Dicunt porro fere communiter Theologi Deum sine ulla specie impressa videri a Beatis; nam hæc est inutilis, cum ipsius munus sit supplere vices objecti non intime præsentis intellectui qualis non est Deus in casu.

Communius tamen docent Deum videri per speciem expressam. Et probant I. ex Augustino, qui inquit: (a) *Cum Deum novimus .... fit aliqua Dei similitudo illa notitia, tamen inferior est, quia in inferiore natura est, creatura quippe animus, creator autem Deus*: II. ratione. Nam in omni

(a) *Lib. 9. de Trin. Cap.* 11.

omni intellectione datur species expressa seu verbum mentis, qua in mente veluti pingimus objectum intellectum, ut per actionem externam pingendi exaratur in tela imago objecti depicti. Ergo &c.

Contra hoc tamen postremum obj. I. Hæc species expressa non est necessaria, cum Deus sit intellectui Beatorum intime præsens.

II. Si daretur hæc species, jam Deus non videretur in se, cum videretur in hac specie, quæ Deus non est. Sed

Ad I. ℟. speciem expressam non admitti ut necessariam ad supplendas vices objecti absentis; hoc enim est munus speciei impressæ, sed solum ut connaturalior consueto modo intelligendi. Quod autem species expressa non sit rejicienda, ex quo objectum sit præsens, patet exemplo Patris in divinis, cui sane est præsens divina essentia, & tam præsens, quam est sibi præsens ipsemet, & tamen eam intelligendo efformat speciem expressam, sive ideam & imaginem ipsius essentiæ, quæ imago est ipsum verbum.

Ad II. ℟. Deum in casu videndum in se; ut enim objectum in se videatur, non requiritur, ut nulla ipsius efformetur idea, sed solum ut hæc causetur ab objecto præsente qua præsente. Hoc patet exemplo visionis corporeæ; cum enim in hac imago rei visæ depingatur in fundo oculi, jam si imago hæc producatur ab objecto præsente qua præsente, dicetur videri objectum in se. A pari ergo si imago rei intellectæ causetur in intellectu ab ipsa re ut præsente, habebitur intellectio rei præsentis & in se.

Beati Deum videndo vident primo divinam essentiam & attributa; hæc enim tandem sunt ipse Deus: quod tamen relate ad illa attributa, quæ dicunt ordinem ad creaturas, ut est omnipotentia, providentia &c., est intelligendum, ut hæc Beati videant quoad illorum entitatem, non tamen, saltem totaliter, quoad omnes distinctos terminos, ad quos possunt referri: secundo divinas Personas; nam hæ habent necessariam connexionem

nem, cum divina essentia: quod etiam docet Florentinum inquiens, (a) *Beatos intueri Deum unum & trinum:* & Augustinus, qui hæc habet: (b) *In visione Patris & Filii visio est*, & *in visione Filii & Patris visio est ... Patris & Filii separari non potest visio. Ubi non separatur natura & substantia, visio separari non potest:* tertio decreta libera quoad illorum entitatem; hæc enim est cum Deo identificata, non autem quoad tendentiam, nisi quatenus Deo placet & hanc manifestare, quam tamen Beatis manifestare non solet totaliter, ut patet ex quo narratur (c) Angelos Persarum & Judæorum altercatos esse (contrarietate rerum, non voluntatum) ignorante utroque quid Deus absolute fieri vellet. Circa quæ autem manifestet Deus tendentiam suorum decretorum collige ex iis, quæ statim subjungo circa visionem creaturarum. Quarto vident Beati creaturas non quidem omnes, sed quas Deo placet illis manifestare, & quæ ad singulos Beatos maxime pertinent.

Qua in re notandum quadrupliciter posse Beatum considerari, primo ut est pars universi, secundo ut est elevatus ad ordinem gratiæ, tertio ut fuit talis dignitatis & conditionis in vita, E. G. Papa, Episcopus, Fundator Religionis, Paterfamilias &c., quarto ut est de præsenti Beatus. Quadruplici huic respectui quadruplex correspondet genus rerum, quarum cognitio videtur Beatis tribuenda. Ut enim Beatus pars est universi, videre debet omnia, quæ naturaliter ab homine vel ab Angelo circa universi constitutionem sciri possunt ut est elevatus ad ordinem gratiæ, videre debet & humanitatem Christi, & omnia Religionis nostræ mysteria, quæ Fide credidit juxta illud

(a) *In Decret. union.* (b) *In Psalm.* 85.
(c) *Daniel.* 10.

illud: (a) *Sicut audivimus, ſic vidimus in Civitate Domini virtutum:* ut fuit talis dignitatis, conditionis &c., debet videre omnia, quæ ad ſe ſuumque, dum viveret, ſtatum peculiariter ſpectant E. G. indigentiam, progreſſum ſpiritualem ſuorum ſubditorum &c.: tandem ut eſt de præſenti Beatus videre debet omnia, quæ ad ſuam beatitudinem non modo eſſentialiter, ſed & accidentaliter ſpectant, adeoque cultum, qui ſibi in terris exhibetur, preces, quæ ad ſe funduntur &c. Illarum ergo creaturarum cognitio, quæ ad ſupradictorum cognitionem eſt neceſſaria, non videtur Beatis deneganda.

Has autem creaturas non videt Beatus præciſe in eſſentia divina quatenus eſſentia eſt, ſed quatenus identificat ſibi liberum decretum de illis producendis, & quidem libere manifeſtatum: Ideſt cum eſſentia divina de ſe non ſit neceſſario connexa cum ulla creatura, non poteſt illa præciſe viſa videri ulla creatura. Cum ergo, ut videantnr creaturæ viſa eſſentia divina, oporteat ut aliquo modo ſint cum ipſa connexæ, cumque hanc connexionem non habeant niſi mediante libero decreto, hinc in eſſentia, ut identificata cum libero decreto circa illas, poterunt utique videri. Cum autem ex ſupra dictis viſa eſſentia non ſtatim videantur omnia decreta libera Dei (quoad tendentiam ad tale, vel tale objectum) ſed ea ſolum videantur, quæ vult Deus manifeſtare, hinc talis libera manifeſtatio requiritur, ut in Deo ſupradictæ creaturæ videantur: quo fit, ut aliquibus potius placeat dicere has creaturas cognoſci per ſpecialem revelationem, quam in eſſentia divina.

AR-

(a) *Pſalm.* 47.

ARTICULUS SECUNDUS.

Præcipuus effectus visionis intuitivæ Dei est beatitudo, sive ut hominem reddat beatum. Beatitudo autem definitur *summum bonum, quo obtento appetitus satiatur & quiescit*. Dividitur hæc in *objectivam* & *formalem*. Prima est summum bonum, ex cujus possessione oritur satietas & quies: secunda actualis possessio & fruitio ejusdem boni.

Beatitudo objectiva est ipse Deus. Ad formalem de facto requiruntur tum actus intellectus, scilicet visio Dei, ut patet ex illis: (a) *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: & (b) *Hac est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum*: &: (c) *Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*: tum actus voluntatis, scilicet amor, gaudium, satietas &c. ut patet ex illis: (d) *Intra in gaudium Domini tui*: &: (e) *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ & torrente voluptatis tuæ potabis eos*.

Sed utrum id, in quo formaliter consistit essentia beatitudinis, sit actus intellectus, an sint actus voluntatis controvertitur. Alii stant pro solo actu intellectus, ut Thomistæ, qui idcirco actus voluntatis, ut est amor, gaudium, satietas &c. dicunt esse non ipsam beatitudinem, sed effectus beatitudinis: alii stant pro solis actibus voluntatis, ut Scotistæ: alii tandem stant pro utrisque, ut Suarez &c.

Mihi videtur probabilius essentiam beatitudinis constituendam in visione Dei, prout secum trahit aliquem actum voluntatis, scilicet gaudium, satietatem, & quietem; nam primo ad essentiam bea-

---

(a) *Matt.* 5. (b) *Jo.* 7. (c) I. *Jo.* 3.
(d) *Matt.* 25. (e) *Psalm.* 35.

beatitudinis pertinere visionem Dei docent testimonia supra adducta: secundo ad essentiam pariter beatitudinis videtur pertinere aliquis actus voluntatis, non quidem amor, nam hic probabiliter est ejusdem speciei tum in via, tum in patria, & tamen in via non reddit hominem beatum. Ergo nec in patria. Præterea amor alicujus viatoris potest esse ferventior, quam amor alicujus Beati, ut fuit amor Deiparæ adhuc viatricis, qui tamen ipsam Deiparam non reddebat beatam. Ergo &c. Non desiderium; nam hoc fertur in objectum absens, quod proinde non potest beatificare animum. Videtur ergo spectare ad essentiam beatitudinis etiam delectatio, satietas, gaudium & quies; etenim sine his actibus non potest concipi beatitudo, Sane si quis videret Deum, & nullam delectationem, nullum gaudium ab hac visione perciperet, non video quomodo posset dici beatus. Ergo &c.

Certum est de Fide beatitudinem Sanctorum futuram æternam. Hoc ex Angelico negavit Origenes; sunt tamen qui Origenem ab hoc errore vindicant. Quidquid sit de hoc, æternitas beatitudinis patet ex Scripturis; nam legitur (a): *Justi autem ibunt in vitam æternam:* alibi (b) *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis:* rursus (c): *Quis vicerit, faciam illum columnam in templo* Dei *mei, & foras non egredietur amplius*: tandem: *Simul* (d) *rapiemur . . . obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus*. Quamvis autem nomine æternitatis non semper in Scripturis veniat perennis duratio, venit tamen his locis, cum toties repetarur, & nullibi exprimatur contrarium. Patet etiam ex Lateranensi IV. ubi dicitur (e): *Omnes cum suis propriis corporibus resurgent, quæ nunc gestant, ut recipiant secundum merita sua, sive bona fuerint, sive mala, illi cum Diabolo pœnam per-*

(a) *Matt.* 25. (b) *Jo.* 16. (c) *Apoc.* 3.
(d) 1. *Thess.* 4. (e) *Cap.* Firmiter.

perpetuam, *&* *isti cum Christo gloriam sempiternam:* & ex Symbolo vulgo S. Athanasii, in quo idem fere iisdem verbis repetitur.

Inter effectus visionis beatificæ communius etiam numeratur *impeccabilitas*. Sane Beatos nunquam peccaturos prob. ex Scripturis, ubi habetur (a): *Et omne maledictum non erit amplius, sed sedes Dei & Agni in illa erunt, & servi ejus servient illi*.

Illos autem esse etiam impeccabiles certissimum est; si enim ad visionem Dei nullus admittitur vel minima peccati sorde pollutus juxta illud (b): *Nihil coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum*, a pari nulla coinquinatio poterit maculare illum, qui videt Deum. Præterea cum ex visione Dei, ut dixi, oriatur beatitudo, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus, debet ex ipsa profluere impeccabilitas, quæ maximum bonum censeri debet.

Dixi impeccabilitatem inter effectus visionis beatificæ communius numerari; non enim desunt Theologi, qui etsi concedant Beatos de facto esse impeccabiles, contendunt tamen impeccabilitatem non esse effectum visionis beatificæ, sed solum decreti Dei, quo absolute vult, ut Beati non peccent.

Sed probabilissimum est impeccabilitatem ab ipsa etiam visione Dei profluere; nam certum est ex visione Dei necessario intensissimam oriri charitatem, cujus effectus dici debet necessaria fuga ab omni eo, quod summo bono displicere potest. Et de facto etiam in hac vita potest dari tam intensus charitatis actus, ut peccata ipsa venialia deleat, &, ne in posterum committantur, impediat. Ergo a fortiori in alia vita. Rursus etsi suppo-

(a) *Apoc.* 22.
(b) *Apoc.* 21.

poneremus ex viſione Dei non oriri amorem (quod non eſt abſolute impoſſibile, cum poſſet Deus velle cum Beato concurrere ad viſionem, & non ad amorem,) adhuc tamen ex viſione orirerur impeccabilitas; nam etiam ex viſione ſummi boni neceſſario oriretur fuga ab omni eo, quod ſummo bono diſplicet, adeoque a peccato. Ergo &c.

Si ergo ex viſione Dei oritur beatitudo & perfecta charitas, patet merito a Theologis reduci totum id, quo homo conſtituitur beatus, ad hæc tria, quæ etiam appellant animæ beatæ *dotes*, nimirum *ad viſionem* Dei, *ad quietem in ſummo bono*, & *ad perfectam dilectionem*, quarum prior ſuccedit Fidei, altera Spei, tertia Charitati.

Ad effectus etiam viſionis beatificæ reduci poſſunt aliquo modo *Aureolæ* Beatorum. Harum nomine venit gloria quædam accidentalis non omnibus Beatis communis, ſed aliquibus tantum conveniens ob inſignem aliquam in hac vita reportatam victoriam. Hæc gloria dicitur *aureola* quaſi *parva corona aurea* ad differentiam gloriæ eſſentialis, quæ dicitur ſimpliciter *corona aurea*. Tres communiter diſtinguuntur Aureolæ *Virginum*, *Martyrum*, & *Doctorum;* præcipuæ enim, quas homines in hac vita reportant, victoriæ, ad has reducuntur: ad victoriam de carne, quam reportant Virgines, ad victoriam de amore vitæ, quam reportant Martyres, & ad victoriam de ignorantia, quam reportant Doctores.

Tandem ad eoſdem effectus reduci poſſunt dotes corporis glorioſi, quæ in ipſo reſpectu hominum poſt reſurrectionem habebuntur. Quatuór vulgo numerantur, ſcilicet *impaſſibilitas*, *ſubtilitas*, *agilitas*, & *claritas*. Impaſſibilitas importat non ſolum ut non poſſint amplius mori, ſed etiam ut non poſſint ulla amplius moleſta ſenſatione lædi, ita ut licet in Infernum detruderentur, non tamen ullum dolorem perſentirent: ſubtilitas, ut poſſint in quemcumque locum ſe intromittere: agilitas, ut poſſint citiſſime ab uno loco ad alium etiam ſumme diſſitum transferri: claritas tandem, ut ſplendorem ac lucem ex ſe emittant juxta il-

lud (a): *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum*.

CAPUT QUARTUM.

De inæqualitate visionis Beatificæ.

OStendam hic 1. Beatos Deum visuros inæqualiter: 2. examinabo undenam proxime hæc inæqualitas sit repetenda.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto docuisse 4. sæculo Jovinianum omnes Beatos Deum visuros æqaliter, eo quod diceret omnia bona opera esse æqualia. Hunc errorem adoptavit Lutherus quamvis ex diverso principio, ex eo scilicet, quod existimaret justitiam nostram, cui correspondet visio beatifica, esse in omnibus æqualem, cum per ipsum justitia nostra nihil sit aliud, quam justitia Christi nobis æqualitier imputata.

Assertio. *Videntium Deum alius pro meritorum diversitate alio perfectius videt*. Est de Fide.

Prob. ex Scripturis. Dicit Deus de virginibus (b): *Dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius a filiis, & a filiabus.* Alibi (c): *Qui solverit unum de mandatis istis minimis . . . minimus vocabitur in* Regno *Cœlorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum*. Apostolus (d) *Unusquisque*, inquit, *propriam mercedem accipiet secundum suum laborem:* & infra (e): *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim differt a stella in claritate sic & resurrectio mortuo-*

(a) *Matt.* 13. (b) *Isai.* 56.
(c) *Matt.* 5. (d) 1. *Corint.* 3.
(e) *Cap.* 15.

tuorum. Alibi (a): *Qui parce seminat, parce & metet*. His locis evincitur inæquale fore præmium habentium inæqualia merita. Quoniam autem possent reponere Hæretici inæqualitatem hanc ex alio capite posse repeti, ut E. G. ex majori gaudio, quod unus præ altero concipit videndo Deum, quomodo licet damnati sint æqualiter Deo privati, inæqualiter tamen ex hac privatione cruciantur, quia inæqualem ex illa percipiunt dolorem; ideo probatio ex iis locis desumpta roborari debet ex communi consensu Theologorum illa intelligentium de inæqualitate visionis beatificæ.

Prob. ex Conciliis, & I. ex Romano sub Syricio, ubi error Joviniani damnatus fuit. II. ex Florentino, in quo definitum est, (b) *Beatos intueri Deum unum & trinum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius*.

Prob. ratione. Inæqualibus meritis correspondet inæqualis gratia. Sed inæquali gratiæ correspondet inæqualis visio; nam inæquali gratiæ correspondet inæquale lumen gloriæ (cum hoc commensuretur gratiæ), cui inæquali lumini correspondet inæqualis visio. Ergo &c.

Supposui usque adhuc dari inæqualia merita: hoc autem non immerito supposuisse patebit in Tractatu de Gratia.

Obj. ex Scripturis parabolam de laborantibus in vinea (c), qui inæqualiter laboraverunt, sed tamen eandem omnes mercedem acceperunt. Cum autem hæc merces fuerit figura Regni Cœlorum, hinc æquale videtur esse præmium, quod justis omnibus retribuitur, adeoque æqualis visio.

Mirum est quam divisi sint Patres & Theologi in explicanda allata parabola. In duas classes illos scindo; alii enim ita parabolam expli-

N 2 cant,

(a) 2. *Cor.* 9. (b) *In decret. union.*
(c) *Matt.* 20.

cant, ut sit omnimoda similitudo inter expressum, & figuratum per ipsam, alii hanc omnimodam similitudinem non exigunt.

Priores docent præmium retributum operariis in vinea fuisse respectu omnium æquale, quia æquale fuerat in omnibus meritum. Fuisse autem in omnibus æquale meritum S. Gregorius Nazianzenus explicat (a) per hoc, quod quantum primi in labore novissimos, tantum novissimi superarunt primos in fide erga Patremfamilias; primi enim nonnisi pacta determinata mercede, novissimi autem nulla pacta determinata mercede laborem susceperunt. Novissimi ergo majorem fidem ostenderunt erga Dominum, se cœco, ut ita dicam, modo ejus honestati committentes, quam priores, adeoque majori hac confidentia compensarunt defectum laboris. Quod si quæratur, cur priorum querelis non satisfecerit Paterfamilias hanc adducendo rationem, sed aliam attulerit ex propria libertate desumptam, responderi potest Dominum noluisse operationum suarum rationem reddere, & potius voluisse priorum retundere audaciam, qui injuste de illo conquerebantur.

Maldonatus & Suarez æqualitatem meriti explicant per æqualitatem laboris: volunt scilicet tam intense laborasse novissimos, ut æquarent laborem priorum. Porro priores juxta hanc explicationem non sunt conquesti, quod existimarent laborem fuisse inæqualem, sed quod se existimarent gravatos per hoc, quod Paterfamilias tantam occasionem tribuerit novissimis laborandi una hora, ut hi æquaverint illorum laborem, adeoque æquale præmium promeriti sint. Hinc sensum illius responsionis, quam dedit Paterfamilias dicens operariis: *Nunquid non mihi licet quod volo facere?* Suarez vult esse hunc: nonne tam possum

(a) *Orat.* 40.

sum adjuvare novissimos, ut ad laborem, & consequenter ad præmium valeant priorum pertingere?

Inter illos, qui non omnimodam similitudinem exigunt inter expressum & figuratum in parabola, sunt SS. Augustinus, Hieronymus, & Ambrosius, qui per denarium non totum præmium Beatorum volunt significari, sed illam tantum partem præmii, in qua sunt omnes æquales, puta æternitatem, vitam &c. S. etiam Gregorius Magnus, cum per primos operarios intelligat (a) antiquos Patriarchas, per novissimos autem Sanctos, qui immediate ante Christum mortui sunt, existimat æqualitatem denarii hoc tantum denotare, quod eodem tempore tam illi, quam isti gloriam consecuti sunt, scilicet cum Christus morte sua Paradisi portas aperuit.

Petavius advertit in parabolis esse attendendum illud tantum, quod conducit ad illius scopum, cætera vero potius ad ornamentum parabolæ existimanda esse dicta, quam quod per illa aliquid denotetur adaptandum figurato: quod probat auctoritate Chrysostomi dicentis: (b) *Non oportet in parabolis omnia ad litteram explorare, sed cum scopum parabolæ didicimus, hunc decerpere, nec cætera curiosius examinare*. Hoc etiam illustrat auctoritate S. Augustini, qui inquit: (c) *Sicut in citharis & hujuscemodi organis musicis non quidem omnia, quæ tanguntur, canorum aliquid resonant, sed tantum chordæ; cætera tamen in toto citharæ corpore ideo fabricata sunt, ut esset ubi vincirentur, unde & quo tenderentur illæ, quas ad cantilenæ suavitatem modulaturus & percussurus est artifex; ita in his propheticis narrationibus, quæ de rebus gestis hominum prophetico spiritu deliguntur, aut aliquid* N 3 jam

(a) *Homil.* 19. *in Evangel.*
(b) *Homil.* 64. *in Matt. al.* 65.
(c) *Lib.* 22. *contr, Faustum cap.* 54.

jam sonant significatione futurorum, aut si nihil tale significant, ad hoc interponuntur, ut sit, unde illa significantia tanquam sonantia connectantur.

Sane in ista signate parabola non omnia posse aptari figurato, patet ex quo in parabola narratur Patremfamilias non per se, sed per Procuratorem solvisse operariis mercedem: hos conquestos esse de Patrefamilias, ac sibi mutuo invidisse, quæ omnia, ut patet, figurato aptari non possunt.

Scopus igitur parabolæ est, inquit Petavius, ostendere negotium salutis maxima ex parte ab arbitrio Dei dependere aliquando salvantis illos, qui maxime videntur a salute remoti, ut accidit latroni cum Christo crucifixo, aliquando vero non salvantis illos, qui maxime videntur ad salutem propinqui, ut accidit Judæ. Hunc esse parabolæ scopum indicat sententia illa parabolæ præmissa: *Multi erunt primi novissimi, & novissimi primi*, quæ etiam repetitur in fine parabolæ adjunctis aliis: *Multi enim sunt vocati, pauci electi*, illa enim sententia videtur Christus denotare aliquando ita Deo volente illos, qui videbantur futuri primi in merito & præmio, futuros novissimos, & qui videbantur futuri novissimi, futuros primos. Et hoc apposite ad Judæorum superbiam retundendam, qui melioris se fuisse conditionis existimabant, quam Gentiles, cum illi, utpote ex populo electo, essent primi, Gentiles vero novissimi. Hoc idem est, quod expressit Christus dum inquit: (a) *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*; & clarius dum alloquens Judæos inquit: (b) *Ibi erit fletus & stridor dentium, cum videritis Abraham & Isaac & Jacob & omnes Prophetas in regno Dei, vos au-*

(a) *Cap.* 21. (b) *Luc.* 13.

autem expelli foras. Et venient ab oriente, & occidente, & aquilone, & austro, & accumbent in Regno Dei. Et ecce sunt novissimi, qui erunt primi, & sunt primi, qui erunt novissimi.

Hac posita Petavii doctrina commodior hæc videtur esse adductæ parabolæ responsio, nimirum solum attendendum esse, quod dicatur primos, qui in vinea laboraverunt, fuisse ultimos in recipienda mercede, novissimos vero fuisse primos: hoc enim solum pertinet ad scopum parabolæ: cætera vero utpote non pertinentia ad talem scopum, sed solum ad illius ornamentum, non esse attendenda, ut aptentur figurato, quo posito corruit vis objectionis.

Obj. ex ratione. I Inæqualis visio repugnat statui Beatorum: Beatus enim, qui minus videt Deum, non esset quietus, cum semper optaret illum magis videre.

II. Hæc inæqualitas est impossibilis: objectum enim simplicissimum & indivisibile, quale est Deus, non potest modo magis, modo minus videri. Ergo &c.

℟. ad I. non repugnare hanc inæqualitatem statui Beatorum; quisque enim ex iis cognoscit se videre Deum quantum a propriis meritis redditus est capax illum videndi. Inde oritur quies & satietas. Hoc explicant Theologi exemplis. Sint duo vasa inæqualis capacitatis ambo aquæ plena: minus certe vas minorem aquæ portionem continebit, quam majus, hoc tamen non impediet, quin utrumque sit plenum: sint duo homines inæqualis magnitudinis eodem panno vestiti, quamvis minor sit portio panni, quæ minorem vestit, quam quæ majorem, æque tamen est contentus uterque. Ita, inquiunt, in casu.

Ad II. ℟. quod si argumentum valeret, probaret Deum a videntibus se comprehendi, quod non est dicendum. Ex hoc eruitur objectum simplicissimum & indivisibile posse inæqualiter videri; si enim aliter videt Deus seipsum, ac illum videant creaturæ, jam patet diverso modo illum videri posse.

ARTICULUS SECUNDUS.

Controversia est inter Theologos circa causas inæqualitatis visionis Dei. Quæ quidem controversia non versatur circa causas remotas, ut sunt gratia, merita &c., sed circa proximas, quæ reducuntur ad lumen gloriæ & ad intellectum. Schola Scotistica inæqualitatem repetit nedum ab inæqualitate luminis, sed etiam ab inæquali perfectione naturali intellectus, adeo ut si duo intellectus inæqualis perfectionis naturalis, ut esset Angelicus & humanus, eodem lumine sint donati, perfectius videre debeat Deum intellectus perfectior. Schola Thomistica id negat asserens id a solo lumine esse repetendum, adeo ut si æquale istud sit in duobus intellectibus naturaliter inæqualibus, æqualis futura sit visio. Cum istis sit

Assertio. *A solo majore vel minore lumine gloriæ repetenda est perfectior, vel minus perfecta visio beatifica, non autem a majore vel minore perfectione naturali intellectus.*

Prob. ex Florentino supra allato dicente, *Beatos videre Deum.... pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius;* hoc enim innuit mensuram visionis esse merita, & consequenter lumen gloriæ, quod meritis correspondet. At hoc esset falsum, si ad perfectiorem visionem constituendam concurreret etiam naturalis activitas intellectus; fieri enim posset ut duo haberent merita inæqualia, & tamen æqualiter Deum viderent, si nimirum defectus meritorum, qui est in uno, suppleretur ab illius naturali activitate intellectus: & è contra, ut duo haberent merita æqualia, & tamen inæqualiter Deum viderent ob excessum naturalis activitatis intellectus, qui est in uno, respectu alterius.

Hæc sane ratio elidi non potest nisi vel dicendo cum Molina Deum in casu inæqualis perfectionis intellectus ita attemperaturum tam aciem ejusdem intellectus, tum lumen, ut data æqualitate meritorum æqualiter Deus videatur ab habentibus

tibus æqualia merita: vel dicendo cum Frassen non esse absurdum, quod duo æqualia habentes merita inæqualiter Deum videant ob inæqualitatem perfectionis intellectus, quia perfectior visio, quatenus præcise dicit ordinem ad intellectum videntem, non est præmium, quale est, quatenus habet ordinem ad merita & ad lumen gloriæ. Sed neutra responsio subsistit.

Non prima. Nam vel hæc attemperatio fieret per hoc, quod naturalis activitas intellectus perfectioris impediretur, & hoc non; nam tunc inferretur vis intellectui, quod de Beato non est dicendum: vel per hoc, quod habenti intellectum perfectiorem denegaret Deus tantum lumen, quantum concedit habenti intellectum minus perfectum, & neque hoc; alias tantum ille præmium non reciperet, quantum alter: vel tandem per hoc, quod habenti intellectum minus perfectum concederet abundantius lumen præ altero, & hoc pariter est inconveniens; nam tunc habentium æquale meritum, ut supponitur, non esset æquale præmium: quod idem valet, si intellectum minus perfectum elevaret Deus ad naturalem majorem perfectionem.

Non secunda. Nam si visio perfectior, quatenus dicit ordinem ad intellectum videntem, non esset præmium, jam sub hoc respectu non fundaretur in principio supernaturali, saltem juxta ideam, quam Ecclesia nobis exhibet supernaturalitatis. Licet enim tunc principium supernaturale requireretur, ut intellectus operaretur, hoc tamen relate ad aliquos gradus visionis esset mera conditio, non causa vere influens, qualis debet esse; cum talem velit Ecclesia esse supernaturalitatem, ut tota activitas potentiæ supernaturaliter agentis a principio supernaturali sit repetenda tanquam a causa. Ergo &c.

Prob. ratione I. Æqualiter est improportionatus intellectus majoris perfectionis naturalis ad producendam supernaturalem visionem Dei, ac intellectus minoris perfectionis; nam major, vel minor perfectio intellectus supponitur esse in or-

 dine

dine naturali, visio vero beatifica est supernaturalis: naturalis autem ordo, in quocumque gradu consideretur, est improportionatus ordini supernaturali. Ergo &c. II. Gratia habitualis æqualis in homine & in Angelo reddit utrumque æqualiter bonum in ordine supernaturali, licet bonitas naturalis in utroque sit inæqualis. Ergo a pari lumen gloriæ æquale adveniens duobus intellectibus inæqualibus in perfectione naturali non reddit unum magis supernaturaliter intellectivum, quam alterum.

Obj. ex ratione I. Intellectus, quamvis indigeat lumine gloriæ ad videndum Deum, aliquid tamen de suo influit in visionem. Istud, quod influit, in duobus intellectibus inæqualibus est inæquale. Addamus lumen utrobique æquale, tunc, cum ex influxu intellectus & luminis fiat una causa, valebit illud vulgatum: *Si inæqualibus æqualia addantur, summæ erunt inæquales*.

II. Supponamus intellectum valentem operari & remisse & intense. Si hic adjutus ab habitu Fidei E. G. æqualis intensionis operetur modo intensius, modo remissius, perfectiorem sane eliciet actum in primo casu, quam in secundo. Quo posito sic. Ita se habet in casu adducto operatio intensior ad minus intensam respectu ejusdem intellectus, ut operatio unius intellectus perfectioris ad operationem alterius intellectus minus perfecti, si eodem lumine ambo adjuventur. Ergo sicuti operatio intellectus adjuti a principio supernaturali & operantis cum intensione majore est perfectior operatione ejusdem intellectus ita adjuti & operantis cum minori intensione; etiam operatio intellectus perfectioris erit perfectior operatione intellectus minus perfecti, si æquali principio adjuventur, adeoque perfectior visio, si de visione loquamur.

III. Duo artifices inæqualis peritiei cum æquali instrumento inæqualiter operantur, ut duo pictores inæqualiter periti cum eodem penicillo inæqualiter pingunt. Rursus perfectior oculus cum æquali lumine perfectius videt, quam oculus minus

nus perfectus. Tandem Gigas cum æquali ſcala altius aſſurgit, quam Pygmæus. Ergo a pari duo intellectus diverſæ aciei cum æquali lumine inæqualiter Deum videbunt.

℟. ad I. intellectum nihil de ſuo influere in viſionem, quod dico non hoc ſenſu, quod intellectus videndo Deum non agat, adeoque non ſit principium effectivum viſionis, ſed quod omne id, quod influit, ab alio accipiat, ſcilicet a lumine. Id explico. Quamvis intellectus ex ſe habeat potentiam ad intelligendum vel majorem, vel minorem, hæc tamen potentia non ſe extendit niſi ad modum intelligendi naturalem; ad modum enim intelligendi ſupernaturalem intellectus non habet niſi potentiam remotam, quatenus eſt capax, ut ad hoc elevetur per comprincipium ſupernaturale: Hæc autem potentia remota non commenſuratur naturali activitati intellectus, ſed eſt æqualis in omnibus. Quando ergo lumen elevat potentiam, non augetur ipſius potentiæ activitas naturalis, ſed illi tribuitur nova vis, vis diverſi generis, ad quam prior vis naturalis impertinenter ſe habet. Cum proinde lumen æquale duobus intellectibus inæqualibus in activitate naturali ſupervenit, non inæqualibus æqualia adduntur, ſed adduntur æqualia æqualibus, ſicque ſummæ debent dici æquales. Sane ſicuti major bonitas naturalis non magis ſupernaturaliter placet Deo, quam minor, ſi ambæ cum æquali habitu gratiæ ſint conjunctæ, ita in caſu.

Ad II. conceſſa priore hypotheſi ℟. negando antecedens: in caſu enim comprincipium ſupernaturale eſt tantum materialiter ſemper æquale, formaliter autem non eſt ſemper, ſecus in noſtro caſu. Ideſt ſupponitur quidem habitum Fidei eſſe ſemper eundem & cum intellectus operatur remiſſius, & cum operatur intenſius; ſed hic habitus non influit in utroque caſu æqualiter, nam operans pro ſua libertate modo illo utitur ſecundum plures gradus, modo ſecundum pauciores illius activitatis, quæ in eodem habitu reperitur; unde, ſi tunc operatio intellectus eſt per-

fectior in uno casu, quam in alio, id ex eo provenit, quod habitus supernaturalis non semper æqualiter operatur, & influit in intellectum. E contra quando agitur de visione, cum intellectus semper utatur comprincipio supernaturali secundum omnes gradus activitatis ejusdem principii, semper proinde, quando hoc principium est æquale, æqualiter agit; unde, quando est æquale materialiter, est etiam æquale formaliter, idest non solum est æquale, sed etiam agit ut æquale. Ergo &c.

Ad III. ℟. Negando omnes adductas paritates, Disparitas inter primum casum & visionem est, quod instrumentum, quamvis requiratur, ut artifex producat artefactum, non tamen dat artifici virtutem operandi, sed eam supponit; unde posito instrumento virtus ipsa exerit vires suas, ac proinde, si in duobus agentibus virtus sit inæqualis, vires quoque erunt inæquales, adeoque cum instrumento æquali perfectius artefactum prodibit. Lumen autem gloriæ non supponit, sed dat virtutem intellectui creato, qui independenter a lumine improportionatus est ad videndum Deum: sive aliis verbis, quamvis artifex non possit operari sine instrumento, ipse tamen est qui agit in instrumentum & quidem virtute non ab instrumento mutuata, sed propria; virtus enim movendi instrumentum non provenit ab eodem instrumento, sed ipsi supponitur. Nil ergo mirum, si, quando virtus est major, conjuncta cum æquali instrumento perfectius producat artefactum. Porro quando intellectus agit cum lumine gloriæ, non agit in lumen, sed potius agitur a lumine, idest lumen ipsum dat intellectui virtutem operandi novam, quam prius non habebat. Nihil ergo virtus antiqua influit, ac proinde, etsi in uno esset major præ altero, nihil hoc facit ad perfectiorem visionem.

Eadem proportionaliter est disparitas inter secundum casum & casum assertionis; oculus enim non accipit a lumine virtutem videndi, sed supponit, & aliunde lumen se tenet penes objectum

vi-

visum; unde non dat oculo potentiam, sed solum efficit ut objectum sufficienter agat in ipsum oculum (sine lumine enim non posset agere). Posito autem quod objectum mediante lumine sit sufficienter præsens oculo, hic ex propria virtute in illud aciem intendit, quæ prout erit major, vel minor, perfectiorem quoque, vel minus perfectam efficiet visionem. At lumen gloriæ non se tenet penes objectum visum, sed penes potentiam, quam elevat. Hæc igitur ad mensuram hujus elevationis Deum videbit.

Disparitas inter postremum casum & casum conclusionis est, quod altitudo Gigantis habet aliquam proportionem ad terminum, ad quem est ascendendum, etiam independenter a scala; licet enim non possit Gigas sine scala ad illum pertingere, est tamen etiam sine scala proximior illi, quam Pygmæus. Rursus gradus altitudinis Gigantis sunt in eodem ordine cum altitudine scalæ. Nil ergo mirum, si gradus altitudinis Gigantis conjuncti cum gradibus altitudinis scalæ producant ascensionem majorem, quam sit ascensio Pygmæi. At in casu assertionis, licet aliqui dentur gradus activitatis in intellectu independenter a lumine, hi tamen sunt naturales, adeoque non considerandi, utpote improportionati ad visionem divinam: unde æqualiter est ex se improportionatus ad visionem intuitivam intellectus naturaliter perfectior, ac minus perfectus, & æqualiter, ut sic dicam, ab illa distant. Considerandi ergo sunt illi tantum gradus activitatis, quos intellectus accipit a lumine, cum hic non agat nisi virtute a lumine accepta. Hi autem gradus, quando lumen est æquale, sunt æquales. Ergo &c.

Et hæc satis de Deo quoad Naturam Divinam considerato.

TRA-

TRACTATUS
DE TRINITATE.

TRactatum hunc in sex dissertationes divido. In prima afferam necessaria ad illius intelligentiam ac generalem ideam mysterii Trinitatis, illius veritatis & cognoscibilitatis: in secunda afferam quæ generaliter spectant ad divinas personas: in tertia agam specialiter de Patre: in quarta de Filio: in quinta de Spiritu S.: in sexta de modo loquendi circa hoc mysterium.

DISSERTATIO I.

Ea afferuntur, quæ ad intelligentiam Tractatus sunt necessaria, & generalis idea exhibetur mysterii Trinitatis, illius veritatis & cognoscibilitatis.

DIssertationis tria erunt capita. In 1. explicabo terminos, quorum frequentior est usus in hoc Tractatu: in 2. recensebo errores præcipuos circa mysterium Trinitatis: in 3. agam de veritate & cognoscibilitate hujus mysterii.

CAPUT PRIMUM.

Explicantur termini, quorum frequentior est usus in hoc Tractatu.

Agam hic 1. de nominibus *essentiæ* seu *naturæ*, & *substantiæ*, *subsistentiæ*, & *subsistentis*, *personalitatis*, & *personæ*: 2. de nominibus *relationis* sive *proprietatis relativæ*, *proprietatis personalis*, *notionis*, *missionis*, *circuminsessionis*, *appropriationis*, *processionis*, *generationis* tum *activæ* tum *passivæ*, & *spirationis* itidem tum *activæ* tum *passivæ*, & *actus essentialis* & *notionalis*: 3. de nominibus græcis, quæ passim a Patribus adhibentur ac Theologis de hoc mysterio tractantibus, & sunt; *usìa*, *hypostasis*, *omìon*, *anomìon*, *homusion*, *homiusion*.

ARTICULUS PRIMUS.

Essentia seu *natura* & *substantia* denotat id, per quod res est id, quod est; adeoque, cum dicitur de Deo, denotat id, per quod Deus est Deus, quod proinde est in Déo absolutum & commune tribus Personis. Nomen *natura* aliquando apud veteres sumptum est pro *persona*, adeoque dictum est ab illis tres esse in Deo naturas, idest Personas. Idem dic de nomine *substantiæ*. Sed communius sumptum est primo modo, & ita nunc est sumendum. Quo autem ex his modis a veteribus sumptum sit, colligendum est ex contextu sermonis & ex circumstantiis.

Subsistentia in genere denotat complementum naturæ substantialis, per quod ita est sui juris & incommunicata alteri, ut quidquid operatur, aut patitur, proprio nomine operetur, aut patiatur; dicitur a *subsistendo*, quod denotat sistere & non ulterius progredi: & hoc optime verificatur de natura alteri non communicata, quæ proinde veluti sistit in se. Hæc *subsistentia* dicitur etiam *suppositalitas*, &, si reperiatur in natura rationali, dicitur

citur *personalitas*. Ex hoc patet quid sit *subsistens*, *suppositum & persona*. Patet etiam quo sensu tres in Deo dicantur esse Personæ.

ARTICULUS SECUNDUS.

Relatio sive *proprietas relativa* est ordo unius ad alterum. Cum autem Deus referatur & ad illa, quæ sunt extra se, & ad illa, quæ sunt intra, proinde relationes divinæ aliæ sunt *ad extra*, aliæ *ad intra*. De relationibus tantum ad intra hic agitur. Hinc *proprietas relativa* ad rem præsentem est, qua una Persona dicit ordinem ad aliam, ut paternitas, qua prima Persona dicit ordinem ad secundam.

Relationes istæ ad intra aliæ sunt *originis*, per quas scilicet una Persona refertur ad aliam ut procedens ab illa vel illam producens, ut esset paternitas, filiatio &c., & hæ non sunt communes omnibus Personis: aliæ non sunt originis, & per has una quidem Persona ad aliam refertur, sed non tanquam procedens vel producens, ut esset similitudo, æqualitas &c., & hæ omnibus Personis communes sunt.

Proprietas personalis est quæ constituit unam Personam in esse talis Personæ, ut E. G. paternitas, quæ primam Personam constituit in esse Patris.

Notio vel *prædicatum notionale* importat prædicatum, quo cognoscantur Personæ & a se mutuo distinguantur. Tria autem requiruntur ad notionem: primo quod dicat aliquam dignitatem etiam juxta nostrum concipiendi modum; character enim Personæ divinæ debet importare etiam in suo conceptu dignitatem & perfectionem: secundo ut non sit prædicatum commune omnibus Personis, (tunc enim non distingueret unam ab alia) sed vel uni vel duabus tantum conveniat: tertio ut Personæ conveniat non in fieri, sed in facto esse; est enim character Personæ consideratæ ut constitutæ: talis est paternitas, filiatio &c.

Missio importat, quod Persona missa in tempore producat aliquem effectum ad extra virtute sibi a Persona mittente ab æterno communicata. Ita E. G. dicitur missus Spiritus S. a Patre & Filio super Apostolos, cum super illos & visibili signo & invisibili gratia descendit virtute sibi ab eodem Patre & Filio ab æterno per illius productionem communicata.

Circuminsessio est mutua inhabitatio unius Personæ in alia orta ex quo habeant unam & eandem naturam.

Appropriatio est modus loquendi, quo prædicatum omnibus cæteroquin Personis commune, uni potius ex illis, quam alteri peculiariter tribuitur: ita omnipotentiam tribuimus Patri, sapientiam Filio, bonitatem Spiritui S.

Processio unius Personæ ab alia est vera & physica origo unius ab alia. *Generatio activa* est ipsum *generare*, quod convenit Patri. *Generatio passiva* est ipsum *generari*, quod convenit Filio. *Spiratio activa* est ipsum *pruducere spirando*, quod convenit Patri & Filio. *Spiratio passiva* est ipsum *produci per spirationem*, quod convenit Spiritui S.

Actus essentialis dicitur, qui provenit ab aliquo prædicato essentiali, ut creatio, quæ provenit ab omnipotentia: *actus notionalis*, qui provenit a prædicato notionali, ut spiratio activa respectu Patris & Filii: *actus personalis*, qui provenit ab aliqua proprietate personali, ut generatio activa respectu Patris. Actus essentialis sæpe terminatur ad extra, & est communis tribus Personis: notionales vero & personales non sunt communes tribus Personis, & terminantur ad intra.

ARTICULUS TERTIUS.

Vox *usìa* denotat naturam seu substantiam. *Hypostasis* modo significat Personam. Dictum est *modo*; magna enim fuit 4. sæculo circa hoc nomen in Ecclesia controversia Meletianos inter & Paulinianos sic dictos a Meletio & Paulino eorum ducibus. Primi admittebant in Deo tres hypostases, u-

nam

nam tantum alii. In Concilio Alexandrino anno 362. celebrato priores confessi sunt se nomen hypostasis non sumere pro substantia, sed pro persona, alii confessi sunt se illud sumere pro substantia. Hoc modo explicatis terminis, cum inventi sint omnes catholice sentire, pacem inter se inierunt. Sed postea Meletiani rursus institerunt, ut diceretur tres esse in Deo hypostases, quod plures & maxime Latini non approbarunt hypostasis nomine intelligentes substantiam. Fervescente hac lite (solum ut patet de nomine) S. Hieronymus quamvis in Latinorum sententiam propenderet, scripsit tamen ad Damasum R. Pontificem ipsius sententiam exposcens, & ostendens se paratum etiam ad confitendas tres hypostases, si ipse jussisset. Cæterum usus tandem invaluit, ut nomen hypostasis sumeretur pro Persona, sicque tres in Deo dicerentur hypostases. Ex his patet hanc vocem hypostasis modo denotare Personam, & quidem ex usu Ecclesiastico, quidquid sit de illius grammaticali significatione.

Omion denotat simile, *anomion* dissimile. Vox *homusion* latine *consubstantiale* adhibita est ad significandam identitatem, sive simultatem naturæ. Huic vocabulo affine est *homiusion*, quod denotat similitudinem naturæ.

CAPUT SECUNDUM.

Recensentur præcipui errores circa Trinitatem.

CUM hoc mysterium tria importet: primum ut unica sit divina natura subsistens in tribus personis realiter inter se distinctis, quarum prima appellatur Pater, secunda Filius, tertia Spiritus S.: secundum ut omnes istæ tres Personæ sint inter se consubstantiales & omnino inter se æquales: tertium ut prima Persona sit improducta, duæ reliquæ sint productæ, secunda quidem a prima per veram generationem, tertia vero sit spirata tum a prima tum a secunda; cum inquam hoc mysterium hæc tria importet, ad tria etiam capita revocari pos-

possunt errores, qui circa illud fuerunt vel sunt, idque per oppositionem ad tria, quæ jam dixi ab eodem importari. De singulis ex ordine.

ARTICULUS PRIMUS.

Quoad primum caput (omissis erroribus, qui fuerunt circa Deum ut unum, de quibus in antecedenti Tractatu) errarunt tum qui totidem fecerunt Deos, quot sunt Personæ, tum qui unam fecerunt Personam, ut unus est Deus, tum qui in divinis quaternitatem statuerunt. In prima classe recensentur inter antiquos Apelles, Apollinarius, Cononitæ sic dicti a Conone sectæ auctore, & Tritheitæ, qui auctorem habuerunt Joannem Philoponum. In secunda classe fuerunt Simon Magus, Praxeas, Noetus, qui docebat unam tantum esse in divinis Personam trinominem, scilicet dictam *Patrem* prout est ingenita, *Filium* prout est incarnata, & *Spiritum S.* prout est sanctificatrix: Sabellius ejus discipulus, qui docebat unicam divinam Personam dici *Patrem* prout dedit legem Moysi, *Filium* prout est incarnata, & *Spiritum S.* prout descendit super Apostolos: Priscillianus & Marcellus: (hi autem omnes antiquitus dicebantur *Patripassiani*, quia facientes eandem esse personam Patris & Filii, consequenter faciebant Patrem esse passum): rursus Paulus Samosatenus, qui omnem æternam Personarum distinctionem sustulit docens, Verbum ab æterno quidem fuisse, sed non habuisse veram Personam a Patre distinctam, nisi cum Christus in utero Virginis est formatus; tunc enim externa hac prolatione factus est Filius: deinde, ut alios omittam, ex recentioribus Michael Servetus Calvinista princeps modernorum Antitrinitariorum, qui ipso Calvino instigante fuit vivus combustus: uterque Socinus &c. Quaternitatem in Deo statuit Anastasius Imperator.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS SECUNDUS.

Quoad secundum caput erravit Arius Presbyter Alexandrinus, qui 4. sæculo docuit Verbum non esse verum Deum, sed tantum creaturam nobilissimam factam in tempore ex nihilo, seu, ut ipse ajebat, *ex non extantibus*, per quam postea Deus fecit omnia alia: volebat autem hanc solum posse dici Deum *participatione* & *auctoritate*, quatenus Pater libere ei dedit auctoritatem quasi divinam. Damnatus fuit Arius tum in multis particularibus Conciliis, tum in generali Nicæno I., in quo definitum est Verbum esse Patri *homusion*. Post damnationem Arii factam in Nicæno non fuit extincta illius hæresis, sed in tres sectas divisa. Prima fuit eorum, qui *puri Ariani* dicti sunt, quique etiam dicti sunt *Aetiani* ab Aetio, & *Eunomiani* ab Eunomio sectæ patronis. Hi divinum Verbum nedum recusabant dicere Patri *consubstantiale*, sed dicebant Patri *anomion*, unde etiam dicti sunt *Anomæi*. Secunda fuit *Semiarianorum*, qui nolebant quidem dicere Verbum Patri *homusion*, sed illud dicebant *homiusion*. Tertia fuit *Acacianorum* sic dictorum ab Acacio Episcopo Cæsareensi hujus sectæ auctore. Hi nec Verbum dicebant Patri *homusion* nec *homiusion*, sed simpliciter *omion*, quod plures exponebant exemplo statuæ a statuario efformatæ, quæ dicitur similis prototypo solum externa specie, non autem natura.

Quoad hoc caput erravit quoque Macedonius Episcopus Constantinopolitanus, qui etiam speciatim contra personam Spiritus S. bellum movit ipsi vera negata divinitate.

Tam Arii, quam Macedonii hæresim denuo excitarunt 16. sæculo supra commemorati Michael Servetus, Lelius & Faustus Socini, qui cum tres personas in Deo negarent, solum Patrem verum esse Deum dicebant, vera divinitate tum Filio, tum Spiritui S. denegata: hunc autem ad summum dicebant virtutem Dei, non autem veram Personam di-

divinam distinctam a Patre. Hostes divinitatis Spiritus S. dicti sunt *Pneumatomachi*.

Ad hoc caput revocari potest error Joachimi Abbatis, qui docebat Personas divinas esse distinctas etiam natura inter se, nullam autem ex iis per se esse Deum, sed tantum omnes simul, adeo ut divinitas ex omnibus simul sumptis coalesceret, ut populus coalescit ex pluribus civibus. Damnatus fuit hic error in Lateranensi IV.

ARTICULUS TERTIUS.

Quoad tertium caput errarunt Alogiani seu Alogi sic dicti non ab auctore, qui ignoratur, sed ab errore, quoniam Verbum respuebant; Alogi enim dicebantur quasi Verbo carentes. Dicebant scilicet secundam Personam in divinis non procedere *ut Verbum*, indignam existimantes re æterna & permanente appellationem *Verbi*.

Errarunt quoque & errant etiam modo Græci Schismatici, qui Spiritum S. a solo Patre procedere affirmant. Huic errori adhæsit 9. sæculo Photius Patriarcha Constantinopolitanus, a quo initium habuit Græcorum schisma. In Lateranensi IV. Græci errorem ejurarunt, quem postea reassumptum denuo deposuerunt in Lugdunensi II., post quod ad vomitum redierunt. In Florentino denique iterum redierunt ad sanam Fidem, sed paulo post opera Marci Ephesii in errorem relapsi sunt, in quo etiam nunc demptis aliquibus paucis perseverant.

CAPUT TERTIUM.

De veritate & cognoscibilitate mysterii Trinitatis.

AGam hic 1. de veritate: 2. de cognoscibilitate hujus mysterii.

ARTICULUS PRIMUS.

Assertio. *Tres sunt in Deo Personæ realiter distinctæ in una & eadem omnino singulari natura*. Est de Fide.

Antequam assertionem probem, noto duas esse classes probationum, quæ eidem inserviunt: aliæ sunt, quæ generaliter probant vel tres determinate, vel plures indeterminate esse Personas; aliæ quæ probant aliquam ex illis singillatim esse Personam divinam, ut quæ probant esse Deum vel Filium, vel Spiritum S. Has posteriores ad propria loca remittens priores tantum nunc afferam: quod proportionaliter intelligatur de objectionibus.

Prob. ergo assertio ex Scripturis & I. ex veteri Testamento, in quo indicari videtur aliquam esse in Deo multiplicitatem, tum quia aliquando loquitur Deus in numero plurali, ut cùm dicit (a): *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, &: *Venite, descendamus & confundamus ibi linguas eorum;* non apparet autem ad quid adhiberetur numerus pluralis, nisi essent plures loquentes: tum quia indicatur in Deo aliqua distinctio, ut cum dicitur (b): *Dominus pluit super Sodomam & Gomorram sulphur & ignem a Domino*, & clarius (c): *Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te* (d): &; *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ* (e): &; *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis* (verba autem ista Psalmorum de æterno Patre in ordine ad Filium verificari docet Apostolus (f):) tum quia repetuntur prædicata propria Dei, ut cum dicitur (g): *Sanctus sanctus sanctus Dominus Deus exercituum.*

II.

(a) *Gen.* 1 & 11. (b) *Gen.* 19. (c) *Psalm.* 2. (d) *Psalm.* 44. (e) *Psalm.* 105. (f) *Heb.* 1. (g) *Isai.* 6.

II. expressius ex novo Testamento Christus dixit Apostolis (a): *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S.*: ubi, cum præscribitur ut baptizentur gentes *in nomine Patris*, sensus est baptizandas esse in virtute & auctoritate Patris, qui proinde implicite dicitur Deus, cum nullus habeat potestatem instituendi Baptismum in remissionem peccatorum, nisi solus Deus; sed eadem omnino potestas tribuitur Filio & Spiritui S., dicitur enim *in nomine* (non *in nominibus*) Patris & Filii & Spiritus S. Ergo &c. Rursus dicitur (b): *Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum & Spiritus S., & hi tres unum sunt.*

Quo loco advertendum textum hunc postremum ex 1. Jo. 5. ineptum a plerisque judicari ad Trinitatem statuendam, tum quia illum putant suppositium, tum quia, etsi genuinus esset, putant non habere sensum, quem nos illi tribuimus. Ita inter alios Sociniani, & Simonius cæteroquin Catholicus. Supposititium autem probant textum I. ex quo in plurimis codicibus antiquis hic versiculus desideratur: II. ex quo illi ipsi codices, qui versiculum exhibent, non exhibent eodem modo: III. ex quo nullus Patrum, qui divinitatem aut Verbi aut Spiritus S. ex professo propugnarunt, illo (quamvis per nos cæteroquin validissimo) usus est. Quod vero, etsi genuinus esset, nihil probaret, evincunt ex verbis sequentibus: *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua & sanguis, & hi tres unum sunt*: ut enim hic non denotatur Trinitas Personarum in una natura, ita neque in verbis superioribus.

Sed genuinum esse textum prob. ex quo in plurimis codicibus antiquissimis habeatur. Erasmus ipse, qui primo illum expunxerat, postea restituit ni-

---

(a) *Matt.* 28. (b) *Jo.* 5.

nixus auctoritati antiquissimi codicis Britannici: in melioribus codicibus reperiri testantur Calvinus & Beza: Lovanienses multis codicibus lustratis illum in omnibus præter quinque invenerunt: extat in codice antiquissimo Vaticano teste Amelotio, in codice San-germanensi teste ipso Simonio, nec non in codicibus, quibus usi sunt auctores editionis Complutensis. Præterea textum laudant antiquissimi Patres & quidem omnibus, quæ extant, MS. antiquiores. S Cyprianus ait (a): *Dicit Dominus: Ego & Pater unum sumus. Et iterum de Patre & Filio & Spiritu S. scriptum est: & hi tres unum sunt*. Præsules Africani in professione Fidei, quam Hunnerico Regi obtulerunt anno 484. hæc habent: *Ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre & Filio Spiritum S. doceamus, Joannis Evangelistæ testimonio comprobatur. Ait namque: Tres sunt, qui testimonium perhibent in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S., & hi tres unum sunt*. S. Fulgentius initio 6. sæculi ait (b): *En habes in brevi alium esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum S., alium & alium in Persona, non aliud & aliud in natura. Et idcirco ego, inquit, & Pater unum sumus. Unum ad naturam referre nos docet, sumus ad Personas. Similiter & illud: Tres sunt, inquit, qui testimonium dicunt in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum sunt*. Laudant pariter expresse hunc textum Auctor libri *Pro Fide catholica contra Pintam* Episcopum Arianum, Auctor libri *contra Varimandum* Arianum, Auctor librorum *De Sancta Trinitate*, qui habentur in appendice ad opera S. Athanasii editionis cl. Montfaucon, hique auctores sæculo 5. cadente floruerunt.

Ac-

(a) De *unit. Eccl. cap.* 4.
(b) *Lib. de Trinit. cap.* 4.

Accedit auctoritas plurium scriptorum Latinorum (inter quos eminet Cassiodorus) qui omnes supradictum versiculum & genuinum agnoverunt, & pro re nata ut Scripturam canonicam adhibuerunt. Accedit insuper auctoritas Concilii Lateranensis IV., in quo exarata est Fidei professio continens varios textus Scripturæ, quibus abutebatur Joachimus Abbas in Concilio postea damnatus, & inter hos est etiam versiculus controversus (a): & auctoritas Tridentini jubentis, ut recipiantur singuli libri editionis vulgatæ cum omnibus suis partibus, & prout consueverunt legi in Ecclesia.

Nec dicant adversarii illos, qui textum adduxerunt, non adduxisse illum, quasi totidem verbis in Scriptura contineretur, sed solum metaphorice intellexisse verba sequentia: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra &c.* per *Spiritum*, *aquam*, & *sanguinem* intelligentes Personas SS Trinitatis, ut de S. Cypriano expresse testatur Facundus Hermianensis; contra enim est, quod, cum alicujus textus sensus tantum metaphoricus adducitur, non vero adducuntur verba, & non est clarum tali textui inesse talem sensum metaphoricum, (ut profecto non est in nostro casu) nullus unquam simpliciter & sine sufficienti explicatione dicet textum ita metaphorice intellectum contineri in Scriptura, multoque minus dicet clare contineri. Et ita etsi S. Irenæus E. G. per tres speculatores hospitio receptos a Rahab, & Auctor libri *Pro Fide Catholica adversus Pintam* per tria sata farinæ, de quibus Matt. 13., metaphorice intelligant tres Personas Ss. Trinitatis, nullus dicet simpliciter & sine explicatione clare in Scripturis asseri tres Personas Ss. Trinitatis fuisse hospitio receptas a Rahab, aut fermentum fuisse in tribus Personis absconditum. At supra adducti adduxerunt simpliciter sine ulla explicatione textum controversum, & ex illis

 ali-

(a) *Sess.* 4.

aliqui dixerunt clare in Scripturis contineri, ut fecit S. Fulgentius. Ergo &c.

Ad rationes igitur adversariorum R/., & ad I. dicendo argumentum hoc negativum in conflictu positivorum parum esse firmum: præcipue cum appareat verisimillima ratio, cur versiculus hic in aliquibus codicibus sit omissus, similitudo scilicet phrasium inter eundem versiculum & subsequentem, quæ potuit esse occasio amanuensibus illum ex incuria omittendi, ut teste S. Hieronymo alias accidit; nam cum apud Isaiam legatur: (a) *Exsiccatum est fænum, & cecidit flos, quia Spiritus Domini sufflavit in eo; vere fænum est populus: exsiccatum est fænum, & cecidit flos, verbum autem Domini nostri manet in æternum*, in Versione 70. post illa verba *exsiccatum est fænum & cecidit flos* statim dicebatur: *Verbum autem Domini &c.* prætermissis ob similitudinem phrasium verbis intermediis: & cum apud Jeremiam legatur: (b) *Propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua. Quid clamas super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus: propter multitudinem iniquitatis tuæ & propter dura peccata tua feci hæc tibi*, in Versione pariter 70. ob eamdem rationem prætermissa fuerant illa: *Quid clamas super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus propter multitudinem iniquitatis tuæ*. Nec prætereunda est alia ratio hujus omissionis & ipsa satis verisimilis, scilicet dolus Arianorum, qui potuerunt versiculum expungere, utpote illis maxime infensum. Nulla porro apparet ratio dicendi versiculum hunc fuisse intrusum; nec enim valet quod dicunt adversarii, hunc versiculum ab amanuensibus in margine exscriptum fuisse quasi explicationem sequentis, sicque paulatim in textum intrusum: nam I. ver-

(a) *Cap.* 40. (b) *Cap.* 30.

versus hic probabilius non potest esse explicatio sequentis, cum probabilius diversus utriusque sit sensus; in primo enim agitur de tribus testibus divinis sive in Cœlo, in secundo de tribus testibus terrenis, sive in terra. II. Inverisimile est in omnibus antiquis codicibus, in quibus habetur controversus versiculus, illum fuisse additum tanquam explicationem sequentis. Præterea series ipsa sermonis satis ostendit illum versiculum ad textum sacrum pertinere; nam versiculus sequens incipit per conjunctionem *&*, quæ non apparet ad quid referatur secluso versiculo priore, illo autem admisso optime stat: & verba quæ immediate sequuntur: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*, supponunt adductum esse superius utrumque testimonium, quod non verificaretur excluso controverso versiculo; sic enim adductum esset solum testimonium humanum indicatum per illa: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra &c.*

Ad II. ℟. variationes istas esse accidentales consistentes vel in variatione verborum synonimorum, ut cum alicubi pro *dant* legitur *perhibent*, vel in variatione ordinis versiculorum; alicubi enim præponitur sequens versiculus, *Tres sunt qui testimonium dant in terra:* vel in hoc, quod versiculus controversus scriptus sit in margine. ideo fortasse ita scriptus quia primo codex exscriptus est ab alio carente hoc versiculo, & postea lustratis aliis codicibus versiculus inventus est, nec potuit addi nisi in margine: vel quia scriptores illum non æqualiter in omnibus invenientes satius putarunt illum nec omnino expungere, nec in textum intrudere, sed tantum in margine collocare.

Ad III. ℟. primo plures Patres versiculum adhibuisse, ut constat ex probationibus: secundo illos, qui non adhibuerunt, vel non adhibuisse, quia codices, quos præ manibus habebant, illum non præseferebant, vel quia, cum viderent codices variantes, noluerunt ingredi quæstionem criticam de authenticitate ipsius versiculi, vel quia,

cum difficultatem ingerat circa illius intelligentiam versiculus sequens, qui videtur exaratus similibus phrasibus, sed tamen probabilius habet diversum sensum, consultius putarunt priore omisso probationes desumere ex aliis testibus clarioribus, & qui minorem possent pati difficultatem.

Ad id, quod subditur, omisso quod plures codices illud *hi tres unum sunt* in 2. versiculo non habent, sed tantum in 1., & quod in aliis non dicitur *hi tres unum sunt*, sed *in nobis sunt*, ℟. primo juxta græcum textum de tribus testibus in terra non dici & *hi tres unum sunt*, sed *in unum sunt*, idest conveniunt in testificanda eadem re, quod non est idem ac asserere *esse unum:* secundo etiam retenta lectione latina posse cum pluribus per *Spiritum*, *aquam*, *&* *sanguinem* intelligi tres Personas Ss. Trinitatis, per *Spiritum*, nempe patrem juxta illud: (a) *Spiritus est Deus:* per *aquam* Spiritum S., juxta illud: (b) *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*: per *sanguinem* vero Filium, qui proprio sanguine nos redemit: qua posita explicatione utrobique denotabitur unitas naturæ in tribus personis, cum idem sit sensus utriusque versiculi, excepto quod prior enunciat testimonium cœleste, idest datum a Deo per propria nomina *Patris*, & *Filii*, & *Spiritus S.* designato, alter testimonium terrenum, idest datum a Deo designato per nomina terrena *spiritus*, *aquæ*, & *sanguinis*. Tertio etsi per *spiritum*, *aquam*, & *sanguinem* non intelligantur tres Personæ Ss. Trinitatis, sed aliquid creatum (ut probabilius debet intelligi), non tamen per hoc, quod dicantur *tres* & *unum*, denotatur Trinitas Personarum in unitate naturæ, ut denotatur versu superiore. Vel enim per *spiritum*, *aquam*, & *san-*

(a) *Jo.* 7. (b) *Jo.* 3.

sanguinem intelligitur *gratia sanctificans*, *aqua Baptismatis*, & *sanguis Christi*, qui meruit ipsi aquæ baptismali vim producendi gratiam, ut placet aliquibus; vel intelligitur *spiritus*, quem Christus clamans emisit in cruce, & *aqua* ac *sanguis*, quæ ex ipsius aperto latere fluxerunt, ut placet aliis, vel etiam aliter; certum est in hac hypothesi fieri sermonem de tribus creaturis, quæ sunt inter se diversæ etiam quoad naturam, quæ proinde non possunt dici *unum natura*: cum è contra versu superiore agatur de Personis divinis, quæ si dicuntur *unum*, debent intelligi unum quoad naturam; divisio enim naturæ in Deo dari non potest.

Sensus ergo utriusque versiculi probabilius hic est. Quod Christus sit verus Deus & homo (hoc enim ibi adstruit S. Joannes) testificantur tres Personæ divinæ: *Pater*, qui, cum Christus homo baptizaretur & transfiguraretur, declaravit ipsum esse suum Filium, adeoque Deum: *Filius*, qui seipsum pluries dixit & verum Deum & verum hominem: *Spiritus S.*, cujus virtute & conceptus est Christus ut homo, & patrata sunt miracula in contestationem ipsius divinitatis: & hæ tres Personæ sunt *unum*, idest *unus Deus*. Ejusdem porro divinitatis atque humanitatis Christi testes quoque sunt in terra spiritus & aqua & sanguis, & quidem (juxta priorem supra adductam explicationem) quatenus mors ipsius seu effusus sanguis testatur humanitatem, virtus vero collata Baptismo causandi gratiam testatur divinitatem: juxta vero aliam explicationem quatenus clamor, quem moriens emisit Christus in cruce, testatus est ipsius divinitatem, cum ostenderit ipsum non ex defectu virium adeoque necessario, sed voluntate mori, unde scriptum est: (a) *Videns Centurio, quia sic clamans expirasset, ait:*

(a) *Marc.* 15.

vere hic homo filius Dei erat : aqua vero & sanguis, quæ ex ipsius latere exierunt, testata sunt ipsius humanitatem. Nisi dicere velimus spiritum, aquam, & sanguinem (hoc posteriori modo accepta) dici unum, quatenus unita sunt ad constituendnm quid unum, nempe Christum. Quod si alio modo versiculus hic posterior explicetur, poterit ex dictis proportionalis erui sensus. Sed jam de hoc versiculo haud plura: ad probationes supra positæ assertionis revertamur.

Prob. ergo rursus assertio ex Traditione, cujus est testis S. Augustinus inquiens: (a) *Omnes, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ est Deus, divinorum librorum veterum & novorum Catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater, Filius, & Spiritus S. unius ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuent unitatem, ideoque non sint tres Dii, sed unus Deus, quamvis Pater Filium genuerit, & ideo Filius non sit qui Pater est: Filiusque a Patre sit genitus, & ideo non sit Pater qui Filius est, Spiritusque S. nec Pater sit, nec Filius, sed tantum Patris & Filii Spiritus, Patri & Filio etiam ipse coæqualis & ad Trinitatis pertinens unitatem*. Et sane Gentiles Christianis antiquitus exprobrabant, quod & ipsi plura in Deo colerent, ut colligitur ex S. Justino (b) & Origene (c). Cum autem certum sit plures a Christianis nunquam fuisse agnitos Deos, remanet, ut plures agnoscerentur Personæ. Quod si pauca habemus ex primis sæculis pro Trinitate, id factum est ex quo veteres Patres nonnisi urgente adacti necessitate, mysteria præsertim difficiliora Religionis nostræ scriptis consignabant, ne imperitis Gentilibus

---

(a) *Lib.* 1. *de Trinit. cap.* 4.
(b) *Apolog.* 1.
(c) *Lib.* 8. *contra Celsum*.

libus occasionem præberent eandem Religionem calumniandi.

Prob. ex Conciliis. Omissis aliis unum affero Lateranense IV. hæc habens: (a) *Credimus & confitemur, quod una quædam summa res est, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus S., tres simul Personæ ac singulatim quælibet earum..... Quælibet trium Personarum est illa res videlicet substantia, essentia, seu natura divina..... & illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater, qui generat, & Filius, qui gignitur, & Spiritus S., qui procedit, ut distinctiones sint in Personis, & unitas in natura.*

Obj. ex Scripturis. Hæ docent Deum esse unum: (b) *Dominus Deus noster Dominus unus est.* Ergo non sunt in Deo tres Personæ.

℟. Trinitatem Personarum non obstare unitati Dei; nam tres Personæ non sunt tres Dii, cum non habeant tres distinctas naturas, sed unam & eamdem.

Obj. ex Patribus I. Aliqui ex illis docent unam Personam ad aliam in divinis se habere, ut unus homo ad alium hominem. Ita S. Gregorius Nyssenus. (c)

II. Aliqui naturæ singularitatem in divinis respuunt, cum respuant unionem Personarum inter se. Ita S. Hilarius (d). Hæc omnia probant non dari in Deo Trinitatem Personarum in una essentia. Ergo &c.

℟. ad I. comparationem institui inter Personas divinas, & homines spectatos non in concreto, sed in abstracto. Ita autem homines habent eamdem naturam. Quod ita Patres instituant comparationem, patet ex quo nunquam permittant, ut dicantur plures Dii, quomodo Petrus, Paulus &c. di-

(a) *Cap.* Damnamus. (b) *Deut.* 6.
(c) *Lib. ad Ablavium.*
(d) *Lib. 6. de Trinit. cap.* 8.

dicuntur, & sunt plures homines in concreto. Audiatur S. Augustinus, qui ait: (a) *In illa summa Trinitate . . . tanta est inseparabilitas, ut cum Trinitas hominum non possit dici unus homo, in illa unus Deus & dicatur & sit, nec in uno Deo sit illa Trinitas, sed unus Deus.*

Ad II. ℞. Patres respuere Personarum unionem in divinis in sensu Sabellianorum, qui ita unitas faciebant Personas, ut non plures, sed una essent.

Obj. ex ratione, I. Mysterium Trinitatis contradicit illi principio: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; nam Pater & Filius idem realiter sunt cum essentia, & tamen non sunt idem inter se.

II. contradicit illi principio: *Impossibile est idem simul esse & non esse*; nam paternitas & natura sunt realiter unum & idem, & tamen Pater communicat Filio naturam non communicata paternitate.

III. contradicit vi syllogismi expositorii; nam non subsistit eo admisso hic syllogismus revera expositorius, videlicet: *Hic Deus est realiter Pater: hic Deus est realiter Filius. Ergo Pater est Filius.*

IV. Si tres Personæ sunt unum in essentia, erit in Deo quaternitas, non Trinitas; nam *essentia, Pater, Filius, & Spiritus S.* non sunt synonima. Ergo significant quatuor res distinctas. Præterea Pater, Filius, & Spiritus S. sunt tres res: at essentia nihil est horum; nam Pater generat, & essentia non generat, Filius est genitus, & essentia non est genita, Spiritus S. spiratur, & essentia non spiratur. Ergo essentia est quid aliud præter Patrem, Filium, & Spirirum S.. Ergo quarta res.

Ad

(a) *Lib.* 15. *de Trinit. cap.* 23.

Ad I. respondent Theologi communiter Patrem & Filium esse realiter idem cum essentia identitate solum inadæquata, scilicet esse quidem realiter idem cum essentia, sed non cum omni eo, quod cum eadem essentia est idem, idest cum filiatione & spiratione passiva. Non valet autem illud axioma nisi cum duo identificantur uni tertio adæquate. Quod utcumque explicari potest exemplo duarum partium unius totius, quæ cum identificentur toti solum inadæquate, non proinde identificantur inter se. Aliter etiam alii respondent (quod tamen fere in idem recidit), scilicet Patrem & Filium identificari essentiæ ut termino communi, quia licet essentia sit singularis, est tamen vere in pluribus suppositis: unde sicuti non valet hoc argumentum: *Homo identificatur animali, equus identificatur animali; ergo equus identificatur homini*, quia *animal* est terminus communis, ita in casu.

Ad II. pariter communius respondetur illud *communicari*, & *non communicari* non esse contradictoria, quia licet verificentur de eodem, non tamen verificantur secundum idem; nam eadem entitas, quæ est & natura & E. G. paternitas, communicatur secundum esse absolutum, non communicatur secundum esse relativum.

Ad III. respondent allatum syllogismum non esse expositorium; syllogismus enim expositorius debet constare medio termino in utraque præmissa singulari, & quidem singulariter sumpto, qualis non est in casu terminus *Deus*; hic enim licet sit alicujus rei singularis, est tamen rei communicabilis pluribus.

Ad IV. respondent in Deo poni solum Trinitatem, etsi nomina hæc *essentia*, *paternitas &c.* non sint synonima; nam non significant quatuor res, sed unam absolutam & tres relativas, quæ tamen relativæ sunt identificatæ cum absoluta. Ex hoc patet responsio ad id, quod subditur; nam essentia certe præcise & solitarie sumpta nec est Pater, nec Filius, nec Spiritus S, sed sumpta prout est a parte rei, & prout habet secum

identificatas realiter divinas relationes, est & Pater, & Filius, & Spiritus S. Quomodo autem absolute non possit dici, quod essentia generat aut generatur, etiamsi in re sit Pater, Filius, & Spiritus S., videbitur infra.

Optimæ sunt allatæ responsiones, sed cum possit etiam contra illas urgere adversarius contradictionem, quæ in ipsis quoque videtur esse, ideo Theologo curandum, ut ab hac se expediat. Idcirco confugiunt Scotistæ ad distinctionem formalem, Thomistæ ad virtualem &c. Laudandi sunt utique ipsorum conatus ob id etiam utiles, quod Catholicis viam probabilem ostendant evadendi ab Hæreticorum argumentis; sed quoniam & hæ sententiæ gravibus sunt obnoxiæ difficultatibus, ut ostensum est superiore Tractatu, & aliunde necessitas non apparet illis utendi, consultius esse videtur confugere ad imperfectam nostram cogitandi rationem, & ad altitudinem mysteriorum divinorum: quo posito nec nos (si rationem tantum naturalem sequamur) poterimus ostendere non adesse contradictionem, nec poterit adversarius ostendere illam adesse, sed omnes tenebimur fateri nos nescire quomodo hæc fiant. Cum autem nos Fide doceamur rem ita esse, consequenter infallibili divino testimonio docemur nullam adesse in hoc contradictionem, undecumque postea hæc impediatur, quod sufficit, ut certo nos possimus rei asserere veritatem, adversarius non possit ostendere falsitatem.

ARTICULUS SECUNDUS.

Ex dictis patet nobis non suppetere rationes naturales evidenter ostendentes mysterium Trinitatis esse impossibile. Sed neque suppetunt rationes naturales evidenter probantes illud esse aut possibile aut actuale, quod pariter ex dictis facile est colligere; cum enim hoc sit longe excedens captum intellectus nostri, nequit idem intellectus sibi relictus ullam evidentem rationem adinvenire, qua probet, adeoque cognoscat illud aut esse possi-

possibile aut de facto existere. Ex quo eruitur mysterium istud non posse a nobis naturali lumine attingi aut positive probari, quamvis probari possit negative, solvendo scilicet difficultates in contrarium modo supra explicato.

DISSERTATIO II.

De iis, quæ generaliter spectant ad divinas Personas.

DIssertationem hanc in quatuor capita divido. In 1. agam de divinis processionibus: in 2. de divinis relationibus: in 3. de divinis personalitatibus in genere: in 4. de appropriatione, æqualitate, circuminsessione, notionibus, & missionibus divinarum Personarum.

CAPUT PRIMUM.

De divinis Processionibus.

OStendam 1. dari in Deo processiones: 2. examinabo quot sint: 3. quodnam sit illarum principium: 4. examinabo conditionem harum processionum: 5. quodnam sit objectum cognitionis, qua Pater Filium producit, & amoris, quo Pater & Filius producunt Spiritum S.

ARTICULUS PRIMUS.

Assertio prima. *Dantur in Deo processiones reales unius Personæ ab altera*. Est de Fide.

Prob. ex Scripturis. Christus dicit (a) *Ab ipso* (idest a Patre) *sum*: rursus (b): *Ego ex Deo processi & veni:* rursus (c): *Exivi a Patre & veni in mundum:* & de Spiritu S. ait (d): *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit &c.* Ergo &c.

Prob. ratione. Prima tantum Persona est improducta: secunda producitur realiter a prima: tertia a prima & secunda, ut infra uberius demonstrabitur. Ergo &c.

Obj. I. Repugnat Personæ divinæ ab altera procedere; sic enim est ab alio, quod de Deo est impossibile, qui est a se.

II. Cum Persona producitur, vel est, vel non est. Neutrum dici potest; nam si est, non indiget produci, si non est, non est æterna. Ergo &c.

℟. Ad I. Deum utique esse a se ratione naturæ, non vero ratione Personæ, quæ ab alio potest originem ducere.

Ad II. ℟. Neque posse simpliciter dici Personam divinam esse, cum producitur, neque non esse. Non primum, quia non intelligitur existere ante sui productionem: non secundum, quia ab æterno extitit. Cum ergo producitur, est & non est secundum diversos respectus, est scilicet, quia ab æterno existit, non est quia illius productio est in signo priore ad existentiam: quæ duo concilientur, si advertatur productionem esse æternam, unde nil mirum si ab æterno extiterit Persona producta, cujus tamen existentia, cum sit veluti effectus productionis, hæc dicitur haberi in signo priore ad illam. Hoc exemplo utcumque declarari potest. Fingamus solem ab æterno extitisse: ab æterno etiam tunc produxisset lumen. Fac ergo, ut quis ita argumentetur. Cum lumen producitur, vel

(a) *Jo.* 7. (b) *Jo.* 8.
(c) *Jo.* 16. (d) *Jo.* 15.

vel eſt, vel non eſt: neutrum dici poteſt; nam ſi eſt, non indiget produci, ſi non eſt, non eſt æternus. Ergo &c. Reſponderes utique lumen ſemper fuiſſe in ſe, non autem ſemper fuiſſe in ſigno priore ad productionem; ita proportionaliter in caſu.

Assertio secunda. *Hæ proceſſiones ſunt ad intra*. Eſt de Fide.

Prob. ex Scriptura; nam dicitur: *Verbum erat apud Deum .... Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit* (a): Rurſus Chriſtus: *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* (b) Quid enim aliud ſonant illa: *Verbum erat apud Deum: eſt in ſinu Patris: ego in Patre, & Pater in me eſt*, niſi hanc intraneitatem proceſſionum?

Prob. ratione. Perſonæ productæ habent eamdem naturam cum producentibus, & principia iſtarum proceſſionum, nempe intellectus & voluntas ſunt identificata cum divina natura. Ergo &c.

Hæ tamen proceſſiones non ſunt proprie tanquam *a cauſa*, ſed tanquam *a principio*; *cauſa* enim ſignificat illud principii genus, quod dat eſſe rei potenti non eſſe: nulla autem divina Perſona etſi producta poteſt non eſſe, cum quælibet ſit ex ſe determinatiſſima, ut ſit, adeoque ſit neceſſario: unde, ut exiſtat rigoroſe loquendo Perſona procedens non indiget Perſona producente, ſed exiſtentiam habet ex determinatione proprii eſſe, quod neceſſario in ipſa exiſtit procedendo, in alia exiſtit neceſſario producendo, ita ut ſicuti Filius E. G. non poteſt eſſe ſine Patre ut principio, ita Pater non poſſit eſſe ſine Filio ut termino immanenter producto. Græci tamen nomen *cauſæ* adhibent, quia ipſi per *cauſam* id unum intelligunt, quod nos nomine *principii*.

Rurſus proceſſiones divinæ nullam important in Perſona producente prioritatem reſpectu Perſonæ

(a) *Jo.* 1. (b) *Jo.* 14.

næ productæ vel *temporis* (cum omnes Personæ sint æternæ, vel *naturæ* (quia una, ut dixi, non est causa alterius,) vel *dignitatis* (cum omnes divinæ Personæ sint dignitate æquales,) sed important solum prioritatem *originis* in hoc consistentem, quod una Persona sit origo & fons alterius.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *Duæ sunt in Deo processiones, nec plures, nec pauciores*. Est de Fide.

Prob. I. Duæ nec plures, nec pauciores sunt in Deo Personæ productæ, nempe Filius & Spiritus S. Ergo &c. II. Duæ, nec plures, nec pauciores sunt in Deo facultates productivæ, nempe intellectus & voluntas, quarum prima producit Verbum, secunda Spiritum S., & quidem ita ut per unicam productionem singulæ exhauriantur, ita ut posito, quod Pater intelligendo produxerit Filium, impossibile sit, ut vel ipse, vel alia Persona divina alium Filium producat: & posito, quod Pater & Filius spirando produxerint Spiritum S., impossibile sit, ut alius Spiritus S. producatur.

Obj. pro unica processione. Una processione tota communicatur natura, &, ut ita dicam, tota exhauritur. Non ergo relinquitur locus alteri productioni.

℟. Per primam quidem processionem totam communicari naturam, sed non communicari totaliter, idest omni modo, quo potest communicari; postquam enim sic est communicata, remanet alius modus, quo communicetur.

Obj. pro pluribus processionibus quam duabus I. Præter recensitas dantur etiam omnes processiones attributorum & personalitatum ab essentia.

II. Non est cur Verbum non possit aliud Verbum producere, & Spiritus S. alium Spiritum S.; ut enim non obstante, quod vis spirativa in Patre exhauriatur per productionem Spiritus S., adhuc potest hæc vis Filio communicari, ita non obstante, quod vis productiva Verbi exhauriatur per productionem secundæ Personæ, poterit tamen hæc eadem

dem vis ipsi secundæ Personæ communicari, sicque hæc poterit aliud Verbum producere: & pariter non obstante, quod vis productiva Spiritus S. sit exhausta per productionem ipsius, poterit ipsi Spiritui S. communicari, sicque hic poterit alium Spiritum S. producere. Ergo &c.

℟. Ad I. attributa & personalitates ab essentia non emanare tanquam a principio realiter productivo, & per emanationem realem, sed solum per emanationem metaphysicam, eo proportionaliter modo, quo ab essentia metaphysica hominis emanant ipsius proprietates. Attributorum ergo & personalitatum emanatio ab essentia non est processio, ut processio hic sumitur, nempe pro vera & physica origine, sicque ex tali emanatione non multiplicantur processiones.

Ad II. ℟. Vim productivam alterius Verbi non posse communicari secundæ Personæ, aut vim productivam alterius Spiritus S. communicari tertiæ, licet quæ in Patre est vis spirativa Filio communicetur, cum enim sic communicatur, nondum intelligitur exhausta per productionem Spiritus S., utpote quæ est in signo posteriori ad productionem Filii, in qua ipsi Filio communicatur vis spirativa. Aliis autem casibus in objectione adductis vis productiva Verbi & Spiritus S. communicarentur, postquam essent exhaustæ. Ergo &c.

ARTICULUS TERTIUS.

Divinarum processionum duplex est principium, *quod* & *quo*. Principium *quod* est Persona producens: principium *quo* est forma, qua agit. Et hoc aliud est *proximum*, aliud *remotum*: illud est, per quod Persona immediate operatur, hoc autem est, per quod Persona operatur tantum mediate.

Horum principiorum exemplum utcumque potest cerni in homine intelligente; in hoc enim principium *quod* est ipse homo, principium quo remotum est anima, proximum est intellectus.

Est

Est autem apud omnes certum, principium *quod* divinarum processionum esse Personam, quæ aliam producit. De principio *quo* tum proximo tum remoto est controversia. Durandus censet principium *quo totale* divinarum processionum esse naturam, ut natura est, non ut est præcise intelligens & volens: censent alii hoc principium totale esse solas relationes originis: alii volunt principium *quo* remotum esse naturam, proximum vero intellectum & voluntatem, quatenus hæ facultates dicunt ordinem ad relationes originis. Ab hac sententia parum recedunt Scotistæ volentes intellectum & voluntatem, quæ sunt principia divinarum processionum, non esse easdem facultates quatenus sunt essentiales; nam sic sunt omnibus Personis communes, sed quatenus sunt notionales, quatenus scilicet sunt aliquarum Personarum propriæ, sicque dicunt intellectum, quo Filius producitur, non esse intellectum qua præcise intelligentem, sed qua dicentem, qui solum convenit Patri; & voluntatem, qua producitur Spiritus S., non esse voluntatem qua præcise amantem, sed qua spirantem, quæ tantum convenit Patri & Filio. Quid ipse sentiam sequentibus assertionibus declarabo.

Assertio prima. *Principium quo totale divinarum processionum non est præcise natura, ut vult Durandus.*

Prob. I. Hoc admisso non posset reddi ratio, cur processio Filii esset diversæ rationis a processione Spiritus S., cum in hypothesi ambo a Patre eodem modo procederent. II. Filius est verbum, Spiritus S. est amor. At verbum & amor non producuntur per naturam qua talem, sed per naturam qua intelligentem & volentem, sive per intellectum & voluntatem. Ergo &c.

Obj. ex Patribus. I. alii dicunt generationem Filii esse opus divinæ naturæ: ita S. Cyrillus Alexandrinus inquiens (a), *Generativam virtutem esse essentiæ divinæ*. II.

(a) *Lib.* I. *Thesaur. cap.* 6.

II. Alii dicunt esse in Deo essentiam generantem & genitam, ut Patres Concilii Toletani XV. dicentes: *Filius Dei de essentia Patris natus est, essentia de essentia, sicut natura de natura, & substantia de substantia*. Ergo &c.

℟. Ad I. Patres tunc non assignare principium *quo* divinarum processionum, sed solum contendere Filium esse natura consubstantialem Patri, & Deum verum de Deo vero: vel assignare solum principium *quo* remotum, quod est natura, cum hæc sit radix intellectus & voluntatis, in quibus remotum principium consistit, ut uberius infra.

Ad II. ℟. ibidem vel sumi essentiam pro Persona habente essentiam, ita ut asseratur Personam, quæ habet essentiam divinam, generare aliam Personam, quæ eandem habet essentiam, vel id asseri in sensu identico, non formali, quatenus scilicet Persona idem est realiter cum natura quamvis non sit generans, aut genita præcise qua natura est.

Obj. ex ratione I. Processiones divinæ sunt naturales. Ergo debent recognoscere ut ipsarum principium naturam.

II. Si a natura divina præscindantur per mentem intellectus & voluntas, adhuc ipsa intelligitur fœcunda. Ergo ipsa per se est principium divinarum processionum.

℟. ad I. processiones divinas esse naturales hoc sensu, quod sit intrinseca naturæ divinæ communicabilitas pluribus Personis, & quod non sint liberæ iisdem, non vero hoc sensu, quod principium divinarum processionum sit ipsa natura præcise considerata ut natura.

Ad II. ℟. naturam divinam præscindendo ab intellectu & voluntate nullam habere fœcunditatem, nisi radicalem & remotam consistentem in hoc, quod sit radix & fundamentum ipsius intellectus & voluntatis.

Assertio secunda. *Solæ relationes originis non sunt principium* quo *divinarum processionum*.

Prob.

Prob. I. Ita explicato principio divinarum processionum, non potest reddi ratio, cur Filius procedat ut verbum, ut sapientia &c., & Spiritus S. ut amor; verbum enim & sapientia dicunt essentialem ordinem ad intellectum, amor ad voluntatem, quas facultates dicta explicatio non attingit. II. Relationes originis potius spectant ad principium *quod*, quam ad principium *quo*. Et in hoc sensu explicandæ sunt aliquæ Patrum locutiones, quæ solent in contrarium objici.

ASSERTIO TERTIA. *Principium* quo *remotum divinarum processionum est natura non præcise ut natura est, sed ut est intelligens & volens: proximum vero est connotatio, quam habet intellectus & voluntas ad relationem originis Personæ producentis.*

Prob. Hoc posito & salvantur locutiones Patrum assignantium tanquam principium divinarum processionum modo naturam, modo intellectum & voluntatem, modo relationem originis Personæ producentis: & intelligitur quomodo Filius procedat ut verbum, dum procedat per intellectum, Spiritus S. ut amor, cum procedat per voluntatem: & quomodo intellectus & voluntas licet communes omnibus personis non tamen sint in omnibus principia processionum, cum non in omnibus connotent eamdem relationem originis.

Hæc etiam assertio coincidit cum sententia Scoti; nam intellectus, prout est productivus in Patre, non præcise intelligit, sed etiam dicit, & voluntas prout est productiva in Patre & Filio non præcise amat, sed etiam spirat.

Obj. ex ratione. Relatio originis Personæ producentis est posterior productione, nam productione acquiritur, ut E. G. Paternitas acquiritur generatione activa. Ergo & connotatio ad illam productione est posterior. Si hoc, non potest esse principium divinarum processionum; nam sic esset illis anterior. Ergo &c.

℟. Relationem originis Personæ producentis spectari posse tum incomplete & in actu primo, tum complete & in actu secundo: sicque E. G. Pa-

Paternitas spectari potest tum incomplete & in actu primo, quatenus scilicet dicit ipsam præcise potentiam generandi, tum complete & in actu secundo, quatenus dicit denominationem ortam ex ipsa generatione actu habita. Juxta primum respectum est prior generatione, juxta secundum posterior. Modo connotatio in casu illam respicit potius in actu primo quam secundo. Ergo &c.

ARTICULUS QUARTUS.

Assertio. *Ex duabus divinis processionibus prima est vera generatio, altera non Est de Fide.*

Prob. ex Scripturis. Secunda Persona procedit a prima ut Filius; nam de ea dicitur: (a) *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, & rursus: (b) *In splendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te*. Hoc autem nunquam dicitur de Spiritu S. Ergo &c.

Prob. ex Symbolo vulgo S. Athanasii; nam ibi de Filio dicitur esse *Deum ex substantia Patris ante secula genitum*: de Spiritu autem S. dicitur ipsum *a Patre & Filio non esse factum, nec creatum, nec genitum, sed procedentem*.

Quæritur a Theologis quare prima, non secunda processio sit generatio. Quæstionis adeo difficilis est solutio, ut aliqui Patres asseruerint hoc non esse curiosius quærendum, sed solum credendum. Ita S. Cyrillus Hierosolymitanus: (c) *Quod Deus quidem Filium habeat crede, quomodo autem, ne sis curiosus:* & alii asseruerint se hoc penitus ignorare, ut S. Augustinus dicens: (d) *Distinguere inter illam generationem & hanc pro-*

(a) *Psalm*. 2. (b) *Psalm.* 109.
(c) *Catech.* 11.
(d) *Lib.* 2. *contr. Maximin. cap.* 14.

processionem nescio, non valeo, non sufficio. Sane cum agitur contra Hæreticos, consultius videtur sistere in Fide docente primam processionem esse generationem, secus secundam, nec ultra progredi. Nil tamen vetat, ne extra hunc casum aliquæ exquirantur rationes hujus discriminis, quo res, quantum fieri potest, declaretur.

Sunt itaque circa hoc variæ sententiæ. Inter præcipuas prima est Riccardi dicentis Verbi processionem esse generationem, quia Verbum per ipsam accipit fœcunditatem & vim communicandi eandem naturam alteri Personæ, quod non contingit in processione Spiritus S.; posita enim, inquit, hac fœcunditate jam Filius, cum habeat omnia, quæ habet Pater excepta Paternitate, est illi perfecte similis, & ejus perfectissima imago, adeoque Filius.

Secunda est aliorum docentium ideo processionem Verbi esse generationem, quia Verbum procedit per intellectionem, in qua per ipsos consistit essentia Dei metaphysica, quod non verificatur de Spiritu S.

Tertia est sententia S. Thomæ docentis ideo Verbi processionem esse generationem, quia est formaliter assimilativa Verbi suo principio. Cum hac sententia, utpote quæ vel magis aliis expedita videtur, vel minoribus saltem obnoxia difficultatibus, sit

Assertio. *Ideo probabilius Verbi productio est generatio, non autem productio Spiritus S., quia Verbum procedit modo formaliter assimilante ipsum cum Patre, secus Spiritus S.*

Prob. assertio simulque explicatur. Generatio est origo viventis a vivente mediante principio conjuncto in similitudinem naturæ, & quidem formaliter ex vi suæ processionis: ut scilicet habeatur generatio, debet vivens oriri ab alio vivente, ita ut hoc illi communicet aliquid de sua substantia, illud faciat sibi simile in natura & quidem modo de se hanc similitudinem producente.

Porro

Porro quamvis secunda & tertia Persona oriantur a prima tanquam viventes a vivente mediante principio conjuncto, & sint ipsi similes in natura, modus tamen, quo procedit Verbum, est per se assimilativus ipsius Verbi primæ Personæ, secus modus, quo procedit Spisitus S.; Verbum enim procedit per intellectum, qui, cum aliquid concipit, in se efformat imaginem rei conceptæ: unde cum Pater concipit semetipsum, efformat sui imaginem, quæ hoc habet peculiare, quod sit substantialis, & constituat aliam Personam, quæ est Verbum. E contrario Spiritus S. procedit per voluntatem, quæ ex se solum tendit in objectum suum, vel illud sit tendenti simile, vel non. Unde licet Spiritus S. sit Patri similis, talis tamen non est vi modi, quo ipsi communicatur natura; sed tantum vi naturæ communicatæ, quæ, cum sit eadem in omnibus Personis, similes illas facit: cæterum modo per se spectato est, ut sic dicam, accidentalis similitudo, quæ ipsum inter & Patrem intercedit, adeoque attento hoc modo Spiritus S. est Patri similis materialiter, ut sic dicam, & in facto esse, non formaliter, & in fieri. Ergo &c.

Modus hic explicandi discrimen utriusque processionis videtur non displicuisse aliquibus Patribus, & nominatim Augustino, qui ait: (a) *Eo Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius.*

ARTICULUS QUINTUS.

Noto I. unicam in Deo reperiri cognitionem, qua attingit essentiam, attributa, personalitates, & creaturas tum possibiles, tum existentes: unde cum Pater producat Verbum per cognitionem, producit per cognitionem, quæ ad hæc omnia terminatur. Sed quæstio hic non est de cognitione spectata in sensu identico: quæstio est circa cogni-

(a) *Lib. 7. de Trinit. cap. 2.*

gnitionem spectatam in sensu formali, ad quæ scilicet hæc debeat terminari necessario, ut sit productiva, ad quæ vero terminetur, ut sic dicam, concomitanter & per accidens

Noto 2. certum esse apud omnes Verbum procedere ex cognitione, qua Pater attingit divinam essentiam & attributa. Controvertitur autem utrum procedat etiam ex cognitione personalitatum, creaturarum possibilium & existentium. Alii volunt Verbum procedere tantum ex cognitione essentiæ & attributorum; alii ex cognitione etiam Personarum & creaturarum possibilium: alii etiam ex cognitione creaturarum existentium. Sit ergo

Assertio. *Probabilius Verbum divinum a Patre procedit per cognitionem non solum essentiæ & attributorum, sed etiam personalitatum & creaturarum possibilium, non autem creaturarum existentium.*

Prob. Verbum procedit ex cognitione perfectissima & comprehensiva divinæ essentiæ. Atqui hæc exigit etiam cognitionem personalitatum (cum hæ radicentur in essentia) & creaturarum possibilium, quas necessario respicit divina omnipotentia, Ergo &c.

Cum autem dico Verbum procedere ex cognitione personalitatum, non id dico de cognitione illarum ut in priori productarum, sed solum ut necessario producendarum in signo posteriore ad illarum cognitionem. Cum enim cognitio personalitatum sit illarum productiva, nequit earumdem productio intelligi, nisi in posteriori ad illarum cognitionem; nam non ideo Pater cognoscit personalitates Filii & Spiritus S., quia hæ intelliguntur esse, sed potius hæ intelliguntur esse, quia Pater illas cognoscit: unde juxta nostrum concipiendi modum cognitio personalitatum est abstractiva, quamvis considerata re in se debeat dici intuitiva, cum eodem instanti, quo Pater illas cognoscit, hæ existant, & sint Patri præsentes. Ex quo etiam patet Verbum procedere tum ex cognitione Patris, tum ex cognitione sui ipsius, ita tamen ut prima sit activa, secunda passiva.

Pari-

Pariter cum dico Verbum procedere ex cognitione creaturarum possibilium, non id dico de illis ut præcise creatæ sunt, sed ut necessario connectuntur cum omnipotentia, quæ illas valet producere. Unde si per impossibile posset perfectissime & comprehensive cognosci omnipotentia, quin illæ cognoscerentur, tunc Verbum non procederet ex cognitione earumdem.

Hæc autem non valent de creaturis existentibus; nam hæ non sunt necessario connexæ cum omnipotentia aut alio divino attributo; unde sicuti potuisset Deus illas non creare, ita potuisset nunquam cognoscere illarum existentiam, quod ostendit cognitionem, quam de illis habet, esse contingentem. Ex tali autem cognitione produci nequeunt divinæ personalitates.

Quod dictum est de cognitione productiva Verbi, proportionaliter dicatur de amore productivo Spiritus S..

CAPUT SECUNDUM.

De Divinis Relationibus.

OStendam hic I. dari in Deo relationes: 2. assignabo quot sint relationes reales originis: 3. examinabo an hæ sint de ratione divinæ essentiæ: 4. utrum sint perfectiones: 5. agam de illarum distinctione.

ARTICULUS PRIMUS.

Assertio. *Dantur in Deo relationes reales.* Est de Fide.

Prob. I. Dantur in Deo tres Personæ realiter distinctæ, Pater, Filius, & Spiritus S.. Ergo dantur relationes reales; nam per illas Pater realiter refertur ad Filium, Filius ad Patrem &c. II. datur in Deo id, per quod una Persona distinguitur ab alia. Sed id sunt relationes reales; nam Personæ non possunt a se invicem distingui per absoluta, cum hæc in omnibus eadem sint, & præ-

terea

terea juxta vulgatum Theologorum axioma, *in divinis omnia sunt idem, ubi non obviat relationis oppositio.* Ergo &c.

Obj. ex ratione I. Relatio realis supponit extrema a se invicem realiter distincta. Tales non sunt relationes divinæ; nam hæ non supponunt distinctionem, sed illam causant. Ergo &c.

II. Relationes non possunt realiter dici de subjecto, nisi aut ratione substantiæ aut accidentis. Sed neutro modo dici possunt de Deo; nam si dicerentur ratione substantiæ, efficerent distinctionem in substantia: si ratione accidentis, supponerent in Deo accidentia. Ergo &c.

℟. ad I. distinguendo majorem: in creatis concedo, in divinis nego; relationes enim creatæ, cum sint accidentia, non faciunt, sed supponunt subjectum, at relationes divinæ non sunt accidentia, sed substantiæ, quæ non supponunt subjectum, sed efficiunt.

Ad II. ℟. relationes divinas de Deo quidem dici ratione substantiæ, sed consideratæ ut modificatæ respectu, quem habet una Persona ad aliam, non consideratæ absolutæ: unde nullam distinctionem efficiunt in substantia considerata secundum esse absolutum, quamvis illam efficiant in substantia considerata ut modificata respectu, quem una Persona dicit ad aliam; natura enim sic modificata est tandem Persona, quæ realiter ab alia Persona distinguitur.

Hæ autem relationes nullam in divinis Personis important dependentiam ab invicem per modum causæ, ut supra dixi, sed dependentiam ad summum cognitionis, habitudinis, & connexionis, & per modum simplicis termini, quatenus scilicet non potest esse, aut intelligi unum relativum, quin aliud quoque intelligatur.

AR-

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *Quatuor sunt in* Deo *relationes reales originis*. Est de Fide.

Prob. Duæ sunt in Deo ex supra visis processiones. Ad singulas duæ requiruntur relationes; nam ad processionem Filii a patre requiritur relatio *paternitatis*, & *filiationis*, ad processionem Spiritus S. a Patre & Filio requiritur relatio *spirationis activa* & *passiva*. Hæ relationes sunt originis; nam per Paternitatem Pater dicit relationem ad Filium ut producens, per Filiationem Filius ad Patrem ut procedens: Pater & Filius ad Spiritum S. ut producentes per spirationem activam: & Spiritus S. ad Patrem & Filium ut productus per spirationem passivam. Ergo &c.

Obj. Posita quaternitate relationum non salvatur Trinitas. Ergo &c.

℟. Salvari; nam quælibet ex illis est realiter identificata cum natura, & spiratio activa cum paternitate & filiatione. Quod ut melius intelligatur.

Observo divinas relationes posse comparari ad essentiam, & ad se invicem. Si primum, nullam habent ab essentia distinctionem realem: si secundum, sunt distinctæ realiter tantum illæ, quæ ad se invicem habent respectum, adeo ut illarum extrema sint correlativa, sicque paternitas est quidem realiter distincta a filiatione, sed non a spiratione activa. Pariter filiatio est quidem realiter distincta a paternitate, sed non a spiratione activa, a qua est realiter distincta spiratio passiva. Ergo &c.

ARTICULUS TERTIUS.

Assertio. *Hæ relationes qua tales non sunt de intrinseca ratione essentiæ divinæ præcise qua talis*.

Dictum est relationes *qua tales* non esse de intrinseca ratione essentiæ *qua talis*, ut deno-

tetur primo relationes hic non sumi in sensu identico & materialiter, quo modo sunt identificatæ cum essentia, sicque sunt de illius intrinseca ratione: secundo essentiam hic sumi præcise, ut essentia est, constituens scilicet Deum in esse Dei; nam si consideraretur ut est necessario in tribus suppositis, relationes essent de intrinseca ratione illius.

Prob. ergo assertio ex Conciliis. I. Lateranense IV. definit (a) *sine ulla diminutione Filium nascendo substantiam Patris accepisse*, quod esset falsum, si relationes essent de ratione essentiæ; nam cum Filius non accipiat a Patre paternitatem, acciperet essentiam diminutam. II. Toletanum XI. inquit: (b) *Cum dicitur Deus, non ad aliquid dicitur*. Ergo non est de intrinseca ratione essentiæ, quæ Deum constituit, relatio.

ARTICULUS QUARTUS.

Noto quæstionem esse utrum divinæ relationes dicant perfectionem. Hæc quæstio non fit de relationibus spectatis identice, sive ut identificantur cum natura, & juxta Theologicam phrasim secundum *esse in*; ita enim spectatæ certe sunt perfectiones, sed spectatis formaliter & reduplicative ut tales sunt, seu secundum *esse ad*. Hoc posito sit.

Assertio. *Relationes divinæ formaliter spectatæ sunt perfectiones*.

Prob. ex Patribus I. Damascenus relationes vocat (c) *perfectiones personales*. II. S. Cyrillus inquit: (d) *Pater est perfectus non solum quia Deus, sed etiam quia Pater*: & alibi: (e) *Non potest esse perfecta deitas, nisi Filium habeat*, &

(a) *Cap.* Firmiter. (b) *In confess. Fidei.*
(c) *Lib.* 1. *de Fide cap.* 11.
(d) *Lib.* 1. *Thesaur. cap.* 6.
(e) *Lib.* 2. *Thesaur. cap.* 1.

& fructum ex se pariat. Si ergo natura sine relationibus esset imperfecta, relationes illam perficiunt, adeoque ipsæ sunt perfectiones.

Prob. ratione. I. relationes radicantur in essentia & ab illa profluunt ut proprietates. Quomodo autem ab essentia infinite perfecta profluerent proprietates, quæ perfectionem non dicerent? II. relationes sunt objectum amoris divini, qui in illas fertur, illasque vult, etiam prout virtualiter distinguuntur ab essentia. Ergo &c.

Obj. ex Patribus. S. Augustinus ait: (a) *Filius sicut in se ipso dicitur Filius, quod non cum Patre dicitur, sed ad Patrem, non sic & in se ipso magnus, sed cum Patre*. Magnitudo ergo ex S. Augustino, adeoque perfectio non competit Filio sine Patre, sed solum cum Patre. Ergo non ratione filiationis, qua Filius consideratur seorsim a Patre, sed solum ratione essentiæ, qua consideratur simul cum Patre, est perfectus, adeoque relatio ex se non est perfectio.

℟. S. Augustinum pro *magnitudine* intelligere perfectiones absolutas, quæ Filio nonnisi cum Patre conveniunt; regula enim generalis est, ut, cum nomen indifferens est ad significandam vel essentiam vel relationes, semper, nisi aliquid obstet, intelligatur pro essentia, quia hæc est radix totius divinæ perfectionis. Nihil obstat in casu. Ergo &c.

Obj. ex ratione. Posita supradicta assertione sequitur I. unamquamque Personam aliqua carere perfectione, nimirum perfectione relativa alterius Personæ,

II. Plus esse perfectionis in Persona, quam in essentia præcise sumpta.

III. In Deo esse plures perfectiones realiter distinctas: quæ omnia sunt absurda. Ergo &c.

℟. Ad I. non esse absurdum, quod una Persona careat perfectione relativa alterius, primo

 quia

(a) *Lib. 6. de Trin. cap. 2.*

quia perfectio relativa unius Personæ respectu alterius esset imperfectio: secundo quia una Persona continet perfectiones alterius tum virtualiter & per circuminsessionem, quia participat de eadem essentia, cui omnes perfectiones relativæ identificantur, tum æquivalenter, quia propria perfectio relativa æquivalet perfectioni relativæ alterius

Ad II. ℟. ex assertione solum sequi diverso modo perfectiones relativas esse in essentia, ac sint in Personis; in his enim sunt formaliter, in illa solum radicaliter.

Ad III. ℟. non esse absurdum admittere in Deo plures perfectiones realiter distinctas, dummodo relativæ sint, ut absurdum non est admittere in Deo plures Personas realiter distinctas.

ARTICULUS QUINTUS.

Duo hic possunt inquiri: 1. an & quomodo relationes ab essentia distinguantur: 2. an & quomodo distinguantur inter se. De primo actum est antecedente Tractatu. Quoad aliud sit,

Assertio prima. *Non omnes relationes distinguuntur inter se realiter*. Est de Fide.

Prob. Spiratio activa non distinguitur realiter a paternitate & filiatione. Ergo &c.

Assertio secunda. *Illæ omnes & solæ relationes distinguuntur inter se realiter, quæ inter se mutuo opponuntur*.

Prob. Relationes, quæ inter se opponuntur, sunt solum paternitas, quæ filiationi, & spiratio activa, quæ spirationi passivæ opponitur. Atqui paternitas distinguitur realiter a filiatione, spiratio activa a passiva, & præter has nullæ aliæ realiter distinguuntur. Ergo &c.

Quæ objici solent soluta sunt, cum de possibilitate mysterii Trinitatis ageretur.

CA-

CAPUT TERTIUM.

De Divinis Perſonalitatibus in genere.

OStendam hic 1. quomodo ſint in Deo tres perſonalitates, & in quo ipſæ conſiſtant: 2. examinabo illarum conſtitutivum: 3. quæram an in Deo ſit ſubſiſtentia abſoluta.

ARTICULU PRIMUS.

Quod ſupra dictum eſt, perſonalitatem importare, ut natura intellectualis non ſit alteri communicata, ita eſt intelligendum, ut non ſit communicata quatenus tali determinato complemento completa eſt & conſtituta in ratione talis Perſonæ, quidquid poſtea ſit, utrum ſit communicata ſecundum aliud complementum. Hinc licet E. G. natura divina ſimul cum paternitate conſtituat Perſonam Patris, poteſt tamen communicari etiam alteri, & alteram Perſonam conſtituere non deſtructa priori perſonalitate, quia licet communicetur alteri, non tamen communicatur, quatenus paternitate completa erat. Cum autem triplex poſſit eſſe & ſit de facto in divinis complementum: triplex etiam poteſt eſſe & eſt de facto Perſona.

Divinas perſonalitates in aliquo poſitivo conſiſtere videtur innegabile; abſurdum enim eſt divinas perſonas formaliter tales conſtitui per negationem. Præterea cum in Chriſto humanitas fuerit directe unita perſonalitati Verbi, ſi hæc in negatione conſiſteret, eadem humanitas eſſet dicenda unita meræ negationi, quod nefas eſt dictu. Ad ſummum ergo dici poteſt divinas perſonalitates conſiſtere in negatione ſecundario.

ARTICULUS SECUNDUS.

In divinis perſonalitatibus conſiderari poteſt conſtitutivum, ut ſic dicam, materiale, & for-

male. De materiali nulla est quæstio; hoc enim est natura, quæ ideo dicitur constitutivum materiale, quia est de se indifferens ad constituendam vel unam Personam vel aliam. De formali res non est adeo explorata, est tamen communior sententia, quod istud consistat in ratione aliqua relativa. Igitur juxta hanc sit.

ASSERTIO. *Constitutivum formale divinarum personalitatum sunt non rationes absolutæ, sed relativæ.*

Prob. ex Patribus. S. Augustinus loquens de divinis Personis ait: (a) *Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt;* idem enim est constitutivum distinctionis numericæ Personarum, & constitutivum formale earumdem. Cum ergo ex Augustino primum sit relatio, jam erit etiam secundum.

Prob. ratione. Persona divina nequit formaliter constitui per id, quod est commune omnibus tribus Personis. Ergo non per aliquid absolutum. Si hoc, constituitur per relativa, cum in divinis nihil sit nisi absolutum & relativum. Ergo &c.

Obj. ex Patribus. Augustinus ait: (b) *Non aliud est Deum esse, aliud Personam esse, sed omnino idem; nam si esse ad se dicitur, persona vero relative, sic dicamus tres Personas Patrem & Filium & Spiritum S., quemadmodum dicuntur aliqui tres amici aut tres propinqui aut tres vicini quod sint ad invicem, non quod unusquisque eorum sit ad seipsum . . . Quocirca ut substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est, ita & Persona Patris non aliud, quam ipse Pater est: ad se quippe dicitur Persona non ad Filium vel Spiritum S., sicuti ad se dicitur Deus & magnus, & bonus, & justus, & si quid aliud hujusmodi.* Hic dicit Augustinus

(a) *Tract.* 39. *in Joan.*
(a) *Lib.* 7. *de Trin. cap.* 6.

nus eodem modo Deum constitui in esse Personæ, quo constituitur in esse Dei magni, & boni &c., Personam non dici ad aliud, sed ad se, non ita se habere, ut amicus vicinus &c. ad amicum vicinum &c. Hæc omnia indicant rationem Personæ in Deo non constitui per aliquid relativum. Ergo &c.

Ante responsionem prænoto ex S. Thoma Personam divinam (a) unum significare formaliter, aliud materialiter. Formaliter significat aliquid in natura subsistens: cum autem hoc subsistens nequeat haberi nisi per relationem, ideo materialiter hæc relatio per Personam denotatur. Quod idem est ac si dicatur Personam divinam significare relativum non per modum relativi, sed per modum substantiæ subsistentis. Hoc posito

℟. S. Augustinum sumere Personam in significatione formali, quo sensu, cum sonet aliquid absolutum, dicitur ad se, ut dicitur Deus magnus bonus, & non dicitur ad aliud, ut dicuntur tres amici &c. Sed aliud est, quod nomen *persona* formaliter importet aliquid absolutum, aliud, quod constituatur tale per aliquid absolutum: prius illud est, quod vult Augustinus, posterius est, quod contendit assertio, nec Augustinus contradicit.

Hic tamen noto peculiarem esse difficultatem in explicando, quomodo prima Persona constituatur in esse Personæ per relationem, quæ difficultas non militat pro aliis duabus; nam hæ, cum non debeant esse constitutæ in esse Personæ pro signo antecedenti ad illarum processionem, facile intelligitur quomodo per relationem, quæ ex illarum processione resultat, in esse Personæ constituantur. At Pater videtur præintelligendus constitutus in esse Personæ pro signo antecedente actum producendi alias Personas, cum hic actus

 de-

(a) *Quæst. 9. de potes. Art. 4.*

debeat in Personam jam constitutam refundi. Ad hanc difficultatem tollendam aliqui volunt Patrem constitui in esse Personæ non per paternitatem, sed per innascibilitatem: alii per præcisam incommunicabilitatem alteri tamquam supposito: alii distinguentes constitutivum Patris in esse præcisæ Personæ ab illius constitutivo in esse talis Personæ, volunt prius consistere in paternitate, ut est præcise *forma hypostatica*, sub quo respectu est in signo anterior produductione aliarum Personarum; aliud vero in paternitate, ut est relatio ad terminum, sub quo respectu vel est posterior productione aliarum Personarum, vel saltem in eodem signo cum illa.

Ipse duas priores sententias non amplector, quia juxta illas prima Persona constitueretur potius per aliquod absolutum, quam per aliquod relativum, quod ex supra dictis falsum est. Nec amplector tertiam pro prima parte, quia licet juxta illam prima Persona constituatur in esse præcise Personæ per paternitatem, quæ est aliquid relativum, cum tamen hæc consideretur non ut relativum; sed potius ut absolutum (ut scilicet est præcise forma hypostatica), contra hanc sententiam videntur militare, quæ militant contra duas priores.

Melius ergo videtur solvi difficultas dicendo juxta supra attacta primam Personam constitui in esse Personæ per paternitatem non in actu secundo, sed in actu primo consideratam, scilicet non prout actu generat, sed prout proxime potens est generare. Sic enim re explicata & salvatur quod constitutivum primæ Personæ sit aliquid relativum, cum hæc ipsa potentia generandi sit aliquid relativum, & quidem consideratum ut relativum: & salvatur quod antecedenter ad actum generandi Persona Patris sit constituta in esse Personæ, cum constituatur per potentiam generativam, quæ est in signo priori ad actum.

Non omnes autem relationes originis constituunt totidem Personas distinctas; nam spiratio acti-

activa, cum sit communis duobus, nequit singularem Personam constituere.

ARTICULUS TERTIUS.

Quaestio est inter Theologos utrum in Deo praeter subsistentias relativas sit etiam subsistentia absoluta. Affirmant Thomistae, Suarez & alii: negant S. Bonaventura, Juvenin, Tournely aliique. Ipse cum Platelio animadverto hanc quaestionem multum sapere litis de nomine, posse autem ita commode solvi.

Vel nomen *subsistentiae* sumitur stricte & proprie pro complemento naturae substantialis eam terminante, & faciente ipsam incommunicatam alteri, & tunc subsistentia haec absoluta non debet admitti, nam natura divina est communicata divinis Personis, neque in priori ad illas saltem in confuso conceptas quidpiam agit aut ad intra, aut ad extra. Vel nomen *subsistentiae* sumitur minus stricte & proprie pro forma Deo tribuente existere perfectissimum secundum se, aut existere per se independenter ab alio omni ut subjecto sustentante, & tunc in Deo est admittenda subsistentia absoluta, cum hic modus subsistendi singulis Personis conveniat cum essentia, & per ipsam formaliter. Hac posita distinctione facile conciliantur loca Conciliorum & Patrum modo hanc subsistentiam absolutam concedentium, modo negantium.

CAPUT QUARTUM.

De appropriatione, aequalitate, circuminsessione, notionibus, & missionibus divinarum Personarum.

Divisionem capitis titulus ipse praesefert. De singulis ergo propositis ex ordine.

ARTICULUS PRIMUS.

Quod spectat ad *appropriationem*, noto, ut prædicatum omnibus Personis commune uni tantum tribuatur, aliquas requiri congruentias in hoc consistentes, quod tale prædicatum peculiarem habeat ordinem cum esse ejusdem Personæ. Sic potentia tribuitur Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui S. quia potentia peculiarem habet ordinem ad esse Patris, sapientia ad esse Filii, bonitas ad esse Spiritus S.

Hic porro ordo in casu habetur tum ratione similitudinis ad intra, tum ratione dissimilitudinis ad extra. Explico. Si considerentur processiones ad intra, Pater potest producere duas Personas, quas non possunt producere aliæ Personæ: & en quomodo potentia habeat ad esse Patris peculiarem ordinem. Filius est verbum intellectus Patris, qui est sedes sapientiæ: & en quomodo sapientia habeat peculiarem ordinem ad secundam Personam. Spiritus S procedit a Patre & Filio ut amor utriusque: & en quomodo bonitas habeat ad illum peculiarem analogiam, bonitas enim est objectum amoris.

Si vero considerentur res extra Deum, ob dissimilitudinem, quam hæ res habent a divinis Personis, fit pariter, ut dicta prædicata analogiam peculiarem habeant ad illas. Patres scilicet terreni ut plurimum ratione senectutis impotentes evadunt ad operandum: ne quid tale suspicemur in Patre divino, dicitur habere ad illum peculiarem ordinem potentia, quæ illum peculiariter distinguit a patribus terrenis. In filiis terrenis ut plurimum ratione juventutis deficit scientia: ideo ad divinum Verbum dicitur habere peculiarem ordinem sapientia, ut illum a filiis creatis distinguat. Terrenus spiritus violentiam ut plurimum importat: ideo ad Spiritum S. dicitur habere peculiarem ordinem bonitas & suavitas in operando, ut distinguatur a spiritu terreno.

AR-

ARTICULUS SECUNDUS.

Æqualitas Personarum fundatur tum in absolutis, tum in relativis quamvis diverso modo; in absolutis quidem, quatenus hæc eadem sunt in omnibus, & quamvis sub hoc respectu Personæ potius dicendæ essent *eædem* quam *æquales*, salvatur tamen æqualitas per distinctionem realem earumdem: in relativis autem, quatenus una divina Persona continet perfectiones alterius virtualiter, æquivalenter, & per circuminsessionem modo alibi partim explicato, partim statim explicando.

ARTICULUS TERTIUS.

Quæ de *circuminsessione* dicenda sunt, sunt opportunissima ad probandam unitatem essentiæ & pluralitatem Personarum; quia si una Persona existit in altera, sunt ergo plures: rursus hæc mutua coexistentia in nullo alio potest fundari, nisi in identitate naturæ. Ergo &c. Præstat proinde hanc circuminsessionem ex professo probare & vindicare. Sit ergo

Assertio. *Datur in divinis Personis mutua circuminsessio.*

Prob. ex Scripturis. Dicit Christus: (a) *Non creditis quia ego in Patre & Pater in me est?* & paulo post: *Pater in me manens ipse facit opera*, & rursus (b): *Sicut tu Pater in me, & ego in te.*

Prob. ex Patibus. I. S. Augustinus ait: (c) *In illa summa Trinitate tantum est una, quantum tres simul, nec plus aliquid sunt duæ, quam*

(a) *Jo.* 14. (b) *Jo.* 17.
(c) *Lib.* 6. *de Trinit. cap.* 10.

una, & in se infinita sunt. Ita & singula sunt in singulis, & omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia. II. S. Fulgentius ait: (a) *Per hanc unitatem naturalem totus Pater in Filio & Spiritu S. est, & totus Filius in Patre & Spiritu Sancto est, totusque Spiritus S. in Patre & Filio est. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est.* Ergo &c.

Obj. ex ratione. I. divinæ Personæ sunt inter se oppositæ relative. Ergo una non potesr esse in alia

II. admissa circuminsessione Pater haberet in se filiationem, Filius paternitatem, adeoque Pater esset Filius, & Filius Pater. Hoc non. Ergo &c.

℟. ad I. distinguendo antecedens: quoad relationes conceditur, quoad essentiam, in qua fundatur circuminsessio, negatur.

Ad II. ℟. Patrem habere quidem in se filiationem, & Filium paternitatem, sed non per modum proprietatis Personæ suæ, quod sufficit ut Pater non sit Filius, aut Filius Pater.

ARTICULUS QUARTUS.

Notiones divinæ quinque communius assignantur, nempe *innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio activa, & spiratio passiva.* Ratio est quia isti characteres & dignitatem important in Personis, & illis conveniunt in facto esse, & per hos distinguuntur Personæ a se invicem. Ergo &c. Quod isti characteres importent dignitatem, per se patet. Quod conveniant autem Personis in facto esse & ipsum patet, si modo advertas hic paternitatem spirationemque activam, & passivam sumi pro denominatione ortæ ex actu generandi & spirandi. Quod vero his characteribus distinguantur Personæ a se invicem, ostendi-

(a) *De Fide ad Oct. cap.* 1.

ditur. Nam innascibilitate & paternitate distinguitur Pater ab aliis Personis, Filius filiatione, spiratione activa distinguuntur Pater & Filius a Spiritu S., & spiratione passiva distinguitur Spiritus S. ab aliis Personis.

Ex his patet triplici charactere Patrem dignosci, nempe innascibilitate, paternitate, & spiratione activa: duplici Filium, nempe filiatione & spiratione activa: unico vero Spiritum S., nempe spiratione passiva.

Quare quinque communius assignentur notiones nec plures nec pauciores ratio est, quia notiones multiplicantur secundum relationem ad origines, & processiones unius Personæ ab altera, cum nullum sit distinctivum inter ipsas, nisi dependenter a relatione originis. Vel ergo Persona a nullo principio est, ut Pater, & tunc ei convenit innascibilitas, vel ei convenit agnoscere sui principium, & hoc potest dupliciter evenire, nimirum per hoc, quod Persona generetur, vel per hoc, quod spiretur. Si Persona generatur, ut accidit Filio, tunc duplex notio exurgit, una in Persona generante, quæ est Pater, cui proinde alia convenit notio præter innascibilitatem nimirum paternitas, altera in genita, quæ est Filius, cui proinde convenit notio filiationis. Si vero Persona spiretur, tunc duplex pariter exurgit notio, una in spirantibus, nimirum in Patre & Filio, quibus proinde præter notiones jam assignatas convenit etiam spiratio activa, altera in spirato, nimirum in Spiritu S., cui proinde convenit notio spirationis passivæ.

Cur autem, inquies, sicuti inter notiones computatur innascibilitas, quæ convenit Patri, ita non computatur inspirabilitas, quæ convenit Patri & Filio, & ingenerativitas, quæ tum Filio tum Spiritui S. convenit? Quare item inter notiones non numeratur generatio, nativitas, ratio verbi, imaginis, doni, & amoris, cum hæ sint proprietates non omnibus Personis convenientes?

Respondent aliqui inter notiones ideo computari innascibilitatem, non autem inspirabilitatem

&

& ingenerativitatem, quia innascibilitas quamvis materialiter negationem tantum significet, formaliter tamen importat perfectionem, nimirum esse a se, & non agnoscere sui principium: cum è contrario inspirabilitas & ingenerativitas meram dicant negationem. Alii respondent præfatas duas notiones æquivalenter contineri in prioribus; si enim Patri & Filio competit spiratio activa, non potest competere spiratio passiva, cum una sit in divinis spiratio, & idem non possit esse illius principium & terminus; unde si Patri & Filio competit spiratio activa, intelligitur convenire etiam inspirabilitas. Pariter cum constet non posse reperiri plures Personas ejusdem rationis in Deo, consequenter constat non posse reperiri plures Filios, adeoque excludi tum a Filio, tum a Spiritu Sancto virtutem generativam, seu illis competere ingenerativitatem.

Ambæ responsiones sunt probabiles: adverto tamen quod si quis his non obstantibus, vellet præfatas duas notiones admittere, conveniret cum Scoto existimante admitti posse plusquam quinque notiones, quamvis, ut dixi, alii communius quinque tantum admittant.

Generatio porro & nativitas sunt characteres Personæ in fieri non in facto esse. Alia vel sunt synonima notionum communiter admissarum, ita ut verbum & imago sint synonima filiationis, ac donum & amor spirationis passivæ, vel saltem satis exprimuntur tum per filiationem tum per spirationem passivam; ratio enim verbi & imaginis secundæ Personæ convenit, quia est Filius, ratio amoris & doni convenit tertiæ, quia est spirata.

Ex dictis colligitur primo idem non esse notionem, ac relationem; non enim omnes quinque assignatæ sunt relationes, sed tantum quatuor, cum innascibilitas sit quid absolutum: secundo idem non esse notionem ac proprietatem Personæ, nam spiratio activa est notio, nec tamen est proprietas Personæ, cum duabus conveniat: unde ex quinque assignatis notionibus quatuor tantum sunt proprietates Personæ, nempe innascibilitas & pater-

ternitas, quæ ſunt proprietates Patris, filiatio, quæ eſt proprietas Filii, & ſpiratio paſſiva, quæ eſt proprietas Spiritus Sancti: tertio idem a fortiori non eſſe notionem ac proprietatem perſonalem. Dixi *a fortiori*; nam minus late patet proprietas perſonalis, quam proprietas Perſonæ, cum omnis proprietas perſonalis ſit proprietas Perſonæ, ſed non è contra; non enim omnis proprietas Perſonæ illam conſtituit (ut patet in innaſcibilitate), quod tamen ad rationem proprietatis perſonalis requiritur. Ex quinque igitur aſſignatis notionibus tres tantum ſunt proprietates perſonales, ſcilicet paternitas, filiatio, & ſpiratio paſſiva.

Hinc patet quinam ſint actus notionales, quinam perſonales: priores nimirum a notionibus proveniunt, poſteriores a proprietatibus perſonalibus, unde omnes actus perſonales ſunt etiam notionales, non è contra. Et de facto ſpiratio activa eſt actus notionalis non perſonalis.

Aliqui tamen ſunt actus in divinis, qui ſecundum unum reſpectum ſunt notionales, ſecundum alium ſunt eſſentiales: ita intelligere & velle præciſe ſumpta ſunt quid eſſentiale & commune omnibus tribus Perſonis: at intelligere tali modo, ſcilicet intelligendo producere Verbum tanquam Perſonam diſtinctam, & velle pariter tali modo, ſcilicet volendo ſpirare, ſunt actus notionales omnibus Perſonis non convenientes.

ARTICULUS QUINTUS.

Miſſio in divinis nullam importat imperfectionem, quia nec fit per imperium, nec per conſilium, ſed per originem, neque per hoc, quod Perſona miſſa deſerat locum, in quo eſt, & ad alium pergat; ſed tantum per hoc, quod incipiat producere aliqem effectum extra ſe, quem prius non producebat, & quidem virtute ſibi a Perſona mittente communicata.

Hinc patet primam Perſonam nunquam mitti, quia ipſi a nulla alia communicatur virtus ope-

perandi extra se: secundam Personam & mitti & mittere: mitti, quatenus virtutem operandi extra se a Patre recipit, cum ab illo recipiat naturam: mittere vero, quia eandem virtutem communicat Spiritui S., cum ipsi communicet suam naturam: tertiam tandem Personam solum mitti, quia virtutem operandi extra se recipit a Patre & Filio, nec eandem alteri communicat ad extra, cum nulli communicet suam naturam.

Quod si aliquando in Scripturis dicitur Spiritus S. mittere Filium, ut cum ipse Christus de se dictum asseruit illud Isaiæ: (a) *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me*, id est intelligendum, quatenus Spiritus S. misit Christum hominem ad prædicandum pauperibus, non vero quatenus Spiritus S. miserit Filium, ut Deum.

Huc etiam spectat quod indicat S. Thomas, nimirum aliquando missionem referri non ad Personam, sed ad effectum, productum ad extra, qui cum sit communis toti Trinitati, ideo missio ad illum spectans non servat ordinem divinarum processionum, sed promiscue dicitur vel de una vel de alia Persona, vel etiam de omnibus simul sumptis.

Duplicem idem S. Thomas distinguit missionem, visibilem & invisibilem juxta visibilitatem, vel invisibilitatem effectus producti. Hinc cum Spiritus S. missus fuit in Apostolos sub specie ignis, missio fuit visibilis: cum mittitur præcise ad sanctificandos homines, missio est invisibilis. Ubi tamen advertit S. Doctor Personam divinam nunquam visibiliter mitti, quin etiam invisibilem gratiam vel secum ferat, vel jam acceptam significet. Ita cum Spiritus S. in Apostolos visibili specie missus est, secum tulit interiorem gratiam: cum autem missus est super Christum visibili specie columbæ, tunc significavit gratiam jam Christo collatam.

DIS-

(a) *Luc.* 4.

DISSERTATIO III.

De Perſona Patris.

CUm multa sint jam obiter supra dicta de Persona Patris, multaque etiam dicenda, cum de aliis Personis sermo erit, ideo Dissertationem hanc unico capite absolvam, quo de characteribus & nominibus hujus Personæ disseram.

CAPUT UNICUM.

De characteribus & nominibus primæ Personæ.

AGam hic de charactere & nomine 1. *Patris*, 2. *principii*, *auctoris*, *fontis*, *&* *originis*, 3. *ingeniti*, *&* *innascibilis*.

ARTICULUS PRIMUS.

Convenit primæ Personæ nomen & character *Patris*. Hoc autem nomen dupliciter spectari potest, *essentialiter* & *notionaliter*. Si essentialiter; convenit omnibus divinis Personis; sic enim dicitur de Deo, ut operatur ad extra vel creando juxta illud: (a) *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit & creavit te?* vel homines sanctificando, juxta illud: (b) *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater*: operationes autem ad extra sunt communes toti Trinitati.

Si

(a) *Deut.* 32. (b) *Rom.* 8.

Si vero spectetur notionaliter, convenit soli primæ Personæ; ipsa enim sola generat Filium, & ita generat, ut evadat Pater perfectissimo modo, ita scilicet ut ipsius paternitas evadat veluti archetypus cujuscunque alterius paternitatis juxta illud: (a) *Ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur*.

ARTICULUS SECUNDUS.

Convenit etiam Patri nomen *principii*, *auctoris*, *fontis*, *originis*, & *capitis*. Ratio principii, relate ad res *ad extra* est toti Trinitati communis: *ad intra* quamvis possit convenire etiam Filio, qui producit Spiritum S., potiori tamen titulo convenit Patri, cum hic sit principium producens & inproductum.

Si autem Pater potest dici principium tum ad intra tum ad extra, poterit etiam dici auctor, fons, origo, & caput tum ad intra, tum ad extra modo supra explicato. Et de facto talibus nominibus appellatur a SS. Patribus. Cavendum tamen semper, ut hæc nomina adhibeantur cum debita explicatione, ne aliquid superioritatis ad intra per illa in Patre importetur.

ARTICULUS TERTIUS.

Convenit quoque Patri nomen *ingeniti* & *innascibilis*, quæ nomina sunt propria Patris, si accipiantur pro eo, quod caret principio. Quo loco ad pleniorem intelligentiam notandum hoc nomen *ingenitum* posse tripliciter sumi: primo pro omni eo, quod non est creatum, & sic convenit omnibus tribus Personis: secundo pro eo, quod non producitur per veram generationem, & sic convenit Patri & Spiritui *S.*: tertio pro eo, quod caret omni principio, & sic dicitur solum de Patre.

(a) *Ephes.* 3.

tre. Quod idem proportionaliter valet de nomine *innascibile*.

Quod si antiqui Patres aliquando nomen *ingeniti* tribuerunt etiam aliis Personis, tunc nomen istud sumpserunt primo modo, ut se opponerent Arianis, qui per illud intelligentes *increatum* asserebant solum Patrem esse ingenitum, ut innuerent Filium & Spiritum S. esse creaturas. Sed modo usus invaluit, ut, cum Pater dicitur ingenitus, intelligatur esse carentem quocumque principio.

DISSERTATIO IV.

De Persona Filii.

DIssertationem hanc in duo capita divido. In I. agam de characteribus & nominibus secundæ Personæ convenientibus, in altero de ejusdem divinitate & consubstantialitate cum Patre.

CAPUT PRIMUM.

SEcunda SS. Trinitatis Persona variis nominibus enunciatur: dicitur enim *Filius*, *Verbum*, *imago Patris*, *sapientia*, *lux*, *candor lucis æternæ*, *figura substantiæ Dei*, *character*, *speculum*, *& veritas* De nomine & charactere Filii nihil hic dicam, cum circa illud valeant proportionaliter quæ supra sunt dicta circa nomen Patris primæ Personæ conveniens, sicuti nec dicam de nomine lucis, candoris lucis æternæ, figuræ substantiæ Dei, speculi, veritatis; hæc enim sunt Filio appropriata exceptis fortasse nominibus istis :

figu-

figura substantiæ Dei, *character*, *speculum*, si accipiantur ut synonima nominis imaginis, quo casu idem de illis dicendum ac de nomine imaginis. Agam ergo hic de nomine, & charactere 1. Verbi, 2. imaginis, 3. sapientiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

Secunda Persona est & dicitur *Verbum*. Ratio hæc est. Cum agens intellectivum actu intelligit, tunc efformat in se imaginem rei intellectæ, quæ imago dicitur *verbum mentis*, quia mens talem imaginem efformando sibi quodammodo loquitur. Quod si intellectus in se tantum retineat rei imaginem, tunc verbum dicitur tantum *internum*; si vero hæc imago aliquo signo extrinseco manifestetur, verbum dicitur *externum*, & *vox*, si manifestetur ore.

Cum ergo Pater divinus seipsum intelligit, tunc efformat Verbum, quod a verbo efformato a nobis, cum intelligimus, discrepat primo in hoc, quod verbum nostrum est aliquid accidentale & contingenter productum, in divinis autem est substantiale & productum necessario: secundo in hoc, quod, dum nos verbum efformamus, nosmetipsos reddimus formaliter intelligentes, & nobismetipsis loquimur; è contrario Pater producendo Verbum non redditur præcise intelligens, nec sibi loquitur, sed alteri, quem loquendo producit redditque intelligentem eidem communicando suam intellectionem. Unde fit ut Verbum divinum aliqualiter videatur similius verbo nostro externo & vocali, quam interno & mentali, quod videtur innui per illud (a): *Ego ex ore Altissimi prodivi*. Hinc Verbum in divinis importat tum intellectionem, tum dictionem: quæ tamen dictio & ipsa differt a di-

ctio-

(a) *Eccl.* 24.

ctione nostra etiam in hoc, quod, cum nos dicimus, supponimus terminum, ad quem dirigitur nostra dictio, existentem: e contra locútio & dictio Patris mirabili quodam modo producit ipsum terminum, ad quem dirigitur.

Cum autem solus Pater in divinis intelligendo dicat alteri, quia ipse solus intelligendo producit terminum a se realiter distinctum, constat, quod solus Filius est Verbum proprie tale, quia ipse solus est terminus vere & realiter a Patre intelligente productus. Et hinc S. Augustinus asserit nomen Verbi esse relativum, non secus ac nomen Filii; dicit enim (a): *Sicut Filius refertur ad Patrem, non ad seipsum dicitur, ita & Verbum ad eum, cujus est Verbum*: & infra: *Et propterea non eo Verbum, quo sapientia, quia Verbum non ad se dicitur, sed tantum relative ad eum, cujus est Verbum, sicuti Filius ad Patrem: sapientia vero eo quo essentia, & ideo quia una essentia, una sapientia*. Ergo nomen Verbi est personale.

Quod si aliquando vel a Scripturis, vel a Patribus aliæ quoque Personæ dicuntur Verbum, improprie solum dicuntur, nimirum vel sumpto Verbo pro præcisa expressiòne divinæ essentiæ, quam omnes Personæ exprimunt, vel sumpto pro manifestatione divinæ voluntatis, quam possunt aliæ quoque Personæ manifestare, ut E. G. manifestavit Spiritus S., de quo dixit Christus (b): *Ille vos docebit omnem veritatem*. Sicuti pariter, cum aliæ Personæ præter Patrem dicuntur producere Verbum, improprie dicuntur, ut cum E. G. sumitur Verbum pro efficaci imperio divinæ voluntatis, quod omnibus Personis est commune, & ita dicitur (c): *Ipse dixit & facta sunt*; quo etiam sensu introducuntur divinæ Personæ hominem creatu-

ræ

(a) *Lib. 7. de Trin. cap. 2.*
(b) *Jo. 6.* (c) *Psal. 148.*

ræ ad se mutuo loquentes & dicentes (a). *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.*

Ex his patet quam immerito Alogiani recusaverint Filium divinum dicere Verbum, præcipue cum Scripturæ de Filio loquentes illum frequentissime dicant Verbum, ut (b): *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis*: & rursus (c): *Misit Verbum suum, & sanavit eos*: & tandem (d) *Verbum caro factum est*,

Patet etiam quam falso asseruerit Durandus, ab omnibus cæteroquin rejectus, nomen Verbi non esse personale, sed essentiale, & solum per appropriationem secundæ Personæ conveniens.

Quod si quæras, quare Filius potius dicatur Verbum, quam sermo, ℟. id ex eo fieri, quod nomen Verbi est aptius ad exprimendum unicum ac simplicissimum actum, quo Pater Filium producit, quam nomen sermonis, cum hic plures voces indicet, secus vero illud.

ARTICULUS SECUNDUS.

Est etiam & dicitur Filius *imago* Patris. Hoc nomen *imago* importat nedum similitudinem unius rei cum altera, sed etiam ut hæc similitudo ab altera sit expressa. Hinc ajebat S. Augustinus (e): *Ubi æqualitas, continuo similitudo, non continuo imago: veluti in duobus ovis paribus, quia inest æqualitas, inest & similitudo; quæcumque enim adsunt uni, adsunt & alteri: imago tamen non est, quia neutrum de altero expressum est.*

Hoc posito dicendum nomen imaginis esse personale Filii; Filius enim solus est perfecte similis Patri & quidem similitudine expressa ab ipso Patre,

tre,

(a) *Genes.* I. (b) *Eccl.* I.
(c) *Psalm.* 106. (d) *Jo.* I.
(e) *Lib.* 83. *quest. quast.* 74.

tre, quatenus scilicet Filii productio per intellectum tendit ad hanc similitudinem producendam. Ex quo patet quare Spiritus S., quamvis similis Patri & Filio, non tamen possit dici rigorose illorum imago; nam hæc similitudo non derivatur ex modo, quo ipse ab aliis procedit, cum processio per voluntatem ex se talem similitudinem non producat, sicque non possit dici similitudo, quæ intercedit inter Spiritum S. ex una parte, & Patrem ac Filium ex altera, expressa a Patre & Filio, ac proinde nec ipse Spiritus S. imago nisi ad summum improprie, quo modo ipse Spiritus S. Patris, ac Filii imago dictus est ab aliquibus Patribus.

Hinc Scriptura frequentissime nomen imaginis tribuit Filio, ut cum dicitur (a): *Candor est lucis æternæ & speculum sine macula . . . . . & imago bonitatis illius*: & rursus (b): *Qui est imago Dei invisibilis*: & (c): *Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ ejus &c.* Nusquam autem legimus in Scripturis nomen imaginis tributum Spiritui Sancto.

Sed dices: si Filius esset imago Patris, vel esset imago illius qua Deus, vel qua Pater est. Non primum; nam sic esset etiam imago sui ipsius & Spiritus S. Non secundum; nam ipse non exprimit paternitatem, quæ ei non convenit. Ergo &c.

℟. Filium esse imaginem Patris nec præcise qua Deus est, nec præcise qua Pater est, sed quatenus est utrumque; cum enim, ut dixi, ratio imaginis importet & similitudinem & derivationem istius similitudinis ab exemplari, primum habetur per naturam, secundum per paternitatem. Paternitas tamen est solum conditio necessaria, natura vero est forma, in qua habetur hæc similitudo. Quæ cum non verificentur de Filio respectu sui ipsius & Spiritus S., hinc Filius Patris quidem, non autem sui & Spiritus S. imago dici potest.

AR-

(a) *Sap.* 7. (b) *Cor.* 1. (c) *Heb.* 1.

ARTICULUS TERTIUS.

Est quoque & dicitur Filius *ſapientia*. Hoc nomen licet per appropriationem tribuatur Filio, revera tamen est essentiale, adeoque conveniens omnibus tribus Personis. Unde S. Augustinus inquit (a): *Pater & Filius una essentia, & una magnitudo, & una veritas, & una sapientia. Sed non Pater & Filius simul ambo unum Verbum, quia non simul ambo unus Filius*. Hinc secunda Persona a prima non producitur præcise & proprie in ratione sapientiæ, sicut præcise & proprie producit in ratione Filii & imaginis.

Si quis tamen adhiberet nomen *sapientiæ genitæ*, tunc nomen adhiberet personale respectu Filii; per illud enim adjectivum *genitæ* contraheretur sapientia ad denotandum solum Filium: sicuti licet omnipotentia sit prædicatum essentiale, si tamen dicatur omnipotentia inproducta, evadit personale Patris.

CAPUT SECUNDUM.

De Divinitate Verbi.

PRænotabo 1. necessaria ad intelligentiam quæstionis: 2. probabo Verbum esse verum Deum Patri consubstantialem: 3. agam de nomine *homusion* & *homiusion*: 4. ostendam Verbum esse veram personam a Patre & Spiritu S. distinctam.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. aliud esse quærere utrum Verbum, aliud utrum Christus sit Deus; licet enim Christus sit Verbum, potest tamen etiam admissa divinitate Verbi controverti divinitas Christi, si ni-

(a) *Lib. 7. de Trinit. cap. 2.*

nimirum dubitetur, utrum Christus sit ipsum Verbum. Et de facto Nestorius Christo, non Verbo divinitatem negabat, cum assereret Christum esse personam distinctam a persona Verbi. Hic tantum ex professo quæritur, utrum Verbum sit Deus; alia enim quæstio eirca divinitatem Christi ad Tractatum spectat de Incarnatione. Cum tamen doceat Fides Christum esse Verbum, & probata Christi divinitate probata etiam remaneat divinitas Verbi, quamvis non è contra, ideo non censeo abstinendum ab iis etiam probationibus, quæ directe evincunt divinitatem Christi, sicuti cum ad objectiones ventum erit, multæ etiam afferentur, quæ directe solum probare videntur Christum non esse Deum.

Noto 2. quod, quamvis spectata vi grammaticali vocabulorum, idem non sit quærere, utrum Verbum sit Deus, & utrum sit consubstantiale Patri, spectata tamen natura rei idem est; cum enim Deus non possit esse nisi unus, & natura divina soli Deo possit convenire, jam si Verbum est Deus, non habebit nisi eamdem naturam, quam habet Pater, adeoque erit illi consubstantiale, & si est illi consubstantiale, non poterit esse nisi Deus. Promiscue ergo adhibebo argumenta, quæ probant tum divinitatem Verbi, tum ipsius consubsrantialitatem cum Patre.

Noto 3. me hic tantum locuturum de divinitate Verbi, quia hac probata & vindicata, probata quoque remanebunt & vindicata alia omnia prædicata Deo convenientia, ut E, G æternitas, necessitas existendi &c.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *Verbum seu secunda Trinitatis Persona est verus Deus Patri consubstantialis.* Est de Fide.

Prob. ex Scripturis, & I. ex illo: (a) *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Hic Verbum dicitur Deus. Ergo &c.

Multiplex huic textui solet adhiberi responsio. I. dicunt aliqui interpunctionem esse post illa verba *Deus erat:* unde illud *Verbum* dicunt connectendum cum sequentibus.

II. dicunt vocem *Deus* in Græco, cum dicitur de vero Deo, connecti cum articulo, cum quo non connectitur, cum hoc loco dicitur de Verbo.

III. dicunt Verbum asseri Deum ut Moyses dictus est (b) Deus Pharaonis. Quod confirmant ex eo, quod Christus ipse non videtur se agnovisse Deum aliter ac sint Judices, & Magistratus, dum Judæis illum blasphemiæ accusantibus, quod se dixisset Deum, respondit: (c) *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi: Dii estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura, quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi Filius Dei sum?*

IV. dicunt ita accipiendum esse illud *in principio*, quomodo accipitur, cum dicitur: (d) *In principio creavit Deus Cœlum & terram*. Atqui hic denotatur initium temporis exclusive ad æternitatem. Ergo etiam ibi: quo posito Verbum non erit Deus. Sed

Contra I. est, quod nullum illius interpunctionis in optimis exemplaribus appareat vestigium. Præterea ineptum esset fingere S. Joannem, postquam asseruit Verbum fuisse apud Deum, asserere postea *Deum fuisse*, ut contendunt Adversarii; ad quid enim hæc assertio?

Con-

(a) *Jo.* 1. (b) *Exod.* 7.
(c) *Jo.* 10. (d) *Genes.* 1.

Contra II. est, quod alibi, ubi est sermo de vero Deo, non apponitur articulus, ut E. G. cum dicitur: (a) *Fuit homo missus a Deo*: & rursus: (b) *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*: rursus: *Sed ex Deo nati sunt*: tandem: *Deum nemo vidit unquam*. Imo ipse Filius alibi dicitur Deus cum articulo, ut ubi dicitur: (c) *Christus..... qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*, & ubi dicitur: (d) *Ut simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus*.

Contra III. est, quod, cum nomen Dei iis, qui tales non sunt, tribuitur, vel tribuitur in plurali, quo modo patet sumptum esse improprie, cum Deus non possit esse nisi unus: vel si in singulari, cum talibus limitationibus tribuitur, quæ indicant nomen Dei sumi improprie, ut cum E. G. Moyses dicitur Deus Pharaonis, dicitur ab alio constitutus: repugnat autem verum Deum talem ab alio constitui, ut ad rem nostram docet S. Hilarius inquiens: (e) *Aliud est Deum dari, aliud est Deum esse; in Pharaonem enim Deus datus est, cæterum non ei est & natura & nomen, ut Deus sit*. Fuit autem constitutus Deus, ut monet S. Doctor (f) quia *timetur, oratur, punit, & medetur*. Verbum porro dicitur Deus in singulari, & sine ulla limitatione aut restrictione, Ergo &c. Ad confirmationem ℟. Christum non negare sibi competere veram divinitatem, imo potius affirmare; nam tunc argumentatur a fortiori, quasi dicat: si illi, qui natura non sunt Dii, ob officium tamen & dignitatem dicuntur Dii, a fortiori ego potero dici Deus, qui natura talis sum.

 Con-

(a) *V. 6. cap. 1. Jo.* (b) *V. 12. 13. & 13.*
(c) *Rom. 9.* (d) *1. Jo. ult.*
(e) *Lib. 7. de Trin. cap. 10.*
(f) *Ibid.*

Contra IV est, quod diverſus eſt ſenſus illius *in principio* in Geneſi, & apud Joannem ; in Geneſi enim ſumitur pro principio temporis, tum quia ita communiter intelligunt Patres, tum quia id denotat contextus ſermonis; indicatur enim ibi initium rerum creatarum, & actio Dei illas producentis, quæ ſupponit eas antecedenter non fuiſſe. At apud Joannem illud *in principio* communiter a Patribus intelligitur pro æternitate. Rurſus æternitatem denotat contextus ſermonis: nam Verbum ibidem dicitur Deus, qui æternus debet eſſe, præcipue cum non dicatur productum in principio, ſed fuiſſe, quod non ſupponit illud non fuiſſe antecedenter. Dicitur ergo Verbum fuiſſe *in principio*, quaſi diceretur: quodlibet fingatur tempus etiam ante mundi creationem, ſemper Verbum tunc erat, quod tandem recidit in æternitatem.

II. prob. aſſertio ex eo, ubi dicitur: (a) *Ex quibus eſt Chriſtus:...qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.*

Reponunt Adverſarii I. illud *ſuper omnia* reſtringere ſignificationem nominis Dei; importat enim non quod Chriſtus ſit abſolute Deus, ſed quod ſit Deus metaphorice, quatenus omnibus creaturis ſuperior ſit conſtitutus.

II. dicunt alii poſt verba *ex quibus eſt Chriſtus*, ponendam interpunctionem, ita ut illud *qui eſt &c.* non ad Chriſtum referatur, ſed ad Patrem per quamdam exclamationem.

III. alii dicunt illud *Deus* eſſe intruſum, quod Eraſmus probat ex quo Cyprianus, Hilarius, & Chryſoſtomus locum ita adduxerunt: *Qui eſt benedictus in ſæcula*. Sed

Contra I. ridiculum eſt Chriſtum non eſſe verum Deum, quia dicitur *ſuper omnia*, quaſi quod *eſſe ſuper omnia* eſſet prædicatum repugnans

(a) *Rom. 9.*

gnans Deo. Nonne etiam dicitur: (a) *Unus Deus est Pater omnium, qui est super omnes*, & tamen ibi de vero Deo est sermo? Nec sane in textu Christus dicitur constitutus super omnia, sed dicitur tantum esse super omnia. Ergo &c.

Contra II. est, quod nullum potest afferri exemplum antiquorum Bibliorum, in quibus talis interpunctio habeatur.

Contra III. est, quod non est necesse, ut ubique a Patribus textus integri proferantur. Adde quod in vetustissimis codicibus habetur illa vox *Deus*, & adhibita est ab antiquissimis Patribus, ut a S. Irenæo (b), a Tertulliano (c), & a S. Augustino (d), & ab aliis apud Petavium, & consentit versio Syriaca & Arabica.

Prob. III. assertio ex illo, ubi dicitur: (e) *In Christo inhabitare omnem plenitudinem divinitatis corporaliter*; si enim Christus, & consequenter Verbum non esset Deus, quomodo in ipso posset dici habitare omnem plenitudinem divinitatis?

Prob. IV. ex eo: (f) *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, & vita æterna*. Patet hic Filium Dei dici verum Deum.

Reponunt Adversarii vocem *hic* non referri ad Filium, sed ad Patrem; non enim, inquiunt, semper pronomen *hic* refertur ad illud, de quo proxime sermo habetur. Quod exemplo probant. Nam dicitur: (g) *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem: hic est seductor & Antichristus*.

(a) *Ephes.* 4. (b) *Lib.* 3. *cap.* 18.
(c) *Contra Prax. cap.* 13.
(d) *Lib.* 3. *contr. Faust. cap.* 3.
(e) *Colos.* 2. (f) 1. *Jo. ult.* (g) 2. *Jo.*

Ubi pronomen *hic* certe non refertur ad Christum, de quo proxime sermo habetur. Sed

Contra. Regula generalis est, ut pronomen *hic* semper referatur ad illud, de quo proxime est sermo, nisi aliquid obstet, ut obstat in exemplo adducto. Nihil obstat in casu probationis. Ergo &c. Facile è contrario prob. illud pronomen non posse referri ad Patrem; nam sic textus faceret hunc sensum: *Hic verus Deus est verus Deus*, quod est nugatorium.

Prob. assertio ex Conciliis. Unice affero Nicænum I., quod definivit Verbum esse *homusion* Patri, adeoque verum Deum, & Arium contrarium asserentem ut hæreticum damnavit. Definitio Nicæni expressa est in Symbolo. quod paucis adjectis illud ipsum est, quo utimur in Missa.

Probationes ex Patribus hic non affero, quoniam aliqua illorum testimonia afferentur, cum ad objectiones ex illis petitas respondebitur.

Tam multa objiciuntur contra conclusionem ex Scripturis, ut necesse sit claritatis gratia eas in varias classes dividere. Opportuna autem videtur divisio ab aliquibus adhibita, qua hæ objectiones in tres classes scinduntur, in quarum prima sunt quæ solum Patrem faciunt Deum: in secunda quæ videntur innuere Filio non convenire quæ Deo conveniunt: in tertia quæ videntur evincere Filio ea convenire quæ Deo non conveniunt. Igitur juxta hanc divisionem.

Ex primo capite obj. I. Christus ait (a): *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.*

II. dicitur: (b) *Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum.*

III. dicitur: (c) *Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum, est unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum.*

IV.

(a) *Jo.* 17. (b) *Act.* 3. (c) 1. *Cor.* 18.

IV. dicitur: (a) *Unus Deus, unus & mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus*. His sane locis nomen Dei tribuitur Patri, & ita tribuitur, ut videatur denegari Filio. Ergo &c.

℞. ad I. Patrem dici solum Deum verum tantum ad exclusionem inanium Deorum. Et sane particula exclusiva non semper excludit æquales, ut patet sequentibus exemplis: Apostolus ait: (b) *Non judicavi me scire aliquid inter vos nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum*: ignorabantne proinde alias personas? Ait Christus: (c) *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius*: an propterea seipsos nec Pater nec Filius cognoscunt? Ita a pari in casu. Ideo autem potius Pater, quam alia Persona appellatur Deus verus, quia Pater est fons & origo divinitatis in aliis Personis. Rursus S' Augustinus vult ibi non reticeri divinitatem Filii, sed exprimi: inquit enim: (d) *Ordo verborum est: ut te, & quem misisti Jesum Christum cognoscant solum Deum verum*

Ad II. ℞. Jesum dici glorificatum a Patre absque divinitatis præjudicio: primo quia hæc glorificatio de illo intelligitur secundum naturam humanam: secundo quia etsi intelligeretur de illo secundum naturam divinam, dici posset a Patre glorificatus, quia accepit a Patre naturam, quæ secum necessario trahit gloriam.

Ad III. ℞. quod sicuti, cum dicitur *unus Dominus* Christus, non excluditur Pater, ita cum dicitur *unus Deus* Pater, non excluditur Filius. Huc etiam referantur quæ ad I. dicta sunt.

Ad IV. pariter valet eadem responsio. Quod si dicas eo ipso, quod Christus asseritur mediator inter Deum & homines, negari quod sit Deus, nam sic esset mediator inter semetipsum & homines; ℞. Christum esse mediatorem, quatenus est ho-

(a) 1. *Timot.* 2. (b) 1. *Cor.* 2.
(c) *Matt.* 11. (d) *Tract.* 105. *in Jo.*

homo Deus. Nullum autem est absurdum, quod ut homo Deus sit mediator inter hominem offenſorem & semetipsum præcise ut Deum offensum.

Ex secundo capite obj. I. Deo convenit omnimoda & independens scientia. At hæc non convenit Christo dicenti: (a) *De die autem illo* (judicii) *nemo scit neque Angeli in Cœlo, neque Filius, nisi Pater*, & suam doctrinam facienti dependentem his verbis: (b) *Doctrina mea non est mea, sed ejus, qui misit me.*

II. Deo convenit summa & independens potestas. At hæc non convenit Christo dicenti Joanni & Jacobo: (c) *Sedere ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis*, & alibi: (d) *se non posse facere quidpiam a semetipso, nisi quod viderit Patrem facientem.*

III. Deo convenit bonitas. At hæc non convenit Christo dicenti: (e) *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus.*

IV. Deus omnia refert ad propriam gloriam & ad implementum propriæ voluntatis. Non sic Christus dicens: (f) *Ego non quæro gloriam meam:* & rursus: (g) *Descendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Præterea Deo debet convenire gloria divinæ dignitati proportionata; hæc autem non convenit Filio, de quo dicitur: (h) *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti;* particula enim *quasi* limitat gloriam Filio convenientem.

V. Deus est objectum Fidei primarium. Tale non est Christus de se dicens: (i) *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.* Ergo &c.

Generaliter primo ℟ quod si aliquando Filio denegantur quæ Deo conveniunt, vel tribuuntur quæ

(a) *Marc.* 13. (b) *Jo.* 7.
(c) *Matt.* 20. (d) *Jo.* 5. (e) *Marc.* 10.
(f) *Jo.* 8. (g) *Jo.* 6. (h) *Jo.* 1.
(i) *Jo.* 12.

quæ non conveniunt, ea sunt intelligenda præcise de ejusdem natura humana. Verum ad singula.

Ad I. ergo ℞. Christum revera non ignorasse diem judicii, quomodo enim hunc ille ignorasset, (a) *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi?* Ideo ergo dixit se nescire, vel quia non manifestando faciebat homines ignorare juxta doctrinam Augustini, qui ait: (b) *Sicuti scire Deus dicitur etiam eum scientem facit, sicuti scriptum est: tentat vos Dominus, ut sciat si diligatis eum; non enim sic dictum est hoc, quasi nesciat Deus, sed ut ipsi sciant quantum in Domini dilectione profecerint ..... sic & cum dicitur nescire, aut pro eo dicitur, quod non approbat.... aut pro eo, quod utiliter nescientes facit, quod scire inutile est*: vel quia ut legatus Dei ad homines hoc non debebat manifestare, quomodo legatus Regis recte dicit se nescire, quod illi prohibitum est a Rege manifestare, etsi de facto sciat. Unde Augustinus ait: (c) *Hoc nescit, quod nescientes facit, idest quod non ita sciebat, ut tunc Discipulis indicaret*. Ideo autem dixit Patrem scire, quia ipse Filio etiam ut homini manifestavit, & aliunde Pater non habebat munus Legati, nec officium aliquid manifestandi, quod soli Filio competebat. Doctrina autem Christi dicitur non sua, quia non eam habet a semetipso, sed a Patre, a quo procedit. Audiatur etiam circa hoc Augustinus, qui hæc habet: (d) *Quæ est doctrina Patris, nisi Verbum Patris? Ipse ergo Christus doctrina Patris, si Verbum Patris. Sed quia Verbum non potest esse nullius, sed alicujus, & suam doctrinam dixit se ipsum, & non suam, quia Patris est Verbum. Quid enim*

(a) *Colos.* 2.
(b) *Lib.* 83. *quæst. quæst.* 60.
(c) *Lib.* 1. *de Trin. cap.* 12.
(d) *Tract.* 29. *in Jo.*

tam tuum quam tu, & quid tam non tuum, quam tu, si alicujus est quod es?

Ad II. ℟. Christum non negare simpliciter suum esse dare regnum, sed solum suum esse dare, ut petebatur: petebatur scilicet ambitiose & titulo consanguinitatis, quam petentes habebant cum Christo. Hinc inquit S. Augustinus (a): *Quid est, non est meum dare vobis? non est meum dare superbis, hoc enim adhuc erant*. Et sane non est Christi dare regnum, nisi illis, quibus Pater dare vult, & hoc ob conformitatem voluntatum. Atqui petentibus, ut petebat Joannes & Jacobus, Pater nolebat dare regnum. Ergo sic petentibus non erat Christi regnum dare. Cæterum absolutam potestatem Christo competere patet ex illo (b): *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra:* & ex illo (c): *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt*. Dicit autem se non posse facere quidpiam, nisi viderit Patrem facientem, ob eandem conformitatem voluntatum. Præterea scopus Christi ibidem fuit se defendere a calumniis Judæorum, qui illum reprehendebant, quod languentem sabbatho curasset, cujus rei hanc reddit rationem: ego facio quod facit Pater; hic autem sabbatho sanat infirmum. Igitur contra voluntatem illius non facio, si & ipse eumdem sanem.

Ad III. Duplex potest afferri responsio. Prima est Chrysostomi (d), qui ait Christum fuisse interrogatum ut hominem, & idcirco ut hominem respondisse se non esse bonum, non quidem absolute; nam Christus noverat etiam in creaturis adesse aliquam bonitatem juxta illud (e): *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, sed in comparatione Dei; quia bonitas hominis ad bonitatem Dei comparata vix bonitatis nomen mereatur,

(a) *In Psalm.* 125. (b) *Matt*, 28.
(c) *Jo.* 16. (d) *Homil.* 64. *in Matt.*
(e) *Gen.* 1.

tur. Secunda eruitur ex S. Augustino (a), & est Christum ibidem tacite reprehendere loquentem hoc modo: vel me existimas purum hominem, & sic perperam me dicis bonum, cum solus Deus vere bonus sit (sensu supra explicato,) vel me etiam existimas Deum, & sic quare non es paratus (ut de facto ille non erat paratus) ad me sequendum?

Ad IV. ℟. Christum non quæsiisse gloriam suam & voluntatem suam, quatenus omnia referebat ad Patrem, cujus etiam voluntati semper in omnibus morem gessit juxta illud (b): *Quæ placita sunt ei facio semper*. Particula autem *quasi* apud Joannem non limitat gloriam Filio convenientem, sed denotat, ut interpretantur communiter Patres, revera hanc illi convenire. Et sane illa particula non semper denotat aliqualem tantum similitudinem, sed etiam quandoque denotat rei veritatem, ut cum E. G. dicitur (c): *Ortum est murmur populi quasi dolentium pro labore*, idest *revera dolentium*, & cum dicitur (d): *Ipse quasi vir verax ac timens Deum plus cæteris videbatur*, idest *revera verax ac timens Deum*.

Ad V. ℟. Sensum dicti esse: qui credit in me, non credit tantum in me, sed etiam in Patrem; credendum enim esse etiam in Christum ipse indicat, dum ait (e): *Creditis in Deum, & in me credite*.

Ex tertio capite obj. I. Deo non competit esse creatum. At hoc competit Verbo; nam de illo dicitur in textu græco (f): *Dominus creavit me in initio viarum suarum*, & Sapientia Divina ita de se loquitur (g): *Ab initio & ante sæcula creata sum.* Hoc idem competit Christo, qui dicitur (h) *primogenitus omnis creaturæ*; & alibi dicitur factus (i): *Qui post me venturus est, ante me fa-*

Q 6 *ctus*

(a) *Lib. 2. contr. Maxim. cap* 23. (b) *Jo.* 8.
(c) *Num.* 11. (d) 2. *Esd.* 7. (e) *Jo.* 14.
(f) *Prov.* 8. (g) *Eccl.* 24.
(h) *Coloss.* 1. (i) *Jo.* 1.

ctus est: & rursus (a)*: Tanto melior Angelis effectus:* & rursus (*b*) *Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Jesum.*

II. Deo non competit ratio instrumenti respectu alterius ad operandum. At hoc competit Verbo, de quo dicitur (c)*: Omnia per ipsum facta sunt*, ubi particula *per* denotat causam instrumentalem. Ergo &c.

III. Deo non competit potentia mentiendi. At hæc competit Christo dicenti (d): *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.*

IV. Deo non competit inferioritas & subjectio. At hæc convenit Christo; nam ipse dicit (e): *Pater major me est*. Præterea sæpe dicitur ligatus præceptis Dei, dicitur orasse Deum, dicitur exauditus a Deo, quæ omnia inferioritatem & subjectionem in ipso Christo important. Ergo &c.*

Ad I. ℟. Primo in Proverbiis pro *creavit* legi posse vel *possedit*, ut vertit nostra vulgata, & habet textus hebraicus (possidere autem dicitur etiam de generante respectu geniti juxta illud (f): *Possedi hominem per Deum*,) vel *genuit*, cum doceant periti græci idiomatis verbum græcum *creavit* æque bene verti posse *genuit*. Secundo etiam retenta voce *creavit*, Sapientiam dici posse creatam, vel quatenus in creatione rerum eluxit & ad extra manifestata est, ut in domo dicitur producta idea artificis: vel quatenus est simpliciter producta; vox enim *creare* sumitur aliquando pro productione, quæ non sit rigorosa creatio, ut cum dicitur (g): *Ego Dominus formans lucem & creans tenebras:* & (h): *Cor mundum crea in me Deus*, & filii dicuntur a parentibus procreati: vel qua-

te-

(a) *Heb.* 1. (b) *Act.* 2.
(c) *Jo.* 1. (d) *Jo.* 5.
(e) *Jo.* 14. (f) *Genes.* .
(g) *Isai.* 45. (h) *Psalm.* 50.

tenus Sapientia, licet ab æterno exiſtens, in tempore tamen eſt conſtituta ſuper opera Dei ad extra, quo ſenſu dicuntur creari Magiſtratus, quando regimini præficiuntur: vel tandem dici creatam ratione humanitatis, quæ licet in ſe non fuerit producta per creationem ante omnes creaturas, fuit tamen ante omnes creaturas ſaltem humanas creata in intentione Dei hoc ſenſu, quod Chriſtus fuit principium ſalutis omnium illorum hominum, qui ſalvati ſunt. Ex his patet quid reſpondendum ſit ad aliud ex Eccleſiaſtico. Dicitur autem Chriſtus primogenitus omnis creaturæ vel ob dignitatem, qua omnibus creaturis ſuperior eſt, vel quatenus in ipſo & per ipſum omnia ſunt condita, quod innuitur dum ſubditur: *Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in cælis & in terra*. Chriſtus vero in Joanne dicitur *factus*, ideſt prælatus & antepoſitus Baptiſtæ, quo eodem ſenſu dicitur effectus melior Angelis. Et tandem dicitur Deus feciſſe Jeſum & Chriſtum & Dominum, quia elevavit per unionem hypoſtaticam Jeſum ut eſſet Deus, adeoque Dominus & Chriſtus.

Ad III. ℟. Particulam *per* non ſemper denotare inſtrumentum; ſæpe enim denotat cauſam principalem, ut quando dicitur (a): *Poſſedi hominem per Deum*, & (b): *Per me Reges regnant*: imo textus in objectione adductus ita adhibetur a S. Auguſtino contra Arianos (c): *Quomodo poteſt fieri, ut Verbum Dei factum ſit, quando Deus per Verbum fecit omnia? Si & Verbum Dei ipſum factum eſt, per quod aliud Verbum factum eſt? Si hoc dicis quia eſt Verbum Verbi, per quod factum eſt illud, ipſum ergo dico unicum Filium Dei. Si autem non dicis Verbum Verbi, concede non factum per quod facta ſunt omnia.*

Ad II. ℟. Chriſtum vel emphatice loqui, quaſi dicat: ſupponite teſtimonium meum non eſſe ve-

---

(a) *Genes.* 4. (b) *Prov.* 8. (c) *Tract.* 1. *in Jo.*

verum, adhuc tamen habeo testimonium Patris, qui testatus est me esse Deum, dum inquit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: vel illud *verum* sumi hic pro *non suspecto de falsitate*, quasi dicat Christus: si ego solus testimonium perhibeo de mea divinitate, testimonium erit vobis suspectum, utpote allatum in propria causa. At non sum solus: hoc pariter testatur Pater; quod cohæret cum illo, ubi cum Judæi objicerent Christo (a): *Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum*, respondit Christus: *Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater*.

Ad IV. ℟. Patrem dici majorem Christo ratione humanitatis; nam quod non sit illo major secundum omnes respectus, patet ex quo alibi Pater dicitur æqualis Christo, ut (b): *Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*: & alibi (c): *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*. Unde ad rem nostram Augustinus (d): *Filius*, inquit, *est æqualis Patri secundum formam Dei, in qua est, & minor Patre secundum formam servi, quam accepit*. Eodem modo debet explicari subjectio Christi ad Patrem deducta vel ex precibus ab ipso Patri oblatis, vel ex obedientia, vel ex aliis hujusmodi.

Obj. ex Conciliis. Aliis omnibus omissis minus celebribus, vel congregatis ex Arianis, unicum affero Ariminense, ad quod convenerunt 400. circiter Episcopi maxima ex parte Catholici una cum Legatis Sedis Apostolicæ. In hoc Concilio teste S. Hieronymo (e) *usia nomen abolitum est, Nicænæ Fidei damnatio conclamata est, ingemuit totus orbis, & se esse Arianum miratus est*. Ergo &c.

℟. Ni-

(a) *Jo.* 8. (b) *Jo.* 5. (c) *Philip.* 2.
(d) *Lib.* 2. *de Trin. cap.* 1.
(e) *Dialog. contr. Lucif.*

R. Nihil ex hoc Concilio erui posse contra divinitatem Verbi; nam Patres Ariminienses formulam amplexi sunt, quæ & sensum Arianum poterat præseferre, & sensum Catholicum, & in hoc posteriore eam de facto amplexi sunt. Res ita contigit. Initio Concilii Patres professi sunt Fidem Nicænam, Arianosque damnarunt. Sed cum Imperator Constantius Arianis favens qua minis, qua blanditiis primo Legatos Concilii ad se missos, postea per Taurum Præfectum suum Patres fuisset adorsus, ipsi ut a malis, quibus premebantur, liberarentur, tandem consenserunt in formulam ab Ursacio & Valente Arianorum signiferis oblatam, in qua & *substantiæ* & *consubstantialis* mentio reticebatur, & Filius negabatur creatura similis aliis creaturis, Patri tamen similis dicebatur, & cum Arianis pacem inierunt: quibus actis dimissi sunt. Iis autem dimissis protestati sunt Ariani se non negasse Filium creaturam, sed tantum negasse eum esse similem aliis creaturis, adeoque Catholicos traduxerunt ut assertores Ariani dogmatis. Quod ubi auditum est, Patres conquesti sunt de fraude, & in contrarium sunt protestati. Sed ipso animo catholico fuerant operati, nihilque admiserant, quod non posset in sensu catholico admitti. Reticuerant siquidem vocem *substantiæ* & *consubstantialis*, sed ideo tantum, quia cum veritatem dogmatis jam in tuto positam existimarent (præsertim ex quo Ursacius & Valens protestati erant se non esse Arianos, imo in Arium dixerant anathema) noluerunt dimicare pro vocibus, & aliunde nec *substantia* nec *consubstantialis* negabatur. Dixerant Filium non esse creaturam similem aliis creaturis, sed hoc potest habere sensum catholicum, quatenus scilicet Filius absolute negetur creatura. Tandem communicaverant cum Arianis, sed hoc quia putaverant Arianos cum iis in recta Fide consentire. Ergo &c. Cum tamen minus caute se gesserint, illorum operandi ratio a pluribus Patribus, imo & ab ipso Liberio tunc R. Pontifice fuit merito reprobata.

Obj. ex Pontificibus. Liberius supra adductus definivit Verbum non esse Patri *homusion*; nam subscripsit secundæ formulæ Sirmiensi, in qua prohibetur vox *homusion* & quidem in sensu, quo eam adhibuerat Nicænum, adeo ut ab omnibus censeatur ea formula plane Ariana. Ergo &c.

℟. Primo quod etsi Liberius subscripsisset hæresi Arianæ, solum sequeretur ipsum ut Doctorem privatum errasse, quod non tollit veritatem assertionis.

℟. Secundo Liberium secundæ formulæ Sirmiensi non subscripsisse. Quod ut ostendatur, tres debent distingui formulæ Sirmienses. Prima fuit condita Sirmii in Concilio ibidem celebrato contra Photinum illius Civitatis Episcopum anno 351. juxta communiorem, & in hac Verbum nec dicitur, nec negatur *homusion*: secunda fuit condita a paucis Episcopis Arianis anno 357. & in hac negatur Filius consubstantialis Patri: tertia fuit condita anno 359., & in ea vox *consubstantialis* reticetur quidem, sed Filius dicitur similis Patri. Concedunt omnes primam & tertiam sensum catholicum in se pati posse, quidquid sit de mente auctorum illarum, secundam vero esse manifeste Arianam.

Hoc posito cum probabilissimum videatur contra Valesium & Pagium Liberium non subscripsisse tertiæ formulæ; hæc enim ex dictis fuit edita anno 359., ut constat ex illius inscriptione, quæ mentionem facit Consulatus Flavii Eusebii, & Hipatii, qui incidit in annum 359., & Liberius subscripsit ante finem anni 358., nam subscripsit dum adhuc esset in exilio, & ut ab eo liberaretur, a quo ante finem anni 358. fuit liberatus: cum inquam hoc videatur probabilissimum, controversia est præcipue utrum primæ, an secundæ subscripserit. Pro prima stant communius Theologi, pro secunda stant communius Hæretici & aliqui etiam inter Catholicos. Ipse dico Liberium secundæ non subscripsisse, &

Prob.

Prob. I. Testatur S. Hilarius (a) formulam, cui subscripsit Liberius, fuisse compositam a 22. Episcopis partim Orientalibus, partim Occidentalibus, quorum nomina recenset, cum tamen teste Sozomeno & Socrate secundæ fuerint auctores solum Ursacius, Valens, Germinius, Potamius, & Osius, qui omnes erant Ooccidentales. II. testatur S. Hilarius (b) inter auctores formulæ, cui subscripsit Liberius, fuisse Basilium Ancyranum, Theodotum Heracleensem, & Sylvanum Tarsensem. At hi non fuerunt auctores secundæ, nam Basilius secundam vix in lucem editam condemnavit in Concilio Ancyrano: Theodotus ante annum, quo fuit condita hæc formula, erat mortuus, & Sylvanus communiter Catholicus reputabatur, & multa ob id ab Arianis passus est. III. narrat Sozomenus Affricanos, postquam Osius Cordubensis infeliciter subscripserat hæsesi, sparsisse falsum rumorem etiam Liberium rejecisse *homusion*, Filiumque dixisse Patri dissimilem. At rumor iste falsus non fuisset, si revera Liberius secundæ formulæ subscripsisset. IV. Liberius ideo subscripsit, ut ab exilio revocaretur. Ergo non subscripsit secundæ, quam detestabantur Semiariani maxime Imperatori accepti, & quibus mediantibus poterat sperare revocationem ab exilio. Illos autem fuisse detestatos secundam formulam patet ex quo referente Socrate ab Imperatore obtinuerunt, ut quotquot potuerunt inveniri illius exemplaria supprimerentur.

Scio in contrarium adduci tum S. Hilarium, qui in fragmentis & formulam, cui subscripsit Liberius, dicit perfidiam Arianam, quo nomine non potuit appellare nisi secundam; primam enim ipse in sensu catholico interpretatur: & ter dicit anathema Liberio; tum S. Hieronymum, qui aperte testatur Liberium subscripsisse hæresi, consequenter secundæ formulæ. Sed

℟. For-

(a) 6. *Fragm.* (b) *Ibidem.*

℟. Formulam primam juxta diversos respectus dici posse & Catholicam & Arianam, Catholicam in se, Arianam in sensu auctorum. Cum autem vidisset S. Hilarius Liberium subscripsisse condemnationi S. Athanasii, & communicasse cum Hæreticis, existimavit illum formulæ subscripsisse in sensu hæretico, adeoque illum ita acriter perstrinxit. Hoc idem responderi potest ad S. Hieronymum, præcipue cum ipse longe absens ab iis regionibus, in quibus hæc agebantur, facile potuerit decipi falsis illis vocibus, quæ ab Arianis divulgabantur. Et sane cum S. Athanasii causa esset connexa cum causa Fidei (ideo enim illum Ariani exagitabant, quia erat strenuus Fidei Nicænæ defensor), qui condemnabat Athanasium, videbatur etiam fidem Nicnam condemnare. Nil igitur mirum, si tam facile habitus sit fidei Nicænæ prævaricator Liberius, qui Arianorum fraudibus circumventus tandem Athanasium condemnavit.

Dici etiam potest cum PP. Maurinis (a) primam formulam afferri a S. Hilario Catholicam, quatenus per eam Orientales, qui Filium Dei antea dixerant Patri dissimilem, dissimilem amplius non dicebant, ac per hoc ad catholicum dogma accedebant: Arianam vero, quatenus per eam Liberius, qui antea catholice Verbum *homusion* fuerat professus, hoc amplius non profitebatur, sicque ad Arianam partem accedebat.

Non igitur subscripsit Liberius secundæ formulæ Sirmiensi, adeoque si alicui subscripsit, subscripsit primæ. Dixi, *si alicui subscripsit*; non enim desunt, qui absolute negant Liberium ulli ex Sirmiensibus formulis subscripsisse, inter quos sunt duo moderni Scriptores P. Cavalcanti Teatinus, & Cardinalis Orsi Dominicanus, & quidem id negant rationibus non spernendis: jure ne, an injuria alii viderint.

Ad

(a) *In notis ad fragm. S. Hilar.*

Ad objectiones modo venio ex Patribus contra divinitatem Verbi. Et quoniam difficiliora sunt quæ ex Patribus Antenicænis afferuntur, ideo in illis præcipue sistam.

Obj. ergo ex Patribus. I. S. Justinus (a) docet illum, qui Moysi apparuit, non esse Deum rerum omnium conditorem, cum ille neque Cælum relinquere possit, nec in exigua terræ parte conspici: & postea dicit illum, qui Moysi apparuit, esse Filium Dei. Ergo sentit hunc non esse Deum. Rursus docet Christum esse Patris administrum & Patri inferiorem, & secundam post Patrem potestatem. Rursus ut explicet quomodo a Patre communicetur natura Filio, utitur exemplo unius ignis alterum ignem accendentis, quod probat distinctionem naturarum, ut distincti sunt hi ignes. Tandem asserit esse Deum ac Dominum alium, præter factorem omnium. Ergo &c.

II. Athenagoras docet Verbum esse in efficacia Patris (b) (idest in virtute ipsius operativa) & prodiisse cum mundus est conditus. Ergo non censet illud Deum.

III S. Irenæus docet (c) Patrem Verbo suo præcepisse ut mundum conderet. Præceptum autem Deo repugnat.

IV. Clemens Alexandrinus (d) dicit Filium primam Sapientiam creatam. (e) Rursus dicit naturam Filii perfectissimam & sanctissimam, soli omnipotenti Deo propinquissimam. & dicit Filium Patris voluntati servire. Imo docet Photius in libris hypotiposeon ab eodem Clemente scriptis, qui perierunt, multa Arianismum redolentia reperiri.

V. S. Dionysius Alexandrinus (f) docet Filium Dei non esse æternum, Patrem se habere ad

(a) *Dialog. cum Triphone*.
(b) *Apolog. pro Christ.*
(c) *Lib. 3. cap. 8.* (d) *Lib. 5. Strom.*
(e) *Lib. 7. Strom.*
(f) *Ep. ad Amino. & Ephranor.*

ad illum, sicut agricola ad vitem, & navis fabricator ad navem: quæ omnia divinitati Verbi repugnant. Et de facto S. Basilius S. Dionysium (a) accusat, quod male de Verbi divinitate senserit.

VI. Tertullianus (b) docet fuisse tempus, quo Deus nec fuit Pater, nec Judex. Præterea (c) docet Sapientiam conditam fuisse, & habuisse initium, & nihil esse ingenitum præter solum Deum. Alibi docet Patrem esse totam substantiam, (d) Filium vero portionem. Ergo sentit Filium non esse Deum. Ergo &c.

Generaliter ℟. quod etsi aliqui ex Patribus Antenicænis errassent circa divinitatem Verbi, ut aliquos errasse concedit Petavius, non tamen ex hoc ipsius Verbi divinitas esset neganda; nam eorum error sufficienter sublatus fuisset per contrariam definitionem Nicæni. Sed Patres adducti de facto non errarunt, quamvis duriuscule locuti sint; ut enim inquit S. Hieronymus: (e) *Antequam Arius nasceretur, innocenter quædam & minus caute locuti sunt* (Patres) *& quæ non possint perversorum hominum calumniam declinare*. Ad singulos igitur.

Ad I. ℟. S. Justinum phrasi apud veteres usitata, sumere nomen *Dei* pro Patre, quia cum Patrem agnosceret fontem totius deitatis, ipsum antonomastice Deum appellabat. Dicit ergo S. Justinus illum, qui Moysi apparuit, non esse Patrem; loquitur enim in sententia multorum ex antiquis, qui asserebant nunquam Patrem apparuisse sub specie sensibili, sed solum Filium; non quatenus hic haberet naturam, quæ posset locum deserere & oculis apparere, secus vero ille, sed quatenus solus Filius assumebat in hypostasi sua spe-

(a) *Ep.* 41.
(b) *Contr. Hermog. cap.* 3. (c) *Cap.* 18.
(d) *contr. Prax. cap.* 9.
(e) *Apolog.* 2. *contr. Ruffin.*

speciem quandam corpoream, in qua videbatur de loco in locum transferri & oculis humanis conspici, ut in ea apparens Patris voluntatem manifestaret, & ut sensim homines disponerentur ad credendum futurum mysterium Incarnationis. Et sane S. Justinus expresse scribit illum, qui apparuit, fuisse Deum, dum inquit: (a) *Neque Abraham, neque Isaac, neque Jacob, neque hominum alius quispiam Patrem & ineffabilem Dominum rerum omnino universarum & ipsius Christi vidit, sed illum ipsum, qui juxta consilium ejus & voluntatem & Deus est Filius ipsius, & Angelus, ex eo quod sententiæ illius est administer*. Rursus Christum dicit Patri administrum, quatenus agit virtute, quam accepit a Patre, non quatenus sit ipsi subordinatus. Quod si Filium dicit Patri inferiorem, sumit inferioritatem improprie (ut etiam sumitur ab aliis Patribus, quos certum est fuisse strenuos divinitatis Verbi propugnatores, ut a Patribus Sardicensibus (b) & ab (c) Athanasio) quatenus est secundus a Patre ratione originis, quo eodem sensu Filium dicit secundam a Patre potestatem. Cum autem adhibet exemplum ignis alium ignem accendentis, non contendit omnimodam instituere paritatem, sed solum aliquam similitudinem assignare in hoc consistentem, quod sicuti prior ignis est principium secundi, ita Pater Filii; sicuti ignis accendit alium ignem sine sui læsione, ita Pater dat esse Filio sine sui læsione (& de facto etiam in Symbolo Nicæno Filius dicitur *lumen de lumine*). Tandem cum asserit alium esse Deum & Dominum præter Patrem, illud *alium* non refert ad naturam, sed ad Personam.

Cæ-

(a) *Eod. Dialog.*
(b) *Ep. Synod. apud Theodoret.*
(c) *Lib. 2. contr. Arianos.*

Cæterum S. Justinum stetisse pro divinitate Verbi, patet ex sequentibus ejus dictis; inquit enim: (a) *Si dicta Prophetarum intellexissetis, non inficiati essetis ipsum* (Christum) *esse Deum singularis & ingeniti ineffabilisque Dei Filium*: & paulo post: *Dominus & Deus Dei Filius est:* & alibi: (b) *Jesus Christus unus & solus proprie Filius Dei genitus .... Qui quod Verbum & primogenitus Dei sit, Deus est*. Præterea supra adducto dialogo egregium hoc de consubstantialitate Verbi cum Patre, & distinctione personali ab eodem habet testimonium: *Virtutem istam, quam Deum sermo propheticus vocat, non ut solis lumen nomine tantum numerari, verum etiam aliud quiddam esse ratione exquisita supra paucis explicavi, virtutem hanc dicens de Patre genitam virtute & consilio ipsius, non per abscissionem, tanquam dispertita esset Patris essentia*.

Ad II. ℟. duplicem cum aliis antiquis distingui ab Athenagora Verbi generationem, unam veram & substantialem, quæ fuit æterna, alteram impropriam & accidentalem, quæ in hoc sita fuit, ut Pater per Verbum extrinsecus operaretur, adeoque Verbum ipsum externe manifestaret, & de posteriori hac generatione loquitur loco adducto.

Plura autem dicit in eadem apologia, quæ divinitatem Verbi ostendunt; ait enim: *Quis igitur non miretur, dum audiat nos, qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium & Spiritum S., eorum in unitate virtutem, & in ordine distinctionem explicantes, Atheos vocari?* Ipsius consubstantialitatem cum Patre prædicat dicens: *Cum sit unum Pater, & Filius, & sit in Patre Filius, & Pater in Filio unitate & virtute Spiritus, mens & Verbum Dei Filius est:* & infra: *Deum asserimus, & Filium ipsius Verbum, & Spi-*

(a) *Dialog. cum Triphon.*
(b) *Apolog. 2. pro Christ.*

Spiritum S., tria quidem secundum potentiam Patrem, & Filium, & Spiritum S., actu vero & essentia unum. Filius enim Patris mens, Verbum & sapientia est, & ab eodem Spiritus, ut lumen ab igne, profluit.

Ad III. ℟. S. Irenæum per illam phrasim tantum significare Patrem per Verbum condidisse mundum. Quod quomodo a veteribus intelligeretur juvat explicare verbis Tertulliani dicentis: (a) *Dixit Deus fiat lux . . . & Deus fecit: & dixit Deus fiat firmamentum, & fecit Deus firmamentum: & dixit Deus fiant luminaria, & fecit* Deus *luminare majus & minus .... idest sermo Dei, per quem omnia facta sunt .... Quod si ipse* Deus *est secundum Joannem, Deus erat sermo, habes duos, alium dicentem ut fiat, alium facientem. Alium autem quomodo accipere debeas, jam professus sum, personæ, non substantiæ nomine, ad distinctionem, non ad divisionem. Ceterum etsi ubique teneo unam substantiam in tribus cohærentibus, tamen alium dicam oportet ex necessitate sensus eum, qui jubet, & eum, qui facit.* Juxta quod S. Hilarius ait: (b) *In creando mundo obedientem dictis Dei Deum fuisse:* & Nazianzenus: (c) *Nonne perspicuum est earundem rerum formas a Patre quidem velut consignari, a Filio autem peragi non serviliter atque indocte, sed perite & heriliter, atque, ut aptius loquar, paterne?*

Irenæum autem pro Verbi divinitate stare patet ex quo ait de Christo: (d) *Ab omnibus accipiens testimonium, quoniam vere homo & vere* Deus *est*: (e) & alibi post allata illa verba: *unxit te Deus Deus tuus* subdit: *Utrosque Dei appel-*

(a) *Contra Praxeam cap.* 12.
(b) *Lib.* 5. *de Trin.*
(c) *Orat.* 2. *de Filio, quæ est* 4. *de Theolog.*
(d) *Lib.* 4. *cap.* 6.
(e) *Lib.* 3. *cap.* 6.

pellatione significavit Spiritus & eum, qui ungitur, Filium, & eum, qui ungit, idest Patrem: & infra allatis aliis; *Deus stetit in Synagoga deorum*, per quam Synagogam intelligit Ecclesiam, subdit: *Hæc est Synagoga Dei, quam Deus, hoc est Filius, per semetipsum collegit, de quo iterum dicit*: *Deus* Deorum *Dominus locutus est, & vocavit terram. Quis Deus? de quo dixit: Deus manifeste veniet, Deus noster, & non silebit, hoc est Filius... &* concludit: *Nemo igitur alius Deus nominatur, aut Dominus appellatur, nisi qui est omnium Deus &* Dominus, *qui & Moysi dixit. Ego sum qui sum, & hujus Filius Jesus Christus*.

Ad IV. ℟. Clementem dicere Verbum Sapientiam creatam, sumendo *creatam* pro *genitam* proportionaliter ad supra dicta. Asserit autem Deo propinquissimam naturam Filii, vel quia natura Filii, & Patris eadem est, vel sumendo naturam pro persona, ut fit etiam aliquando ab aliis Patribus. Rursus dicit Filium divinæ Patris voluntati servire improprie & metaphorice, quatenus Filius non potest ob identitatem voluntatis aliud facere, quam quod Pater vult. Libri hipotyposeon teste Photio ipso fuerunt adulterati, unde non potest probari quæ Arianis favent esse Clementis.

Ab illo autem agnitam fuisse divinitatem Christi patet ex eo, ubi ait: (a) *Verbum divinum, quod est manifestissime verus Deus, qui universorum Domino exequatus, quoniam erat ejus Filius, & Verbum erat in Deo:* & rursus: *Nihil odio habet* Deus, *sed neque Verbum, utrumque enim unum est nempe Deus*. Et alibi: (b) *Noster Pedagogus Sanctus Deus* Jesus, *Verbum quod est omnis humanæ naturæ dux, ipse hominum amator Deus est & Pedagogus*.

Ad

(a) *In adhortat. ad Gentes*.
(b) *Lib.* 1. *Pedagog. cap.* 7.

Ad V. ℟. S. Dionysium Alexandrinum a Pentapolitanis apud Dionysium R. Pontificem accusatum, quod male de divinitate Verbi sentiret, scripsisse pro se apologiam, in qua omnem de se suspicionem erroris avertit, & Verbum Patri *homusion* professus est. Ad illa autem, quæ sibi fuerant opposita supra in objectione relata, respondit se ea dixisse de Christo ut homine. Cæterum confitetur Filium & ipsum esse æternum dicens: *Filius, cum sit splendor lucis æternæ & ipse omnino æternus est*. Subdit quod, etsi asseruisset Filium secundum divinitatem esse factum a Patre, non ideo tamen esset culpandus; nam apud Græcos *facere, creare, & producere* idem significant. Porro exempla ab ipso adhibita dicit fuisse adhibita tantum obiter &, ut ipse ait, *in transcursa*, & ut personas contra Sabellianos distingueret. Cæterum asserit se etiam adhibuisse exempla Filii consubstantialitatem cum Patre ostendentia, ut inter alia exemplum fontis & fluminis. Hanc apologiam probabilius nondum viderat Basilius, cum S. Dionysium accusavit, quam postea cum vidisset, illum laudavit, & in libris *de Spiritu S.* appellavit virum Apostolicum.

Hic autem recte advertunt aliqui ex facto jam descripto facile ostendi, tempore S. Dionysii Alexandrini fuisse Ecclesiæ sententiam, quod Verbum sit Deus; nam aliter non fuisset accusatus Episcopus a Pentapolitanis apud R. Pontificem: hic non suscepisset accusationem, nec jussisset, ut accusatus accusationibus responderet, nec is tam fuisset sollicitus de illata calumnia a se depellenda.

Ad VI. ℟. illi Tertulliani dicto, *Fuit tempus, quo nec Deus fuit judex, nec Pater*, multipliciter Theologos occurrere. Dicunt aliqui Tertullianum non loqui in propria, sed in sententia Hermogenis; hic enim, cum Filium non faceret æternum, faciebat tamen æternam materiam, ut verificaretur Deum fuisse Dominum ab æterno. Contra hunc volunt isti Tertullianum sic argumentari: non minus est prædicatum Dei esse Do-

minum, quam esse Judicem & Patrem. Sicuti ergo per te, o Hermogenes, Deus non fuit ab æterno Judex & Pater, sic non est necesse, ut dicamus illum fuiſse ab æterno Dominum, adeoque ut faciamus coextitisse illi ab æterno materiam, cujus esset Dominus. Secundo dicunt alii Tertullianum in propria sententia loqui, & asserere Deum non habuisse ab æterno Filium adoptivum, aut naturalem humanitate indutum: & hoc, ut probet relationem Domini esse Deo extrinsecam, sicut illi est extrinseca relatio Patris jam dicta & relatio Judicis. Tertio dicunt alii eatenus Tertullianum asserere Deum non semper fuisse Patrem, quia Verbum suum, quamvis ab æterno genitum, non tamen ab æterno exterius prodidit, sed veluti in utero detinuit, donec ad formationem rerum extra se processit, unde sicuti in humanis Pater non dicitur aliquis, nisi postquam ei natus est Filius, quamvis genitus hic sit, & in utero matris inclusus, ita & in Deo.

Et sane Tertullianus tam diserte alibi asserit Filium esse æternum, ut, cum dicit Deum non semper fuisse Patrem, hoc non possit in sensu Ariano intelligi; inquit enim: (a) *Sermo & in Patre semper, sicut dicit ego in Patre: & apud Deum semper, sicut scriptum est, & sermo erat apud Deum: & nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre, quia ego & Pater unum sumus.*

Ad id, quod subditur, ℟. nomen Dei a Tertulliano sumi pro Patre, & ab ipso asseri Sapientiam fuisse conditam idest genitam, & habuisse initium, idest originem, & nihil esse ingenitum, idest nihil carere principio, præter solum Patrem. Filium autem dicit portionem substantiæ Patris, quia non est id totum, quod est Pater, cum,

(a) *Contr. Prax. cap.* 8.

cum, licet habeat illius essentiam, non habeat tamen paternitatem.

Cæterum Tertullianus aperte divinitatem Filii prædicat, dum ait: (a) *Dum alius qui generat, alius qui generatur, dum alius qui mittit, alius qui mittitur, dum alius qui facit, alius per quem fit . . . non divisionem significavit, sed dispositionem:* & alibi: (b) *Hunc*, nempe Dei Filium, *ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex unitate substantiæ.*

Consulto non attuli quæ ex Origene contra consubstantialitatem Verbi afferuntur; parvi enim in hoc facienda est ipsius auctoritas, quem multi putant Arianæ hæresi prælusisse.

ARTICULUS TERTIUS.

Circa vocem *homusion* quæritur utrum recte adhibita sit a Concilio Nicæno. Hæc quæstio quamvis cum superiore connexa ab ea tamen est distincta; nam etiam supposito, quod Verbum sit Deus, quæri potest utrum convenienter adhibita sit a Nicæno ad hanc exprimendam divinitatem vox hæc: & de facto aliqui catholice sentientes de divinitate Verbi talem vocem respuerunt. Sit ergo

Assertio. *Convenientissime fuit a Nicæno ad exprimendam Verbi divinitatem adhibita vox* homusion.

Prob. ex factis; nam I. ea vox opportunissima visa est Patribus Nicænis doctissimis sane & sapientissimis, & post Nicænum omnibus sequentibus Patribus adeo fuit accepta, ut tanquam Fidei tessera semper usi sint contra Arianos. II. è contrario Ariani omnem moverunt lapidem, ut

(a) *Contr. Prax. cap.* 9.
(b) *Apologet. cap.* 21.

eam vocem supprimerent, indicio ipsis fuisse visam contrariam illorum errori. Ergo &c.

Prob. ratione. Ea vox opportunissima est ad exprimendam tum distinctionem Verbi a Patre contra Sabellium: nam dicitur sibimetipsi consubstantialis: tum ipsius Verbi divinitatem; nam si est ejusdem cum Patre substantiæ, vel substantiæ simul cum Patre, sicut Patris substantia est increata, æterna, immutabilis, uno verbo divina, talis quoque est substantia Filii. Præterea cum certum sit unum tantum esse Deum, identitas hæc & simultas substantiæ non potest intelligi de simultate & identitate specifica, ut E. G. intelligitur apud homines, sed de identitate & simultate numerica & rigorosa. Ergo &c.

Obj. ex Conciliis. In Concilio Antiochæno ante Micænum celebrato contra Paulum Samosatenum definitum est Verbum non esse Patri *homusion*. Ergo &c.

℟. Fuisse negatum *homusion* in sensu tantum Pauli Samosateni, qui hac voce denotabat similitudinem, quæ reperitur inter individua ejusdem speciei; ut enim hic probaret Verbum non fuisse ab æterno veram Personam divinam a Patre distinctam, ita argumentabatur. Si Verbum tale ab æterno fuisset, jam fuisset Patri consubstantiale. Hoc non; nam sic divisa fuisset natura divina, ut dividitur natura creata in pluribus individuis ejusdem speciei, quæ sunt consubstantialia. Ergo &c. Ad hæc Patres Antiocheni responderunt Verbum non esse Patri hoc modo consubstantiale; sed ut patet de consubstantialitate loquebantur diversa ab ea, quæ definita est in Nicæno.

Obj. ex ratione I. Vox *homusion* non reperitur in Scripturis. Ergo &c.

II. Hæc vox non est adhibita a Patribus ante Nicænum. Ergo &c.

III. Hæc vox æquivoca est, & potest dare occasionem erroribus, nam ea posita dubitari potest, ne Filius sit ejusdem substantiæ, ac Pater quomodo evenit in humanis. Ergo &c.

Ad

Ad I. ℟. primo retorquendo argumentum contra Arianos. Nec reperitur in Scripturis *Filium esse ex non extantibus*: *erat quando non erat* &c., quibus tamen phrasibus utebantur Ariani. Ergo &c.: secundo licuisse Ecclesiæ ad novos errores retundendos novas etiam voces adhibere: tertio hanc vocem, si non quoad verba, saltem quoad sensum in Scripturis reperiri, ut supra ostensum est, cum probata est divinitas Verbi: *Quod si ita credendum est*, inquit Nazianzenus (a), *cur non ita profitendum?* unde Sanctus Augustinus ait: (b) *Prius interpretandum & exponendum esse quid sit homusion, tum demum in divinis litteris requirendum, quia etsi fortasse nomen ipsum non inveniretur, res tamen ipsa inveniretur. Quid est enim contensiosius, quam ubi de re constat, certare de nomine?* Ubi etiam addit nomen quoque *ingeniti* in Scripturis non reperiri, quin tamen hoc obstet, nè Pater ingenitus dicatur.

Ad II. ℟. Primo, dato, quod non fuisset adhibita quoad verba, nihil tamen contra assertionem; fuit enim adhibita quoad sensum: secundo revera fuisse adhibitam tum a S. Dionysio Alexandrino (c), tum a Tertulliano (d), tum etiam ab aliis; & Eusebius ipse Cæsareensis, quamvis vel Arianus, vel saltem de Arianismo suspectus, testatus est hanc vocem fuisse adhibitam a Patribus antiquis.

Ad III. ℟. Omittendo quod vox *homusion* per se possit esse æquivoca; talis autem non est, si & debite explicetur, & in talibus circumstantiis adhibeatur, in quibus ad unum potius sensum, quam ad alium manifeste determinetur. A Nicænis autem ita adhibita est; nam antea definierant

(a) *Orat.* 49.
(b) *Ep.* 238. *alias* 174.
(c) *Apud Athanas. de ejus Fide.*
(d) *Contr. Prax.*

& Deum esse unum per illa verba Symboli: *Credimus in unum Deum*, & Verbum esse *ex Patre unigenitum*, *esse lumen de lumine*, *Deum verum de Deo vero*, quibus & illi veram divinitatem adstruxerunt, & distinctionem Personæ Verbi a Persona Patris. Statim ergo ac addiderunt hanc Personam a Patre distinctam, quæ erat Deus verus, esse Patri consubstantialem, manifestum erat consubstantialitatem non posse intelligi nisi de identitate naturæ, cum alia quælibet consubstantialitas repugnet unitati Dei. Ergo &c. Cæterum sicuti adhibetur in divinis vox *Patris* & *Filii*, nec periculum est, ne intelligantur divina paternitas & filiatio, ut intelliguntur in humanis, cur tale periculum erit in casu? Ergo &c.

Circa vocem *homiusion* quæritur, an potuerit in recto sensu adhiberi, & quare noluerint Catholici acquiescere confitentibus Verbum Patri *homiusion*.

Assertio. *Vox* homiusion *poterat utique in sano sensu adhiberi*.

Prob. Cum enim hæc vox denotet similitudinem in natura, quæ similitudo in divinis non potest haberi, nisi posita identitate naturæ cum distinctione Personarum, patet vocem hanc recte adhiberi potuisse. Et de facto plures tempore hæresis Arianæ potius voluerunt adhibere vocem *homiusion*, quam *homusion*, recte cæteroquin sentientes de divinitate Verbi, quia melius per priorem vocem, quam per posteriorem existimabant hanc divinitatem explicari. Unde inter hæreticos semi-Arianos non debent censeri nisi illi, qui voce *homiusion* utebantur, & rejiciebant *homusion* ad negandam veram identitatem naturæ.

Cum tamen vox *homusion* de se aptissima sit ad hanc identitatem adstruendam, qui talem vocem rejiciebant contenti adhibere aliam, valde erant Catholicis suspecti: unde isti nunquam destiterunt illos urgere, ut hanc etiam admitterent.

AR-

ARTICULUS QUARTUS.

Non ſufficit ad Catholicum dogma circa divinum Verbum oſtendiſſe illud eſſe Deum, niſi etiam oſtendatur ipſum eſſe veram Perſonam a Patre diſtinctam; nam etiam attributa E. G. Patris ſunt Deus, cum tandem ſint ipſe Pater, nec tamen ſunt Perſonæ ab eo diſtinctæ. Illud proinde eſſe Perſonam a Patre diſtinctam modo eſt probandum. Sit ergo

Assertio. *Verbum divinum eſt vera perſona a Patre diſtincta.* Eſt de Fide.

Prob. ex Scripturis. Et quidem quod Verbum ſit perſona colligitur tum ex dictis circa ipſius divinitatem, tum etiam quia ipſi competunt charaſteres Perſonæ, ut procedere & mitti a Patre, & venire in mundum (a): *Exivi a Patre & veni in mundum*, & (b): *Qui me miſit mecum eſt:* accipere mandatum a Patre (c): *Mandatum dedit mihi Pater*: cognoſcere Patrem (d): *Nemo novit Filium niſi Pater, neque Patrem quis novit niſi Filius*: habitare in hominibus (e): *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*: docere homines (f): *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: loqui hominibus (g): *Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*; conferri Baptiſmum in nomine ejus (h): *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S.*: reddere teſtimonium ſimul cum Patre (i): *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S.*

Quod vero ſit Perſona a Patre diſtincta prob.; nam dicitur a Patre procedere & mitti, dicitur Filius

R 4

(a) *Jo.* 16. (b) *Jo.* 8.
(c) *Jo.* 14. (d) *Matt.* 11.
(e) *Jo.* 1. (f) *Ibidem*.
(g) *Ibidem*. (h) *Matt.* 28.
(i) 1. *Jo.* 5.

lius Patris, in forma Baptismi exprimitur ut a Patre distinctum, & tandem cum Patre facit numerum. Ergo &c.

Reponunt Hæretici nihil ex allatis locis colligi, quia characteres expressi possunt etiam verificari de illis, qui non sunt personæ; nam etiam dicitur (a), *mitti auxilium de sancto:* rursus (b): *Misit Deus misericordiam suam & veritatem suam:* rursus (c): *Redemptionem misit populo suo:* dicitur venire mandatum (d): *Cum venisset mandatum*, & fides (e): *Priusquam veniret fides:* dicuntur ab homine procedere actiones (f): *Quæ procedunt ab homine communicant hominem*: accipere mandatum etiam nubes (g): *Et mandavit nubibus desuper:* dicuntur etiam cognoscere bruta (h): *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui*: dicitur habitare ira Dei (i): *Ira Dei manet super eum;* dicitur loqui lex & sanguis (k): *Quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur:* & (l): *Accessistis ad sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel*: dicitur nos docere unctio Dei (m): *Unctio ejus docet vos de omnibus*: dicitur conferri Baptismus etiam in igne (n): *Ille* (Christus) *vos baptizavit in Spiritu S., & igne:* tandem testimonium dat etiam aqua, & sanguis (o): *Tres sunt, qui testimonium dant in terra Spiritus, aqua, & sanguis*. Ergo &c. Sed

Contra: quamvis expressi characteres aliquando de rebus inanimatis dicantur, habemus tamen unde colligamus eos dici metaphorice; nam & alibi in Scripturis eæ res exprimuntur ut inanimatæ, & aliunde etiam cognoscimus illas esse inanimatas

(a) *Psalm.* 19. (b) *Psalm.* 56.
(c) *Psalm.* 110. (d) *Rom.* 7.
(e) *Galat.* 3. (f) *Marci* 7.
(g) *Psalm.* 77. (h) *Isai.* 1.
(i) *Jo.* 3. (k) *Rom.* 3. (l) *Heb.* 12.
(m) 1. *Jo.* 2. (n) *Matt.* 3. (o) 1. *Jo.* 5.

tas. At Scripturæ de divino Verbo loquentes semper illi aptant characteres personæ (est autem inverisimile, quod semper metaphorice loquantur, præcipue cum de illo ut plurimum historice loquantur, historicæ autem locutioni sit inconveniens metaphora,) & quid sit divinum Verbum non cognoscimus nisi ex Scripturis, (est autem inverisimile quod Scriptura docens nos quid sit Verbum, semper in sensu improprio loquatur, qui profecto sensus in casu nos induceret in errorem.)

Obj. ex Scripturis. Christus ait (a): *Ego & Pater unum sumus*. Ergo non est Persona a Patre distincta.

℟. Illud *unum* referri ad essentiam; ibidem enim Christus ostendit nullum posse rapere oves suas de manu sua, cum non possint rapi de manu Patris propter ipsius potentiam indicatam per illa verba (b): *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est*. Rationem autem hujus argumentationis reddit Christus dum dicit: *Ego & Pater unum sumus*. Ubi, ut patet, loquitur de potentia, adeoque de prædicato absoluto in essentia contento, quasi dicat: nil mirum si eo ipso, quod oves meæ non possunt rapi de manu Patris, nec possint rapi de manu mea, cum eadem sit amborum potentia. Juvat etiam audire Augustinum, qui hæc habet (c): *Non dixit: Pater ego sum, aut ego & Pater unus est. Sed cum dicit: ego & Pater unum sumus, utrumque audi & unum, & sumus, & a Charibdi & a Scylla liberaberis. In duobus istis verbis, quod dixit unum, liberat te ab Ario, quod dixit sumus, liberat te a Sabellio. Si unum, non ergo diversum. Si sumus, ergo & Pater & Filius; sumus enim non diceret de uno: sed & unum non diceret de diverso.*

Obj. ex ratione. Verbum mentis apud homines non est persona distincta ab eliciente tale verbum. Ergo a pari &c.

 ℟. Quod

(a) *Jo.* 10. (b) *Ibidem*.
(c) *Tract.* 36. *in Joan.*

R/. Quod ſicuti divina ejuſdem rationis non ſunt ac humana, mirum non eſt ſi Verbum divinum ejuſdem conditionis non ſit, ac humanum verbum.

DISSERTATIO V.

De Perſona Spiritus Sancti.

DIſſertationem hanc in quinque capita divido. In 1. agam de nominibus & characteribus tertiæ Perſonæ convenientibus, in 2. de divinitate Spiritus S., in 3. de illius proceſſione a Patre & Filio, in 4. de additione particulæ *Filioque* facta Symbolo, in 5. quæram utrum, ſi Spiritus S. a Filio non procederet, ab illo necne diſtingueretur.

CAPUT PRIMUM.

De nominibus & characteribus tertiæ Perſonæ convenientibus.

NOmina & characteres tertiæ Perſonæ convenientia ſunt hæc præcipue, 1. *Spiritus S.*, 2 *amoris*, 3. *doni*. De ſingulis ex ordine.

ARTICULUS PRIMUS.

Nomen *Spiritus Sancti* tripliciter dici poteſt: primo ut derivatur a ſpiritualitate, & ſanctitate, & ſic eſt commune omnibus tribus Perſonis: ſecun-

cundo ut derivatur a ſpiratione activa, & ſic competit primæ & ſecundæ tantum: tertio ut derivatur a ſpiratione paſſiva, & ſic eſt nomen perſonale tertiæ tantum competens. Hoc poſteriori ſenſu ſumitur hoc nomen, cum in Scripturis, & apud Patres & Theologos adhibetur. Et recte quidem; nam hæc vocabula *ſpirare & ſpiritus* peculiariter conveniunt voluntati, quæ dicitur ſpirare, cum aliquem actum cum vehementi intenſione producit, quo ſenſu, cum vehementer amat, dicitur ſpirare amorem, & cum vehementer deſiderat vindictam, dicitur vindictam ſpirare. Pariter ſanctitas proprie ad voluntatem pertinet, a cujus operationibus, non ab operationibus intellectus aliquis ſanctus dicitur. Ex his patet quam recte tertia Perſona, quæ a Patre & Filio per voluntatem, ut infra probabitur, procedit, dicatur Spiritus S..

ARTICULUS SECUNDUS.

Nomen *amoris* tripliciter ſumi poteſt: primo ut importat diligere ut ſic, & ita eſt eſſentiale competens omnibus tribus Perſonis: ſecundo ut importat amando producere terminum amoris intrinſecum & immanentem, & ita eſt notionale, & convenit Patri ſolum & Filio: tertio ut importat amando produci, & ita eſt nomen perſonale tertiæ tantum Perſonæ conveniens.

ARTICULUS TERTIUS.

Nomen *doni* poteſt ſumi dupliciter: primo pro eo, quod alteri liberaliter confertur, & hoc modo convenit omnibus tribus Perſonis, quæ omnes ſe liberaliter tradunt juſtis per gratiam: ſecundo pro eo, quod ex vi ſuæ proceſſionis eſt donum, & hoc modo peculiariter convenit Spiritui S., qui eatenus ex vi ſuæ proceſſionis eſt donum, quatenus procedit ut amor, qui eſt primum donum, cum cætera donentur propter amorem.

CAPUT SECUNDUM.

De Divinitate Spiritus Sancti.

PRobabo 1. divinitatem Spiritus S. 2. probabo ipsum esse veram Personam a Patre & Filio distinctam.

ARTICULUS PRIMUS.

Assertio. *Spiritus S. est verus Deus, Patri & Filio consubstantialis*. Est de Fide.

Prob. ex Scripturis. Hæ Spiritui S. tribuunt opera Dei, ut creare dum dicitur: (a) *Spiritus Dei fecit me*, & alibi: (b) *Verbo Domini Cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*: rursus: (c) *Emittes Spiritum tuum & creabuntur*: justificare, dum dicitur: (d) *Justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri*: tribuere virtutem faciendi miracula, dum dicit Christus: (e) *Ego in Spiritu Dei ejicio dæmones*: & miracula, quæ fiebant per Apostolos, dicuntur (f) *distributiones Spiritus S.*: destinare ministros Ecclesiæ, dum dicitur: (g) *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Ergo &c. His addantur quæ supra sunt alia occasione recensita, petita tum ex forma Baptismi, tum ex versiculo: *Tres sunt qui testimonium* &c.

Prob. ex Conciliis. Constantinopolitanum I. contra Macedonium præcipue congregatum condidit Symbolum hæc habens: *Credimus in Spiritum*

(a) *Job.* 33. (b) *Psalm.* 32.
(c) *Psalm.* 103. (d) 1. *Cor.* 6.
(e) *Matt.* 12. (f) *Heb.* 2.
(g) *Act.* 20.

tum S. Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum, & glorificandum, qui locutus est per Prophetas.

Prob. ex Patribus. I. Clemens Alexandrinus hæc habet: (a) *Gratias agamus, laudemus unum Patrem & Filium, Filium inquam Pedagogum & Magistrum una cum S. Spiritu, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia unum, per quem est quod semper est.* II. Tertullianus ait: (b) *Duos quidem definimus Patrem & Filium, & jam tres cum S. Spiritu ... duos tamen Deos nunquam ex ore nostro proferimus: non quasi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus S. Deus, & Deus unusquisque.* III. S. Cyprianus inquit: (c) *De Patre, Filio, & Spiritu S. scriptum est: hi tres unum sunt.*

Obj. ex Scripturis docentibus I. Spiritum S. pro nobis postulare & gemere: (d) *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

II. ipsum non loqui a semetipso: (e) *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur.*

III. ipsum scrutari, idest indagare & inquirere profunda Dei: (f) *Omnia scrutatur etiam profunda Dei.*

IV. ipsum posse contristari; Ephesios enim hortatur Apostolus, ut Spiritum S. non contristent; (g) *Nolite contristare Spiritum S. Dei.* Hæc omnia Deum dedecent. Ergo &c.

Ad I. ℟. Spiritum S. dici pro nobis gemere & postulare tantum metaphorice, quatenus facit, ut nos postulemus & gemamus. (h) *Intellige*, inquit Augustinus, *locutionem & blasphemiam declinabis; sic enim dictum est gemitibus interpel-*

(a) *Pedag. lib.* 3. *cap.* 12.
(b) *Contra Prax. cap.* 13.
(c) *Lib. de unit. Eccl.* (d) *Rom.* 8.
(e) *Jo.* 16. (f) 1. *Cor.* 2. (g) *Ephes.* 4.
(h) *Collat. cum Maxim. n.* 13.

pellat, ut intelligeremus gemitibus interpellare nos facit. Ideo autem hoc dicitur de Spiritu Sancto, non de Patre & Filio, licet hic effectus utpote ad extra sit communis toti Trinitati, quia spectat ad sanctificationem animarum, quæ per appropriationem convenit tantum Spiritui S.

Ad II. ℟. ideo Spiritum S. non loqui a semetipso, quia non est a se, sed a Patre & Filio. Ita S. Ambrosius inquiens: (a) *De Spiritu Filius Dei dixit: non enim loquetur a se, hoc est non sine mea & Patris communione*. Ita pariter S. Augusinus: (b) *Non ergo loquetur a semetipso, quia non est a semetipso, sed quæcumque audiet loquetur. Ab illo audiet, a quo procedit. Audire illi scire est, scire vero esse. Quia ergo non est a semetipso, sed ab illo, a quo procedit, a quo illi est essentia, ab illo scientia: ab illo igitur audientia, quod nihil aliud est, quam scientia.*

Ad III. ℟. scrutari non sumi pro indagatione & inquisitione, sed pro diligenti observatione. Et sane illud *scrutari* posse dici de Deo patet ex illo: (c) *Scrutans corda & renes Deus*. Unde S. Ambrosius hæc habet: (d) *Similiter scrutator est Spiritus S. ut Pater, similiter scrutator & Filius, cujus proprietate sermonis id exprimitur, ut videatur nihil esse, quod nesciat, quem nihil præterit.*

Ad IV. ℟. Spiritum S. contristari solum metaphorice, quatenus cognoscit & punit offensas sibi factas. Non magis autem repugnat Deo hæc contristatio, quam exacerbatio, quæ illi tribuitur, dum dicitur: (e) *Quoties exacerbaverunt eum in inaquoso!* & dolor, qui illi tribuitur, dum dicitur: (f) *Tactus dolore cordis intrinsecus.*

Obj.

(a) *Lib. 2. de Spir. S. cap.* 12.
(b) *Tract.* 99. *in Jo.* (c) *Psalm.* 7.
(d) *Lib. de Spir. S. cap.* 12.
(e) *Psalm.* 77. (f) *Genes.* 6.

Obj. ex Patribus I. S. Basilius non videtur credidisse Spiritum S. esse Deum; consulto enim abstinuit ab appellando illo Deum, ob quod laudatur a (a) S. Gregorio Nazianzeno.

II. Idem quoque silentium observatur in S. Hilario, qui, licet scripserit 12. libros de Trinitate, nunquam tamen Spiritum S. dixit Deum. Ergo &c.

Ad I. ℟. quod si aliquando S. Basilius abstinuit ab appellando Spiritum S. Deum, id fecit prudentis œconomiæ gratia, nè prævalente Hæreticorum factione expelleretur a Sede sua. Hanc ob rem ignaviæ quidem fuit ab aliquibus accusatus, sed a Nazianzeno fuit defensus. Et sane quamvis aliquando reticuerit nomen *Deus*, cum de Spiritu S. sermonem habuit, implicite tamen semper confessus est illum Deum, asserendo Spiritum S. non esse creaturam. Ita inquit: (b) *Neque Trinitas manet Trinitas detracto Spiritu: & si unum aliquid adjungatur ex creaturis, universa creatura simul introducetur*: & alibi ait: (c) *Nihil prorsus in divina ac beata Trinitate creatum adinvenitur*. Sed etiam expresse aliquando S. Basilius Spiritum S. appellavit Deum, ut constat tum ex illis, quæ ait: (d) *Confitendum est Deum esse Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum S., quemadmodum divinæ Scripturæ, & qui subliminiora contemplati sunt docuerunt*: tum ex Nazianzeno supra relato, qui ait: (e) *Quod alioquin melius, quam quivis alii* (Basilius) *Spiritum S. Deum agnosceret, cum ex eo perspicue constat, quod & hoc sæpe de loco superiore, quoad per tempus licebat, prædicavit, & privatim apud eos, a quibus interrogabatur, haud cunctanter confessus*

(a) *Orat. in laud. Basil.*
(b) *Homil.* 28. *contr. Sabellian.*
(c) *Ep.* 60. (d) *Ep.* 141.
(e) *Laudat. Orat.*

ſus eſt, tum vero in ſuis ad me ſermonibus apertius id demonſtravit non ſimpliciter hoc affirmans, ſed, quod ipſi perraro acciderat, ſibi rem omnium maxime horrendam imprecatus, nempe ut ab ipſo excideret, niſi cum Patre & Filio ut conſubſtantialem, & honore parem veneraretur.

Ad II. ℟. S. Hilarium ſaltem implicite appellaſſe Spiritum S. Deum, dum negavit ſe eum dicturum creatum: ſic enim Patrem alloquitur: (a) *Neque, quia te ſolum innaſcibilem, & unigenitum ex te natum ſciens, genitum tamen Spiritum S. non dicturus ſim, dicam unquam creatum;* Et alibi expreſſe eum Deum dicit hanc formæ baptiſmalis a Chriſto preſcriptæ rationem reddens: (b) *Ut quorum una eſt divinitas, ſit una largitio, nomenque Trinitatis unus eſt Deus.*

Obj. ex ratione. Si Spiritus S. eſſet Deus, vel eſſet genitus, vel ingenitus. Non primum, nam ſic eſſet Filius: non ſecundum, nam ſic eſſet Pater. Ergo &c.

℟. diſtinguendo; vel enim illa *genitus* & *ingenitus* ſumuntur proprie, pro eo ſcilicet, quod eſt productum per veram generationem, & pro eo, quod non eſt ita productum, vel ſumuntur improprie, pro eo ſcilicet, quod eſt aliquo modo productum, & pro eo, quod nullo modo productum eſt. Si primum, ℟. Spiritum S. eſſe ingenitum, nec proinde eſſe Patrem; alia quippe datur in divinis Perſona hoc modo ingenita, quæ non eſt Pater. Si alterum ℟. Spiritum S. eſſe genitum, quia aliquo modo producitur, nec tamen eſt Filius, qui producitur non utcunque, ſed per veram generationem.

AR-

(a) *Lib. 12. de Trin. n. 55.*
(b) *Comment. in Matt. cap. 33.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Reliquum est, ut sicuti probata Filii divinitate probatum est ipsum esse veram Personam a Patre distinctam, ita nunc probata divinitate Spiritus S. probetur & ipsum esse Personam distinctam a Patre & Filio; quod eo magis præstandum, quo plures Hæretici Spiritum S. nihil aliud esse volunt, quam efficientiam & virtutem divinam, non vero Personam in se subsistentem, & ab aliis distinctam. Sit ergo

Assertio. *Spiritus S. est vera Persona a Patre & Filio distincta.* Est de Fide.

Prob. ex Scripturis. Et quidem, quod Spiritus S. sit Persona, colligitur ex quo illi conveniant characteres Personæ, ut procedere & mitti a Patre & Filio: (a) *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre &c.*: conferri Baptismum in nomine ejus: (b) *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus S.*: reddere testimonium simul cum Patre & Filio: (c) *Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S.*, & rursus: (d) *Ille* (Spiritus S.) *testimonium perhibebit de me*: loqui: (e) *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*: docere: (f) *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos*: annunciare futura: (g) *Quæ ventura sunt annunciabit vobis*: scrutari profunda Dei: (h) *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei*: distribuere munera Ecclesiæ: (i) *Ministrantibus autem illis dixit Spiritus S.: segregate mihi Saulum*

(a) *Jo.* 15. (b) *Matt.* 28.
(c) 1. *Jo.* 5. (d) *Jo.* 15.
(e) *Matt.* 10. (f) *Jo.* 16.
(g) *Ibid.* (h) 1. *Cor.* 2.
(i) *Act.* 13.

lum & Barnabam: rursus: (a) *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Ergo &c.

Quod vero sit Persona distincta a Patre & Filio prob. ex quo a Patre & Filio procedat & mittatur; exprimatur in forma Baptismi ut distinctus; & cum Patre & Filio faciat numerum ternarium.

Quæ contra objiciuntur, cum sint similia iis, quæ objiciuntur contra distinctionem secundæ Personæ a prima, hic omitto, cum fere eædem responsiones valeant in utroque casu.

CAPUT TERTIUM.

De Processione Spiritus Sancti a Patre & Filio.

PRobabo 1. Spiritum s. a Patre & Filio procedere: 2. ostendam ipsum ab illis procedere tanquam ab uno principio.

ARTICULUS PRIMUS.

Assertio. *Spiritus S. nedum a Patre, verum etiam a Filio procedit*. Est de Fide.

Prob. Ex Scripturis I. Hæ docent Spiritum S. mitti a Filio: dicit enim Christus: (b) *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis &c.* & infra: (c) *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos*. Atqui in divinis una Persona non mittitur ab alia, nisi ab illa procedat. Ergo &c. II. hæ docent Filium habere omnia, quæ habet Pater (subintellige excepta paternitate). Atqui Pater habet virtutem producendi Spiritum S. Ergo eam habet etiam Filius. Prob. antecedens

(a) *Act*. 20. (b) *Jo*. 15.
(c) *Jo*. 16.

dens: Christus ait: (a) *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis: omnia quaecunque habet Pater mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Ubi etiam patet Christum indicare processionem Spiritus S. a se, illis verbis expressam *de meo accipiet*, oriri ex quo ipse habeat cum Patre omnia communia, ideoque etiam virtutem spirativam.

Prob. Ex Conciliis, quibus & ipsi Graeci interfuerunt, & I. ex Lateranensi IV., in quo hæc habentur: (b) *Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, ac Spiritus S. ab utroque pariter absque initio semper & fine.* II. ex Lugdunensi II: in quo & græce & latine cantatum fuit Symbolum cum additione particulæ *Filioque*. III. ex Florentino, in quo hæc habetur definitio. *In nomine Sanctæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, hoc sacro universali approbante Florentino Concilio definimus, ut hæc Fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus S. ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre, simulque & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio & unica spiratione procedit.*

His addi possunt celeberrima Concilia particularia, quæ ante exortum schisma Græcorum sunt celebrata. Toletanum I. hæc habet: (c) *Credimus Spiritum quoque esse Paracletum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed a Patre Filioque procedens:* & Toletanum III. inquit: (d) *Quicumque Spiritum S. non credit, aut non crediderit a Patre & Filio procedere . . . anathema sit.* Toletanum XI. ait: (e) *Spiritum quoque S. unum atque æquale cum Deo Patre & Filio credimus esse Deum . . . . . Sed ab utrisque procedentem amborum esse Spiritum.*

Prob.

(a) *Jo.* 16. (b) *Cap. de Fide Catholic.*
(c) *Confess. Fidei.* (d) *Anath.* 3.
(e) *Confess. Fid.*

Prob. ex Patribus. I. ex S. Epiphanio, qui hæc habet: (a) *Quamobrem uti Christus Patrem suum indicans testatur: nemo novit Patrem nisi Filius, & nemo novit Filium nisi Pater; ego vero nec istud pronunciare dubitem: nemo Spiritum novit nisi Pater & Filius, a quo procedit & a quo accipit*. II. ex S. Cyrillo Alexandrino, qui hæc habet: (a) *Cum Spiritus S. in nobis existens conformes nos efficiat* Deo, *procedat autem a Patre per Filium, perspicuum est divinæ ipsum esse substantiæ*. III. ex S. Hilario, qui hæc de Spiritu S. habet: (c) *Loqui de eo necesse non est, qui Patre & Filio auctoribus confitendus est*. IV. ex S. Ambrosio, qui ait: (d) *Spiritus quoque S., cum procedit a Patre & Filio, non separatur a Patre, non separatur a Filio*. V. ex S. Augustino, qui ait: (e) *Nec possumus dicere, quod Spiritus S. & a Filio non procedat; neque enim frustra idem Spiritus & Patris & Filii Spiritus dicitur*.

Obj. ex Scripturis. Hæ loquentes de Spiritu S. solum asserunt ipsum procedere a Patre; dicit enim Christus: (f) *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*. Ergo &c.

℟. verbis S. Augustini dicentis: (g) *Si de Patre & Filio procedit Spiritus S., cur Filius dixit: de Patre procedit? Cur putas? nisi quemadmodum ad eum solet referre & quod ipsius est, de quo & ipse est. Unde illud est, quod ait: mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. Si igitur intelligitur hic ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris, quanto magis illic intelligendus est & de ipso procedere Spiritus*

(a) *Anchorat. n.* 11.
(b) *Lib.* 3. *Thesaur. cap.* 3.
(c) *Lib* 2. *de Trin. n.* 29.
(d) *Lib.* 1. *de Spir. S. cap.* 10.
(e) *Lib.* 4. *de Trin. cap.* 20.
(f) *Jo.* 15. (g) *Tract.* 99. *in Joann.*

tus S., ubi sic ait: de Patre procedit, ut non diceret; de me non procedit?

Obj. ex Conciliis I. In Constantinopolitano I. definita est divinitas Spiritus S., ipsumque a Patre procedere. Cur ergo non est etiam definitum ipsum a Filio quoque procedere? Non alia certe de causa, nisi quia revera non procedit.

II. In Ephesino lectum est publice a Charisio Presbytero Symbolum Nestorianum, ubi expresse dicitur Spiritum S. neque esse Filium, neque per Filium substantiam habere, & tamen Patres Concilii hoc non reprehenderunt, sicut non reprehenderunt quod pariter publice lectum fuit ex Theodoreto, qui confutans nonum anathematismum S. Cyrilli damnaverat ut impiam propositionem asserentem Spiritum S. ex Filio, aut per Filium existentiam habere. Ergo &c.

Ad I. ℟. nullam fuisse tempore illius Concilii occasionem definiendi Spiritum S. etiam a Filio procedere, cum nullus tunc id negaret: consueverunt autem Concilia non definire articulos credendos nisi occasione errorum, qui illorum temporibus oriebantur. Definivit porro Spiritum S. esse Deum & a Patre procedere, ut obviaretur errori Eunomii & Macedonii, qui Spiritus S. divinitatem negabant asserentes ipsum esse solius Filii creaturam. Ergo &c.

Ad II. ℟. primo quod si argumentum valeret, probaret contra Græcos schismaticos nec Spiritum S. procedere per Filium, quod tamen ipsi admittunt, quamvis nolint ipsum procedere ex Filio. ℟. secundo Ephesinos Patres in Concilio congregatos, ut Nestorianæ hæresi occurrerent, quæ duplicem in Christo admittebat personam, cum adverterent verba Nestorii in Symbolo, ac Theodoreti in confutatione posse utcunque sensum catholicum admittere, quatenus scilicet negarent Spiritum S. esse creaturam Filii, ut Macedoniani & Eunomiani contendebant, noluisse de iis peculiarem quæstionem instituere, ne per illam retardaretur expeditio illorum, quæ ad hæresim Nestorianam spectabant, cujus gratia illuc convenerant:

præ-

præcipue cum approbata jam fuisset epistola S. Cyrilli ad Nestorium, in qua expresse habetur Spiritum S. procedere a Filio; dicitur enim (a) *Spiritus veritatis nominatur, Christus autem veritas est, & proinde quoque ab illo atque & a Deo Patre procedit,*

Addendum quod, licet plures existiment Theodoretum fuisse in errore, in quo nunc sunt Græci, quod deducunt ex iis, quæ scripsit contra S. Cyrillum inquiens: (b) *Blasphemat* (Cyrillus) *& in Spiritum S., dum non ex Patre solo illum asserit procedere juxta Domini vocem, sed ex Filio eundem habere existentiam*, alii tamen Theodoretum quoad hoc caput defendunt asserentes ipsum sic locutum esse solum, ut se opponeret errori Macedonianorum & Eunomianorum: quod probant maxime ex quo ipse Theodoretus (c) protestatus est se cum Cyrillo circa Spiritus S. Personam semper fuisse concordem, & agnovisse in scriptis Cyrilli rectitudinem Fidei, quæ docet eundem Spiritum S. neque esse ex Filio, neque per Filium, quod probat ipsum Theodoretum per illam phrasim *neque esse ex Filio, neque per Filium* non intelligere Spiritum S. vere a Filio non procedere, cum Cyrillus expresse asserat ipsum sic procedere. Hoc idem proportionaliter dicunt de Nestorio addentes aliud hujus rei argumentum, quod nempe nec Nestorius nec Theodoretus fuerint unquam vel a S. Cœlestino Papa, vel a S. Cyrillo, vel ab alio ex antiquis notati de hoc errore. Quæ si vera sunt, potest etiam ulterius responderi ad objectionem supra adductam nedum potuisse, sed etiam debuisse in sano sensu ab Ephesinis Patribus accipi verba Nestorii ac Theodoreti.

Obj.

(a) *Ibid.*
(b) *Ep. ad Monaster. in Auctar.*
(c) *Ep. ad Jo. Antioch.*

Obj. ex Patribus. I. S. Dionysius ait: (a) *Solus fons substantialis deitatis est Pater.*

II. S. Basilius dubium se prodit circa processionem Spiritus S. a Filio; ait enim: (b) *Dicit* (Eunomius) *se a Sanctis quidem accepisse tertium illum* (Spiritum S.) *ordine esse ac dignitate, per se vero credidisse etiam tertium esse natura: at quinam isti Sancti sint, quibusve libris eam doctrinam mandaverint, non potest dicere. Fuitne unquam homo sic audax, qui de divinis dogmatibus novitates induceret? Quid enim necesse est, si dignitate & ordine tertius est Spiritus, tertium ipsum esse natura? nam dignitate secundum esse a Filio pietatis sermo fortasse tradit: verum tertiam usurpare naturam neque a Sacris literis edocti sumus, neque ex supradictis consequenter potest colligi. Nam ut Filius ordine quidem est secundus a Patre, quoniam ab eo est, & dignitate, quoniam principium & causa existendi ipsi Pater est.... natura vero non est secundus, quia una est in utroque divinitas, eodem modo Spiritus S. etsi posterior Filio est ordine ac dignitate (ut hoc omnino concedatur a nobis), non tamen proinde id tanquam alienæ naturæ sit, habebit.* Hic S. Basilius asserit Eunomium non posse assignare, quinam sint illi Sancti, qui dixerunt Spiritum S. tertium esse ordine ac dignitate. Cum porro Spiritum S. tertium esse ordine ac dignitate consequatur ex processione ejusdem a Filio, si Basilius dicit Eunomium non posse assignare quinam Sancti asseruerint Spiritum S. ordine & dignitate esse tertium, videtur docere nullum posse assignari ex Sanctis, qui asserat Spiritum S. procedere ex Filio. Præterea notandum illud *fortasse*, & illud *ut hoc omnino concedatur a nobis*, quo satis ostendit Basilius se dubitare, utrum re-

ve-

(a) De *Divin. Nov. cap.* 2.
(b) *Lib.* 3. *contr. Eunomium.*

vera Spiritus S. a Filio procedat, & hoc potius omittere, quam concedere. Quinimo alibi non amplius se dubium prodit Basilius circa hoc, sed expresse asserit Spiritum S. non procedere a Filio, dum ait (a): *Filius nullam prorsus notionum communicationem secundum proprietatem suam tam cum Patre, quam cum Spiritu Sancto habet:* quod esset falsum, si a Filio Spiritus S. procederet.

III. Nazianzenus ait (b): *Omnia, quæ habet Pater, Filii sunt præter principium.*

IV. S. Joannes Damascenus inquit (c): *Spiritum S. tam a Patre profitemur, quam Patris appellamus Spiritum: ex Filio autem Spiritum non dicimus, sed eum Filii Spiritum nominamus:* rursus (d). *Sed & Filii Spiritus est, non tanquam ex ipso, sed quod per ipsum ex Patre procedit; solus enim Pater principium est.*

V. Teophylactus ait (e): *Latini male hæc exponentes & minus recte intelligentes dicunt, quod Spiritus S. etiam ex Filio procedat.* Ergo &c.

Ad I. R. S. Dionysium ita loqui, quia solus Pater alias Personas ita producit, ut non producatur.

Ad II. R. Illud, *quinam isti Sancti sint, quibusve libris eam doctrinam mandaverint, non potest dicere*, non referri ad hoc, quod *Spiritus S. tertius sit ordine & dignitate*, sed ad illud, quod tamquam consequens ex eo deducebat Eunomius, scilicet *illum tertium esse natura*. Hæc interpretatio suadetur ex quo subdit: *Fuitne unquam homo sic audax, qui de divinis dogmatibus novitates induceret?* ubi dicit novitatem illud, quod Eunomius jactabat assertum a Sanctis. At novitas non erat, quod Spiritus S. tertius sit ordine ac digni-

tate;

(a) *Ep.* 43.
(b) *Orat. ad Episc. Ægypt.* 24.
(c) *Lib.* 1. *de Fid. Orthod. cap.* 11.
(d) *Cap.* 15.
(e) *In cap.* 3. *Joan.*

tate; ipse enim S. Basilius ait (a) nefas esse collocare Spiritum S. ante Filium, aut ordine aliter, quam tertium a Patre. Ad reliqua autem, quæ ex eodem textu S. Basilii adducuntur, ut respondeatur, notandum Joannem Theologum Dominicanum in Concilio Florentino ostendisse textum, ut a Græcis fuit allatus, (allatus autem fuit, ut supra fuit exscriptus) esse interpolatum, idque ostendisse afferendo antiquissimum codicem 600 annis ante Synodum Florentinam in membranis exaratum; in quo illud *fortasse*, & illud *ut hoc omnino concedatur a nobis* non habetur: imo inter illa verba *nam dignitate secundum esse a Filio*, & alia *pietatis sermo tradit* habentur hæc alia: *Ut qui esse ab illo habeat, & ab ipso accipiat, & annunciet nobis, & omnino ex illa causa pendeat.* Si autem textus accipiatur detractis detrahendis, & additis addendis paret illum potius facere pro nobis, quam contra nos. Cum porro dicit Basilius Filium nullam habere communionem cum Patre secundum propriam notionem, id intelligit de filiatione, in qua certe cum Patre non convenit.

Ad III. R. Nazianzenum nomine *principii* intelligere vel primum fontem totius divinitatis, qualis est solus Pater; vel virtutem generativam, quæ & ipsa convenit soli Patri.

Ad IV. R. Ab aliquibus accusari Damascenum, quod fuerit in errore Græcorum. Hoc autem dicunt non cedere in injuriam S. Doctoris, cum 8. sæculo, quo ipse floruit, nondum fuisset hæc controversia ab Ecclesia definita. Alii etiam respondent Damascenum non negare, quod Spiritus S. a Filio procedat, sed solum asserere apud Græcos usum fuisse potius dicendi, quod Spiritus S. procedat per Filium, quam ex Filio, ita tamen ut possit etiam dici absolute ipsum procedere ex Filio. Quæ responsio confirmatur exemplo; nam li-

(a) *Ep.* 300. *ad Canonic.*

cet Maria poſſit & *Chriſtipara* & *Deipara* appellari, quia tamen melius *Deipara*, quam *Chriſtipara* appellatur, S. Damaſcenus abſolute dicit (a): *Chriſtiparam Virginem ſanctam non dicimus*. Tertio reſpondent communius Theologi cum Beſſarione Damaſcenum adhibuiſſe particulam *ex* loquendo de Patre, & particulam *per* loquendo de Filio, quia Pater eſt principium Spiritus S. imprincipiatum, Filius vero principium principiatum: quæ reſponſio confirmari poteſt ex iis, quæ citato cap. 11. habet Damaſcenus: *Quemadmodum*, inquit, *ex Sole eſt radius & ſplendor* (*ipſe enim & radii & ſplendoris fons eſt*,) *per radium autem ſplendor nobis communicatur &c.*, ubi adducit exemplum Solis, a quo eſt tum radius tum ſplendor, ſed cum loquitur de Sole, qui eſt principium ſplendoris imprincipiatum, adhibet particulam *ex*, cum vero de radio, qui eſt principium principiatum, adhibet particulam *per*. Cum ergo dicit Patrem ſolum eſſe principium, intelligit tantum principium imprincipiatum.

Quare igitur, inquies, Latini in Florentino non acquieverunt Græcis confitentibus Spiritum S. eſſe a Patre per Filium, ſed illos compulerunt, ut confiterentur ipſum eſſe etiam ex Filio?

℟. Id factum eſſe, quia cum jam ipſi Latini declaraſſent ſe dicentes Spiritum S. ex Filio procedere, non agnoſcere Filium primum Spiritus S. principium, adhuc tamen Græci renuebant dicere ipſum eſſe ex Filio, unde prudens erat ſuſpicio, ne rejicerent nedum phraſim Latinorum, ſed etiam ſubſtantiam dogmatis; idcirco non acquieverunt Latini Græcis, niſi poſtquam ipſi confeſſi ſunt Spiritum S. a Patre Filioque procedere.

Ad V. ℟. Theophylactum (niſi velimus illum explicare, ut explicavimus Damaſcenum) notari ut

(a) *Lib. 3. de Fide cap. 12.*

ut Græcorum errori faventem: unde illius auctoritas in hac re nihil facienda est.

Obj. ex ratione I. Pater ex se solo est sufficiens principium Spiritus *S.* Ergo frustra additur Filius.

II. Vel Spiritus S. a Patre & Filio procedit per id, in quo conveniunt, vel per id, in quo discrepant a se invicem. Non primum; nam id, in quo Pater & Filius conveniunt, est natura, quæ est communis Spiritui S., adeoque hoc posito ipse esset suipsius principium; non alterum, quia sic non posset defendi, quod Pater & Filius sint unum Spiritus S. principium. Ergo &c.

III. Si Spiritus S. a Patre & Filio procederet, jam minus esset Patri similis, quam Filius; cum Filius in hypothesi conveniret cum Patre tam in natura, quam in virtute spirativa, & solum ab illo discreparet in virtute generativa: Spiritus vero S. solum conveniret cum Patre in natura, discreparet vero ab illo tum in virtute generativa, tum in virtute spirativa. Hoc non. Ergo &c.

Ad I. duplex est responsio. Alii distinguunt antecedens hoc modo: præcise relate ad terminum, conceditur, prout est tale principium, negatur. Rem exemplo explicant, Creatio mundi est terminus, ad quem producendum habet Pater solus quidquid requiritur, & tamen non potest Pater creare, quin simul creet & Filius & Spiritus S. Quare hoc? Quia, licet relate ad hunc terminum Pater sit illius sufficiens principium, est tamen tale principium, quod operatur vi necessario aliis Personis communicata, unde, prout est tale principium, Pater solus non est sufficiens ad creandum. Ita proportionaliter in casu. Cum autem vis hæc productiva sit in Patre & Filio, qui mutuo se amant, ideo explicant quomodo Spiritus S. procedat ut amor mutuus, ut nexus &c. Alii tamen, & quidem satis probabiliter distinguendo Spiritum S. *ut sic* a Spiritu S. *ut de facto est*, dicunt Patrem quidem esse sufficiens principium Spiritus S. ut sic, non vero Spiritus S. ut est de facto; nam, ut

est de facto, dicit ordinem necessarium ad duas Personas producentes, unde una sine altera non posset illum producere: & ita etiam optime salvant, quod Spiritus S. sit amor mutuus & nexus Patris & Filii &c. Nec ex quo una Persona non sit ex se sufficiens principium Spiritus S., sequitur aliqua imperfectio, ut non sequitur ex quo Deus ut sic non possit generare, aut non possit generare Filius.

Ad II. ℟. Spiritum S. procedere a Patre & Filio per id notionale, non autem per id essentiale, in quo conveniunt. Id autem notionale non est commune Spiritui S. Ergo &c.

Ad III. ℟. Negando in hypothesi futurum Filium Patri similiorem, quam Spiritus S. sit; similitudo enim in divinis non attenditur penes relationes, sed penes essentiam, quæ cum in tribus Personis sit eadem, eas efficit similes inter se modo supra explicato. Et sane si valeret argumentum adductum, deberet etiam dici in sententia Græcorum Filium esse magis similem Spiritui S., quam Patri; nam Filius conveniret cum Patre in natura, & discreparet in potentia productiva, (Pater enim produceret, Filius non) e contra idem Filius cum Spiritu S. conveniret in natura & etiam in carentia virtutis productivæ. Hoc non. Ergo &c.

ARTICULUS SECUNDUS.

Definitum est in Lugdunensi II. & Florentino Spiritum S. a Patre & Filio procedere, tanquam ab uno principio & unica spiratione. Videndum nunc quomodo id verificetur.

Dico ergo ad multiplicanda principia non sufficere multiplicationem suppositorum, sed præterea requiri multiplicationem formæ influentis in actionem. Cum ergo, licet Pater & Filius sint duo supposita spirantia, adhuc tamen forma, qua spirant, sit una & eadem, nempe voluntas notionalis, hinc non duo, sed unicum tantum Spiritus S. principium dici debent.

Ad

Ad quam rem notandum, diverso modo multiplicari nomina substantiva, ac multiplicentur adjectiva; substantiva enim non multiplicantur, nisi multiplicentur & subjecta & formæ, adjectiva vero multiplicantur etiam per solam multiplicationem subjectorum: quo fit ut Pater & Filius possint quidem dici duo spirantes, non autem duo spiratores, quomodo tres Personæ possunt quidem dici tres creantes, non autem tres creatores. Cum autem hoc nomen *principium* sit substantivum, non multiplicatur ex multiplicatione subjectorum, quibus convenit, nisi etiam multiplicentur formæ productivæ, quæ in casu non multiplicantur.

Hoc idem proportionaliter valet de spiratione, quæ est unica, quia unica est actio, qua producitur Spiritus S. a Patre & Filio.

Ex quo sequitur Spiritum S. non procedere prius a Patre, postea a Filio, sed simul ab utroque. Et quamvis virtus spirativa sit prius in Patre (prioritate originis,) quam in Filio, hic enim illam a Patre accipit; cum tamen hæc virtus ad actum non deveniat, nisi postquam Filio est communicata, hujusmodi prioritas non impedit, quod Spiritus S. a Patre & Filio simultanee procedat.

CAPUT QUARTUM.

De additione particulæ Filioque *facta Symbolo.*

INdicabo: 1. necessaria ad intelligentiam quæstionis: 2. assertionem statuam & vindicabo.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. Concilium Constantinopolitanum I. Symbolum composuisse (illudque est, quod modo in Missa recitamus,) in quo dicebatur Spiritum S. ex Patre procedere per hæc verba: *Qui ex Patre procedit*, sed illud verbum *Filioque*, quod modo in eodem Symbolo habetur, non apposuisse.

Noto 2. hanc particulam videri primo fuiſſe inſertam Symbolo in Eccleſiis Hiſpaniæ 6. ſæculo; nam in Concilio Toletano III. celebrato anno 589. legitur: *Spiritus æque S. confitendus a nobis & prædicandus eſt a Patre & a Filio procedere*. Eadem quoque additio reperitur & in Toletano IV. habito anno 633., in VI. habito anno 639., in VIII., in XII., in XIII., in XV., quæ omnia intra idem ſæculum ſunt celebrata. Legitur præterea hæc additio in Synodo Francofordienſi & in Forolivienſi, quæ ſæculo 8. ſunt celebrata. Sæculo 9. anno 809 habita eſt Synodus Aquiſgranenſis, ad quam convenerunt Gallorum & Germanorum Epiſcopi, qui miſerunt Legatos ad Leonem III. R. Pontificem, ut ab eo approbaretur additio particulæ *Filioque*, & ut Symbolum cum tali additione etiam in Romana Eccleſia recitaretur, quod non obtinuerunt a Leone, quinimo hic juſſit, ut in tabulis argenteis deſcriberetur Symbolum ſine illa additione. Ex his patet per id tempus illam additionem non fuiſſe receptam ab Eccleſia univerſali. Sed tandem in generali Lugdunenſi II. ſæculo 13. celebrato recepta fuit & approbata tam a Græcis, quam a Latinis.

Noto 3. hic diſputari, utrum licita fuerit illa additio. Hæc autem quæſtio non ex eo tantum pendet, utrum Spiritus S. a Filio procedat, sed etiam ex aliis. Et de facto aliqui profitentes Spiritum S. a Filio procedere, renuerunt illam particulam addere Symbolo, ut inter alios fuit ſupradictus Leo III., qui certe Spiritum S. a Filio procedere fatebatur, ut conſtat ex actis Concilii Aquiſgranenſis relatis a Sirmondo, ubi habetur (a): *Lectis a prædictis Miſſis* (Nuntiis Concilii Aquiſgranenſis) *per ordinem teſtimoniis de proceſſione Spiritus S. a Patre & Filio, atque a Domno Apoſtolico*

(a) *Tom. 2. Concil. Galliæ*.

lico diligentissime auditis ait: ita sentio, ita teneo cum his Auctoribus & Sacræ Scripturæ auctoritatibus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *Licita fuit ac laudabilis additio particulæ* Filioque, *quæ ab Ecclesia universali facta est Symbolo.*

Consulto dictum est *quæ ab Ecclesia universali facta est;* non enim defendo additionem ut factam a particularibus Ecclesiis, a qua sic considerata nunc præscindo, sed ut factam ab Ecclesia universali.

Prob. ex Conciliis. Florentinum hanc habet definitionem: *Definimus explicationem verborum illorum* Filioque *veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.*

Prob. exemplis. Potuit Ecclesia Symbolo jam constituto ob hæresim Arii addere particulam *homusion*, quod factum est in Nicæno: potuit ob hæresim Macedonii addere totum articulum de divinitate Spiritus S., quod factum est in Constantinopolitano I. Ergo a pari potuit ob errorem Græcorum addere Symbolo particulam *Filioque*.

Prob. ratione. Potest Ecclesia Symbolum condere, in quo proponat Fidelibus quod est ab iis credendum. Ergo etiam potest Symbolo jam constituto aliquid credendum addere. Si hoc, potuit addere particulam *Filioque*. Ergo &c.

Obj. ex Conciliis. Hæc prohibent, ne quidquam Symbolo addatur; nam I. Ephesinum habet (a): *Alteram Fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere præter definitam a Sanctis Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu S. con-*

(a) *Part. 2. Act. 6. n. 5.*

gregati fuerunt. Et quod hic quæcumque prohibeatur additio, facto demonstrarunt Patres Ephesini, qui, etsi nossent vocem *Deipara* esse opportunissimam contra errorem Nestorii, illam tamen noluerunt Symbolo apponere.

II. In Chalcedonensi Patres Judicibus rogantibus, ut nova conderetur Fidei formula, & quidem consona formulis Nicenæ & Constantinopolitanæ, responderunt (a): *In scriptis expositionem non facimus: regula est, quæ prædicat sufficere quæ sunt exposita: regula vult aliam expositionem non fieri: ea, quæ sunt Patrum, teneamus*.

III. In VII. Synodo generali post recitatam Fidei formulam Patres addiderunt (b): *Nos leges Patrum custodimus, nos eos, qui addunt quid, vel adimunt, de Ecclesia anathematizamus*. Ergo &c.

Ad I. ℟. Mutationem solum rectæ Fidei contrariam prohiberi ab Ephesinis Patribus. Patet primo ex occasione decreti. Charisius scilicet Presbyter Symbolum Nestorianum Concilio proposuerat, quod Patres damnarunt, ea occasione prohibentes, ne aliud Symbolum conderetur ab eo, quod jam conditum erat. Secundo ex facto ipsius Concilii: Nam cum idem Charisius, ut se alienum a Symbolo Nestoriano demonstraret, aliud Symbolum recitasset, quod nec erat Nicænum, nec Constantinopolitanum, sed tamen erat Catholicum, illud non improbarunt Patres. Tertio ex quo S. Cyrillus Alexandrinus, qui præcipuas partes habuit in Ephesino, eo exacto, benigne, imo cum laude suscepit formulam Fidei ad ipsum in signum concordiæ missam a Joanne Antiocheno, tametsi multa Symbolo adderet majoris explicationis gratia. Quarto ex quo, cum S. Flavianus Episcopus Constantinopolitanus in Ephesina Synodo prædatoria Symbolo ad-

(a) *Act.* 4. (b) *Act.* 7.

addidisset contra Eutychetem hæc verba de Christo: *Consubstantialem Patri secundum divinitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem*, & Eutyches Flavianum accusasset, quod contra decretum supra laudatum Ephesini fecisset, damnatusque fuisset S. Flavianus, ac Episcopatu privatus a Dioscoro tyrannice Concilio præsidente, acta hujus pseudo-Synodi lecta sunt in Chalcedonensi, & cum legerentur, dixerunt omnes Patres (a) *anathema Dioscoro, quia male judicavit*, cum tamen bene judicasset, si quæcumque Symboli mutatio in Ephesino prohibita fuisset: pæna enim mutationem inducentibus Symbolo hæc in eodem Ephesino imponitur, depositio ab Episcopatu, & respective a Clericatu. Responderi etiam potest in Ephesino statutum esse, ne particulares personæ quidpiam adderent Symbolo, non vero ne adderet Ecclesia. Si autem Ephesinum non addit vocem *Deipara*, non ideo non addidit, quia non potuisset, sed quia visa est Patribus non necessaria, cum jam in Symbolo diceretur Christum esse verum Deum, & hominem, ac Mariam esse illius matrem, unde consequens est, ut sit Deipara.

Ad II. ℟. Chalcedonense prohibuisse mutationem Symboli inducentem sensum contrarium: aut quæ fieret absque necessitate, qualis erat, quæ tunc postulabatur: aut quæ fieret auctoritate privata, ut tunc temporis Hæretici facere consueverant.

Ad III. Patet responsio ex supradictis.

Obj. ex Romanis Pontificibus factum supra narratum Leonis III. improbantis additionem particulæ *Filioque*. Sed

℟. Primo Leonem improbasse illam additionem, utpote publice decantatam in Ecclesiis Gallicanis absque licentia Sedis Apostolicæ, & absque

 ne-

(a) *Act.* 1.

neceſſitate: ſecundo Leonem illam abſolute non improbaſſe, ſed ſolum rogaſſe, ne Symbolum cum illa additione caneretur in Regia Cappella Pariſienſi, & prohibuiſſe, ne in Romana Eccleſia adhiberetur. Id autem fecit ſtudio retinendi antiquum morem, quo eodem ſtudio Symbolum ſine voce *Filioque* exarari juſſit in tabulis argenteis. Sed quod ipſe non permiſit, permiſerunt poſtea, imo abſolute voluerunt generalia Concilia Lugdunenſe, & Florentinum.

Obj ex ratione. Si licita eſſet additio illius particulæ, jam licitum eſſet Symbolo addere omnes articulos credendos. Hoc non. Ergo &c.

℟. Abſolute loquendo antecedens eſſe verum; ſed cum multa ſint credenda & ſcienda explicite a ſingulis, multa credenda quidem in genere ab omnibus, ſed non ſcienda tamen neceſſario explicite a ſingulis, non omnia proinde unquam Symbolo addentur; quod ſolet ea ſolum continere, quæ neceſſario a ſingulis tum credenda, tum ſcienda ſunt.

CAPUT QUINTUM.

Utrum Spiritus S., ſi a Filio non procederet, ab illo diſtingueretur, nec ne.

PRæmittam in primis neceſſaria ad intelligentiam quæſtionis, mox aſſertionem ponam & vindicabo.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. examinandam hic ſuſcipi quæſtionem mere quidem ſcholaſticam, ſed cujus ſolutio magnam his, quæ dicta ſunt, eſt lucem allatura.

Noto 2. Latinos, ad probandum contra Græcos Spiritum S. etiam a Filio procedere, paſſim uti hoc argumento. Si Spiritus S. non procederet a Filio, non diſtingueretur ab illo. Si ergo Fides docet ipſum diſtingui a Filio, conſequenter ab illo pro-

procedet. Hoc argumentum Scotus & ipſius Schola negat eſſe ſatis convincens, ex quo falſum ſit antecedens. Reliqui extra Scholam Scotiſticam illud admittunt ut aptiſſimum.

Noto 3., ut hæc quæſtio ſolvatur, fingendam eſſe quandam hypotheſim, ut patet, impoſſibilem, quod ſcilicet Spiritus S. a Filio non procedat, adeoque quod detur & Filius habens omnia, quæ de facto nunc habet Verbum, præter virtutem ſpirativam, & Spiritus S. habens omnia, quæ nunc habet tertia Perſona, præter hoc, quod ſpiretur a Filio: in facta autem hypotheſi quæritur utrum a tali Filio diſtingueretur, nec ne talis Spiritus S..

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *Si per impoſſibile Spiritus S. a Filio non procederet, ab illo non diſtingueretur.*

Prob. ex Patribus. Hi docent diſtinctionem in divinis ſolum oriri ab oppoſitione relativa. Ita S. Auguſtinus (a): *Hoc ſolo numerum inſinuant, quod ad invicem ſunt.* Ita etiam Damaſcenus (b): *In ſolis proprietatibus paternitatis, filiationis, & proceſſionis atque quantum ad cauſam & ea quæ a cauſa proficiſcuntur .... diſcrimen animadvertimus.* Et tandem ita habet receptiſſimum axioma apud Boetium: *In divinis omnia ſunt idem, ubi non obviat relationis oppoſitio* His addi poteſt auctoritas Joannis Theologi in Florentino contra Græcos diſputantis, qui hæc habet (c): *Eſt vero ſecundum Doctores tam Græcos, quam Latinos ſola relatio, quæ multiplicat Perſonas in divinis productionibus ... & nulla eſt alia ratio diſtinctionis in divinis, niſi propter hoc, quod aliqua Perſona ſit ab alia;* quæ verba licet non ſint defini-

S 6

(a) *Tract. 39. in Joan.*
(b) *Lib. 1. de Fide cap. 11.*
(c) *ſeſſ. 18.*

nitiones Concilii, fuerunt tamen publice adhibita in eodem, nec fuerunt reprobata vel a Græcis, vel a Latinis, adeoque magnæ dicendæ sunt auctoritatis. Ergo &c.

Prob. ratione. Nam prædicata divina, quæ non sunt opposita relative, sunt vel absoluta, vel relativa disparata. (Dico relativa disparata quæ sunt quidem relativa, sed non ad se invicem, ut prædicata Filii & spirati, ad differentiam relativorum oppositorum, quæ ad invicem referuntur, ut prædicata Patris & Filii.) Atqui per absoluta non distinguuntur Filius & Spiritus S., ut per se patet, nec distinguuntur per relativa disparata; nam hæc ad se invicem sunt ad instar absolutorum, & si ita distinguerentur, distingueretur etiam Pater a spirante, cum paternitas & spiratio activa sint relativa disparata. Ergo remanet ut distinguantur per relativa opposita. Hæc in casu non haberentur inter Filium & Spiritum S. Ergo &c.

Obj. ex Patribus. Hi docent Spiritum S. a Filio distingui ob diversum modum, quo ambo procedunt a Patre. Diversitas autem hujusmodi haberetur etiam in hypothesi. Ergo &c. Prob. antecedens.

I. Tum ex S. Augustino (a), qui hanc reddit rationem, cur Spiritus S. non sit Filius, quia procedit *non quomodo natus, sed quomodo datus*: tum ex Damasceno (b), qui illam distinctionem repetit ex quo Spiritus S. a Patre procedit *non filialiter, sed processibiliter*.

II. Ex S. Anselmo, qui hæc habet (c): *Filius .... ideo non est Spiritus S., nec Spiritus S. est Filius, quia Filius nascendo habet esse de Patre, Spiritus vero S. non nascendo, sed procedendo*; & infra

(a) *Lib.* 5. *de Trinit. cap.* 14.
(b) *Lib.* 1. *de Fide cap.* 7. *& seq.*
(c) *Lib. de process. Spirit. S. cap.* 1.

fra (a): *Etſi per aliud non eſſent plures Filius, & Spiritus S., per hoc ſolum eſſent, diverſi*, ſcilicet quoniam *alter naſcendo, alter exiſtit procedendo*. Ergo &c

℟. Ad I. memoratos Patres non aſſignaſſe rationem proximam & formalem diſtinctionis Filii a Spiritu S., ſed ſolum radicalem & remotam. Filiatio autem eſt utique ratio remota & radicalis, cur Filius a Spiritu S. diſtinguatur; per hoc enim, quod Filius ſit Filius, ut Patri ſimillimus, & per hoc quod ſit Patri ſimillimus, habet etiam virtutem ſpirativam cum illo communem, & per hanc poſtea virtutem immediate diſtinguitur a Spiritu S. Unde patet filiationem eſſe principium radicale & remotum hujus diſtinctionis: quæ tamen talis non eſſet in hypotheſi concluſionis.

Ad II. triplex occurrit reſponſio ſatis probabilis. Alii ut Suarez & Vaſquez ingenue fatentur S. Anſelmum fuiſſe in contraria ſententia; ſed cum agatur de re mere ſcholaſtica, & alii adſint Patres pro noſtra, volunt licite Anſelmum deſeri. Alii contendunt S. Doctorem hac in re dubium fuiſſe & ancipitem, quod ipſe Scotus teſtatur. Alii tandem cum Petavio & Berti contendunt Anſelmum aſſerentem diſtinctionem Filii a Spiritu S. oriri ex diverſo modo, quo uterque procedit, implicite talem diſtinctionem repetere ex quo Spiritus *S.* oriatur a Filio. Cum enim pluries ibidem repetat in divinis omnia eſſe idem, ubi non adeſt relationis oppoſitio, cohærenter ad hoc non poteſt aſſerere diverſitatem modi procedendi inducere diſtinctionem inter Filium & *S*piritum *S.*, niſi hæc diverſitas inducat, vel involvat oppoſitionem relativam. Hanc autem non inducit, nec involvit, niſi *S*piritus *S.* a Filio

(a) *Cap.* 4.

lio procedat, dicente *S.* Doctore: (a) *Relationis oppositio ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est*. Ergo &c. Ideo autem *S.* Doctor non affert explicite pro ratione distinctionis *S*piritus *S.* a Filio illius ab hoc processionem, quia ibidem agit contra Græcos negantes talem processionem, quibus proinde erat ostendenda hæc processio, priusquam eadem supponeretur, ut antecedens, ex quo distinctio hæc repeteretur: & ideo ait: (b) *Filius autem ut interim aliam causam dicam, quando nondum constat* (inter vos Græcos, & me) *quod Spiritus S. de illo sit & procedat, ideo non est Spiritus S.*, & addit verba in objectione laudata; & infra: (c) *Cum apparebit quia Spiritus S. est de Filio, tunc quoque palam erit, quia propter hoc nequit esse Filius Spiritus S., aut Spiritus S. Filius*. Consequenter cum dicit: (d) *Etsi per aliud non essent plures &c.*, non excludit a causa distinctionis *S*piritus *S.* a Filio illius ab hoc processionem, sed solum innuit sufficere ad talem distinctionem, ut Græci concedant diverso modo illos a Patre procedere. Nam hoc posito, & posito illo principio: *In divinis omnia sunt idem, ubi non obviat relationis oppositio*, tenentur fateri *S*piritum *S.* a Filio distingui, quia ab illo procedit, quod maxime in illa epistola contendit *S.* Anselmus.

Obj. ex ratione I. *S*i *S*piritus S. a Filio procederet, & non a Patre, adhuc a Patre distingueretur. Ergo a pari si a Patre procederet, & non a Filio ab ipso Filio distingueretur.

II. Si Spiritus S. a Filio non procederet, adhuc Filius constitueretur in esse Filii per filiationem. Ergo distingueretur a Spiritu S.; distinctivum enim unius Personæ ab alia est illud ipsum, quod eam constituit.

III.

(a) *Ibid. cap.* 2. (b) *Ibid.*
(c) *Cap.* 3. (d) *Cap.* 4.

III. Quamvis relationes disparatæ activæ non inducant distinctionem, inducunt tamen passivæ. Ideo enim primum, quia non repugnat unum & idem principium producere duplicem effectum totalem, sicque non repugnat E. G., quod Pater & generet & spiret. At repugnat unum & eundem terminum produci duplici actione totali; Repugnat ergo duplex relatio disparata passiva, sic repugnat unum & eundem terminum simul produci per intellectum ut Filium, & per voluntatem ut Spiritum S.: consequenter etsi Spiritus S. a Filio non procederet, cum tunc procederet a Patre per voluntatem, non posset pariter esse Filius, qui per intellectum producitur.

Ad I. ℟. concedendo antecedens, & negando consequentiam, & paritatem; nam in prima hypothesi haberetur oppositio relativa saltem mediata inter Patrem & Spiritum S., quatenus Pater esset principium remotum Spiritus S. per hoc, quod produceret Filium, qui immediate solus daret esse Spiritui S.: in secunda vero ne mediate quidem Spiritus S. a Filio procederet. Ergo &c.

Sed contra hanc responsionem instabis. Per solam oppositionem mediatam non posset in prima hypothesi distingui Pater a Spiritu S Ergo restat ut distingueretur per oppositionem disparatam, quæ cum haberetur etiam in posteriori hypothesi inter Spiritum S & Filium, illos proinde faceret distinctos. Prob. antecedens. Si per talem oppositionem distinguerentur, jam distingueretur etiam divina natura a filiatione, nam eadem oppositio mediata, quæ in hac hypothesi haberetur inter Patrem & Spiritum S., habetur etiam inter naturam divinam & filiationem; ut enim Pater esset principium Spiritus S. mediante Filio, ita natura divina esset principium Filii mediante Patre. Ergo &c.

℟. Negando antecedens primi argumenti, ad probationem vero dicendo quod diverso modo esset Pater in hypothesi principium Spiritus S., ac sit principium Filii natura divina. Pater enim

es-

esset principium Spiritus S. per hoc, quod ipsum vere & physice, quamvis tantum mediate, produceret: natura vero est principium Filii non per hoc, quod producat Filium, sed per hoc, quod sit radix, ut dici solet, virtualis & emanativa tum filiationis, tum aliarum personalitatum, quas omnes radicat eo proportionaliter modo, quo radix proprietatum rei est illius essentia. Ergo &c.

Ad II. ℟. in hypothesi Filium constituendum in esse Filii per filiationem diversam ab ea, quæ nunc est, scilicet non ut radicantem spirationem activam, quam modo radicat. Per talem autem filiationem distingueretur certe ab eo, qui non est Filius, sed non ideo probabunt Scotistæ tunc distinguendum a Spiritu S., nisi supponant tunc Spiritum S. non futurum Filium, quod si supponunt, id supponunt, quod est in quæstione. In illa ergo hypothesi distingueretur utique Filius a Patre, quia Patri opponeretur relative, at non a Spiritu S., sed esset cum illo unum & idem, quia illi non opponeretur relative: eo modo, quo de facto Pater in esse Patris constitutus per paternitatem distinguitur per illam a Filio, cui relative opponitur, non autem a spirante, cui relative non opponitur.

Ad III. ℟. in hypothesi assertionis eandem Personam producendam per duplicem actionem partialem, per intellectum scilicet ut Filium, per voluntatem ut Spiritum S.

DIS-

DISSERTATIO VI.

De modo loquendi circa Myſterium Trinitatis.

DIssertationem hanc in duo capita divido. In 1. agatur de vocibus adhibendis, & de modo illas adhibendi: in 2. examinabo quasdam propositiones peculiari nota dignas.

CAPUT PRIMUM.

De Vocibus circa mysterium Trinitatis adhibendis, & de modo illas adhibendi.

ANte omnia noto in hac re non tam esse attendendam vim vocabulorum juxta leges Grammaticæ, quam juxta usum, quem habent apud Patres & Theologos. Agendum ergo 1. de vocibus adhibendis, 2. de modo illas adhibendi.

ARTICULUS PRIMUS.

Vocabula, quæ circa mysterium Trinitatis adhibentur, debent esse hujusmodi ut salvent unitatem essentiæ & trinitatem Personarum. Hinc de tribus Personis dici potest in neutro genere, quod sint *unum & idem*, quia illud *unum & idem* significat eandem essentiam: & etiam dici potest, quod sint *unus & idem* in masculino, addendo tamen nomen aliquod absolutum, ut E. G. *omnipotens*, *sapiens &c.*, quia tunc non denotatur

tur identitas, nisi in proprietate absoluta. Non autem dici potest, quod sint *unus & idem* sine addito, quia hoc videtur indicare unitatem suppositi.

Ob eandem rationem dici quidem potest, quod una Persona sit *alia* ab altera, nam sic denotatur distinctio suppositorum; non autem, quod sit *aliud* ab altera, nam sic denotaretur diversitas essentiæ. Hoc expresse docuit S. Augustinus dicens: (a) *Alius est, recte dicis: aliud, non recte; alius enim est Filius, quia non ipse est, qui Pater, & alius Pater, quia non ipse est, qui Filius: non tamen aliud, sed hoc ipsum est & Pater & Filius.*

Pariter dici potest, quod Deus sit *trinus*, quamvis dici non debeat quod sit *triplex*, ut docet idem Augustinus ubi ait: (b) *Nec quoniam Trinitas est, ideo triplex putanda est* & Toletanum XII. inquiens: (c) *Hac est Sancta Trinitatis relata narratio, quæ non triplex, sed Trinitas & dici & credi debet*. Ratio autem est, quia trinitas significat numerum trium, qui numerus in Deo reperitur: at triplicitas significat multiplicationem rationis in pluribus, adeoque in casu significaret multiplicationem deitatis, quæ multiplicatio in Deo non reperitur. Videtur tamen ob rationem indicatam admitti posse hæc propositio: *Persona est triplex*. Hinc etiam patet admitti posse hanc locutionem *trina Deitas*, quam ipsa quoque Ecclesia adhibet in Officio Corporis Christi. *Trina autem Trinitas* dici non potest; nam sic denotaretur esse ter in Deo numerum ex tribus constantem, adeoque esse in Deo numerum novenarium.

AR-

(a) *Tract. 36 in Jo.*
(b) *Lib. 6. de Trinit. cap. 7.*
(c) *In profess. Fid.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Nomina Deo convenientia alia sunt *absoluta*, alia *relativa*. Rursus alia sunt *concreta*, alia *abstracta*: rursus alia *substantiva*, alia *adjectiva*.

Nomina absoluta concreta substantiva, si ut talia sumantur, debent semper adhiberi in numero singulari, sicque debet dici *Deus*, non *Dii*, *Dominus* non *Domini*, & hoc, etsi de omnibus Personis prædicentur, unde debet dici Pater, Filius, & Spiritus S. sunt *non tres Dii*, *sed unus Deus*, *non tres Domini*, *sed unus Dominus*.

Dixi *si sumantur ut talia*; aliqua enim ex illis possunt sumi etiam pro relativis, quo casu possunt prædicari de Personis in plurali. Tale esset nomen *res*, *substantia*, *existentia &c.*

Nomen quoque *Deus*, quod est absolutum concretum substantivum, adhibetur nedum ad denotandum aliquid absolutum commune tribus Personis, sed etiam aliquando ad denotandam unamquamque singularem Personam. Ita nedum dicitur: *Deus creavit Cœlum & terram*, ubi nomen *Deus* sumitur pro absoluto, sed etiam dicitur: *Misit Deus Filium suum in mundum*, ubi nomen *Deus* sumitur pro Persona Patris.

Nomina absoluta concreta adjectiva, quamvis utcumque possent de divinis Personis in plurali numero prædicari, cum tamen ut plurimum apud Catholicos adhibeantur potius substantivo modo quam adjectivo, debent idcirco potius prædicari in numero singulari, quam in plurali. Hinc in Symbolo vulgo dicto S. Athanasii dicitur *Patrem*, *Filium*, *& Spiritum S.* non esse *tres omnipotentes*, *tres æternos*, *tres increatos*, sed *unum omnipotentem*, *unum æternum*, *unum increatum*.

Nomina abstracta absoluta non debent supponere pro relativis. Hinc damnatæ sunt in Lateranensi IV. illæ propositiones: *Essentia generat*, *Essentia spirat*, quæ tamen essent veræ, si nomen *essentia*, quod est abstractum absolutum, supponeret pro relativis. Negari tamen non po-

test

test, quin aliquando Patres hæc nomina adhibuerint ad significanda relativa, ut quando dixerunt *Sapientiam de Sapientia esse genitam*, quod idem est, ac si dixerint, Filium esse genitum a Patre: & cum dixerunt, *Patrem esse fontem totius Deitatis* quod idem est, ac si dixerint esse fontem & originem Filii, & Spiritus S. Hæc quoad absoluta.

Quoad relativa advertendum, quod si substantiva sint, vel postea sint concreta, vel abstracta possunt de essentialibus prædicari. Hinc dici potest: *Essentia est Pater, essentia est paternitas, essentia est tres personæ*. Contra vero si adjectiva sint, non possunt prædicari de iisdem essentialibus, sicque non potest dici *essentia est generans, est genita &c.* Ambæ hæ regulæ colliguntur ex pluries adducto Lateranensi IV. (a)

Sed dices. Si potest asseri hæc propositio: *Eessentia est Pater*, potest etiam asseri hæc: *Essentia est generans*: Atqui ex dictis hæc asseri non potest. Ergo neque illa. Prob. major; nam valet hoc argumentum: Essentia est Pater. Atqui Pater est generans. Ergo essentia est generans.

℟. Negando majorem, & ad illius probationem ℟. dicendo non valere illud argumentum; nam *essentia* in majore sumitur materialiter, in consequente formaliter & reduplicative. Ut hoc intelligatur, noto quod, licet cum aliquod prædicatum conjungitur per verbum *est* cum aliquo subjecto, sensus sit prædicatum esse illi identificatum, si tamen prædicatum denotet actionem vel passionem, & subjectum sit terminus abstractus; tunc sensus est non solum prædicatum esse identificatum cum subjecto, sed etiam esse identificatum cum illo, quatenus tale subjectum est; unde in hoc casu subjectum sumitur formaliter &

(a) *Cap.* Damnamus.

& reduplicative, secus sumitur tantum materialiter. In hac igitur propositione: *Essentia est Pater*, cum prædicatum non denotet actionem, essentia consideratur materialiter, adeoque denotatur tantum essentiam esse cum paternitate identificatam. At in alia: *Essentia est generans*, cum prædicatum denotet actionem, & subjectum sit terminus abstractus, ipsum subjectum sumitur formaliter; adeoque denotatur essentiam qua essentiam esse generantem, quod est falsum. Circa hoc videatur Suarez. (a)

CAPUT SECUNDUM.

Quædam propositiones examinantur notatu digna.

TRes præcipue seligo propositiones hic examinandas cum Theologis. Prima est: *Pater est principium & fons totius Deitatis*: secunda: *Pater est sapiens Sapientia genita* qua eadem occasione aliquid dicetur de alia: *Pater & Filius diligunt se Spiritu S.*: tertia: *Pater genuit Filium non necessitate, sed voluntate*, ubi etiam de propositionibus his contrariis. De singulis ex ordine.

ARTICULUS PRIMUS.

Patrem esse principium Deitatis passim reperitur apud Concilia & Patres. Locutio est legitima, si tamen debite explicetur. Sensus ergo non est Patrem producere Deitatem, sed solum illam communicare: unde hoc nomen *Deitas* in hac propositione non significat proprium terminum relationis principii, quia hic debet esse realiter a principio distinctus, sed significat solum ter-

(a) *Lib. 6. de Trinit. cap. 7.*

terminum, in quo tale principium sese communicat.

Adhibita etiam reperitur quamvis rarius hæc propositio: *Pater est principium totius Trinitatis*. Hujus propositionis sensus est, non quod tota Trinitas a Patre procedat, alias & ipse a se procederet, sed quod multiplicatio Personarum Trinitatis ab illo dicatur.

Priorem propositionem dicit Suarez posse sine scrupulo adhiberi ob usum Patrum & Theologorum illius sensum declarantem, quamvis in rigore verborum contineat aliquam falsitatem. Posteriorem vero utpote minus usitatam dicit non adhibendam, aut saltem adhibendam dumtaxat cum debita explicatione.

ARTICULUS SECUNDUS.

Altera psopositio asseri non potest. Vel enim illius esset sensus, quod Filius esset forma, qua Pater est sapiens, ut est Pater paternitate, vel quod esset principium sapientiæ in Patre. At nihil horum dici potest; aliter Pater acciperet sapientiam a Filio. Ergo &c. Proinde Augustinus: (a) *Deus Pater est sapiens ea, qua ipse sua est sapientia, & Filius sapientia Patris, de sapientia, quod est Pater, de quo genitus est Filius.*

Obj. ex ratione I. Vera est hæc propositio: *Pater dicit Verbo*, & hæc alia: *Pater & Filius diligunt se Spiritu S.* Cur ergo non erit vera hæc alia: *Pater est sapiens Sapientia genita seu Verbo?*

II. *Dicere*, *intelligere*, *esse sapientem* in Patre sunt unum & idem. Si ergo asseri potest *Patrem dicere Verbo*, cur non *intelligere & esse sapientem Verbo?*

Ad I. ℞. denominationes aliquas subjecto convenientes præcise denotare formam in ipso existentem, alias denotare actionem, quæ ab ipso proficiscitur. Priores non possunt desumi nisi vel ab

(a) *Lib.* 15. *de Trinit. cap.* 7.

ab eadem forma, vel ab illius principio. Sumitur a forma, cum E. G. dicitur: *homo est doctus scientia*, quo denotatur formam constituentem hominem doctum esse scientiam: sumitur a principio, cum E. G. dicitur: *tabula est colorata penicillo*, quo denotatur instrumentum adhibitum a pingente ad colores exprimendos: vel cum dicitur: *domus est stabilis fundamenti*, quo denotatur ex fundamentis in domum refundi stabilitatem. Aliæ vero possunt etiam desumi ab effectu, & ita dicitur E. G. *arbor floret floribus*, quod idem est ac si dicatur: arbor floret per hoc, quod flores producat. Jam vero in his propositionibus: *Pater dicit Verbo*: &: *Pater & Filius diligunt se Spiritu S.*, denotatur actio. Potest ergo denominatio hujus actionis etiam desumi a termino per talem actionem producto, sicque sensus illarum propositionum esse potest: *Pater dicendo producit Verbum*, & *Pater & Filius se diligendo producunt Spiritum S.*, quod est verissimum. At prior propositio *Pater est sapiens Sapientia genita* denotat sapientiam, non, ut sic dicam, operantem, sed præcise in Patre existentem per Verbum, vel tanquam per formam, vel tanquam per principium, quod est falsum. Ergo &c. Notat tamen S. Thomas postremam propositionem: *Pater & Filius diligunt se Spiritu S.*, non esse veram, nisi dilectio sumatur notionaliter, ut in priore *dicere* denotat aliquid notionale.

Ad II. ℟. Quamvis dicere, intelligere, & esse sapientem in Patre sint unum & idem, non tamen idem important juxta modum significandi, & modum, quo communiter accipiuntur. Nam dicere sumitur pro actu intelligendi notionali: intelligere pro actu intelligendi essentiali: esse sapientem pro inhærentia sapientiæ in ipso Patre. Hæc autem significationis diversitas efficit, ut quod de uno termino verificatur, non possit verificari de altero. Quod etiam patet hoc exemplo. Dicere in Patre idem est realiter, ac generare; sicuti ergo verificatur, quod Pater dicit se

ipsum

ipsum Verbo, verificabitur ne, quod etiam generet se ipsum? Minime sane. Ergo a pari &c. Si tamen cum adhibetur E. G. vocabulum *intellectionis* adderetur aliquid significans intellectionem notionalem Patris, non abnuerem posse etiam dici Patrem intelligere Verbo.

ARTICULUS TERTIUS.

Tertia propositio apud aliquos Patres reperitur, & in hoc sensu est adhibita, quod Pater non coactus & contra inclinationem propriæ voluntatis, aut cœco quodam impellente fato genuerit Filium, sed ipsum genuerit juxta inclinationem propriæ voluntatis, &, ut ita dicam, libentissime, quamvis ex necessitate propriæ personalitatis, & ita ut non potuerit non generare.

Ab aliis asseritur genitum esse Filium a Patre non voluntate, sed necessitate, quatenus Pater non erat liber ad producendum Filium, ut erat liber ad producendas creaturas: & hoc præcipue contra Arianos, qui talem libertatem in Patre adstruebant, ut Filium facerent creaturam.

Alii tandem dicunt Patrem nec necessitate, nec voluntate genuisse Filium, & hi sumunt necessitatem cum prioribus, voluntatem cum posterioribus.

Ex his patet quid sentiendum de his propositionibus, quæ tamen utpote pluribus sensibus enunciabiles non debent proferri nisi cum debita explicatione.

Et hæc de Ss. Trinitatis mysterio dicta sint satis.

Finis Secundæ P[illegible]mi Primi.

IN-

I N D E X

Eorum, quæ in hac Parte secunda Tomi primi continentur:

TRACTATUS DE DEO QUOAD NATURAM DIVINAM CONSIDERATO. Pag. 3.
DISSERTATIO I. *De existentia & essentia Dei.* ibid.
CAP. I. *De existentia Dei.* 4.
ART. I. *Utrum, & quomodo probari possit existentia Dei.* ibid.
ART. II. *Utrum hæc propositio*: Deus existit, *sit per se nota.* 8.
ART. III. *Utrum possit dari ignorantia invincibilis existentiæ Dei.* 10.
CAP. II. *De essentia & Attributis Dei in genere.* 12.
ART. I. *Quid importet essentia Dei.* ibid.
ART. II. *Quomodo divinæ perfectiones in illa essentia contineantur.* ibid.
CAP. III. *An, & quomodo Attributa Dei ab ipsius Natura & a se invicem distinguantur.* 15.
ART. I. *Afferuntur errores & opiniones circa hoc punctum.* ibid.
ART. II. *Statuuntur assertiones ad illud spectantes.* 19.
CAP. IV. *De illis singillatim Dei perfectionibus, de quibus in Scripturis fit mentio frequentior.* 33.

Art. I. *De unitate Dei.* ibid.
Art. II. *De illius ſimplicitate.* 35.
Art. III. *De illius Spiritualitate.* 37.
Art. IV. *De illiut infinitate.* 38.
Art. V. *De illius immenſitate.* 39.
Art. VI. *De illius æternitate.* 42.
Art. VII. *De illius immutabilitate.* 43.
Art. VIII. *De illius omnipotentia.* 45.
Art. IX. *De illius Miſericordia.* 46.
Art. X. *De illius Juſtitia.* ibid.
DISSERTATIO II. *De Intellectu & Scientia Dei.* 47.
CAP. I. *Notio divini Intellectus divinaque scientiæ.* ibid.
Art. I. *Afferuntur quæ generaliter pertinent ad divinum Intellectum divinamque scientiam.* ibid.
Art. II. *De objecto ejusdem scientiæ.* 49.
CAP. II. *Quotuplex ſit ſcientia Dei.* 56.
Art. I. *Agitur de ſpeciebus divinæ scientiæ, quæ ab omnibus admittuntur.* ibid.
Art. II. *De ſcientia media, quæ ab omnibus non admittitur.* 57.
CAP. III. *Exponitur ſtatus, origo, & progreſsus celebris controverſiæ de Scientia futurorum liberorum conditionalium.* 58.
Art. I. *Exponitur ſtatus quæſtionis.* ibid.
Art. II. *Hiſtorice refertur origo & progreſsus ejusdem.* 61.
CAP. IV. *De medio, in quo videt Deus futura libera conditionata a creaturis ponenda.* 62.
Art. I. *Quomodo cognoſcat Deus futura conditionata libera naturaliter tantum bona.* 63.
Art. II. *Quomodo videat moraliter mala.* 77.
Art. III. *Quomodo videat ſupernaturalia.* 82.
CAP. V. *De Scientia Viſionis, ubi etiam corollaria quædam adducuntur ex ge-*

generali doctrina de Scientia Dei deducta. 92.
Art. I. *Notantur necessaria ad intelligentiam quastionum.* ibid.
Art. II. *Assertiones statuuntur & vindicantur.* 93.
Art. III. *Ostenditur quomodo Scientia Dei sit causa rerum.* 102.
Art. IV. *De ordine, qui intercedit inter species divina scientia.* 103.
DISSERTATIO III. *De Veracitate Dei.* 104.
CAP. I. *Afferuntur qua generaliter spectant ad divinam veracitatem.* ibid.
Art. I. *Notantur necessaria ad intelligentiam quastionum.* ibid.
Art. II. *Statuuntur, & vindicantur principaliora circa divinam veracitatem.* 106.
CAP. II. *De Miraculis prout ad divinam veracitatem referuntur.* 113.
Art. I. *Pramittuntur notatu digna.* ibid.
Art. II. *Assertiones statuuntur ac vindicantur.* 114.
DISSEATATIO IV. *De Voluntate* Dei. 120.
CAP. I. *Notio exhibetur divina voluntatis.* ibid.
Art. I. *Quid sit divina voluntas.* ibid.
Art. II. *Quotuplex sit.* 121.
CAP. II. *De divina Liberalitate.* 124.
Art. I. *Probatur in Deo esse libertatem.* ibid.
Art. II. *De modo illam explicandi.* 125.
CAP. III. *Utrum Deus necessitetur ad optimum.* 128.
Art. I. *Adnotantur necessaria ad intelligentiam quastionis.* ibid.
Art. II. *Assertio statuitur & vindicatur.* 129.
CAP. IV. *De Providentia Dei.* 132.
Art. I. *Quid & quotuplex sit Dei Providentia.* ibid.
Art. II. *Providentia Deo vindicatur.* 133.

CAP. V. *Utrum Deus velit omnes homines salvos fieri.* 136.
ART. I. *Oſtenditur Deum velle omnes homines salvos fieri.* ibid.
ART. II. *Oſtenditur Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus.* 143.
ART. III. *Oſtenditur Deum omnibus providiſſe media ad ſalutem.* 151.
CAP. VI. *De Prædeſtinatione* 176.
ART. I. *Explicantur termini, & recenſentur errores & opiniones circa cauſam motivam Prædeſtinationis ad Gloriam.* ibid.
ART. II. *Statuitur aſſertio.* 187.
ART. III. *De effectibus Prædeſtinationis.* 205.
ART. IV. *Utrum Prædeſtinatus poſſit damnari, vel Reprobus ſalvari.* 207.
ART. V. *Agitur de numero Prædeſtinatorum.* 209.
CAP. VII. *De Reprobatione.* 210.
ART. I. *Prænotantur neceſſaria ad intelligentiam materiæ.* ibid.
ART. II. *Statuuntur Aſſertiones.* 212.
ART. III. *Aſſignatur ordo Prædeſtinationis & Reprobationis.* 220.
DISSERTATIO V. *De Viſibilitate & reſpective viſione Dei.* 222.
CAP. I. *De Poſſibilitate viſionis Dei.* ibid.
ART. I. *An Deus ſit viſibilis per oculum corporeum.* 223.
ART. II. *An Deus ſit viſibilis per mentem.* 230.
ART. III. *An Deus ſit comprehenſibilis.* 243.
CAP. II. *De exiſtentia viſionis Dei intuitiva.* 245.
ART. I. *An alicui hæc conceſſa fuerit in hac vita.* 246.
ART. II. *An concedatur Sanctis in alia vita.* 251.
ART. III. *Quandonam iſtis concedatur.* 252.

De

CAP. III. *De antecedentibus & conſequentibus Viſionem beatificam.* 279.
ART. I. *De antecedentibus.* ibid.
ART. II. *De conſequentibus.* 286.
CAP. IV. *De inaequalitate viſionis beatificae.* 290.
ART. I. *Oſtenditur Beatos Deum viſuros inaequaliter.* ibid.
ART. II. *Undenam proxime haec inaequalitas ſit repetenda.* 296.

TRACTATUS DE TRINITATE. 302.

DISSERTATIO I. *Ea afferuntur, quae ad intelligentiam Tractatus ſunt neceſſaria, & generalis idea exhibetur Myſterii Trinitatis, illius veritatis, & cognoſcibilitatis.* ibid.
CAP. I. *Explicantur termini, quorum frequentior eſt uſus in hoc Tractatu.* 303.
ART. I. *Agitur de nominibus* eſſentiae, *ſeu* naturae, & ſubſtantiae, ſubſiſtentiae, & ſubſiſtentis, perſonalitatis, & perſonae. ibid.
ART. II. De *Nominibus* relationis *ſeu* proprietatis relativae, proprietatis perſonalis, notionis, miſſionis, circuminſeſſionis, appropriationis, proceſſionis, generationis *tum* activae, *tum* paſſivae, & ſpirationis *item tum* activae, *tum* paſſivae, & actus eſſentialis & notionalis. 304.
ART. III. *De nominibus Graecis paſſim a Patribus & Theologis adhibitis, circa hoc Myſterium, & ſunt* Uſia, Hypoſtaſis, Omion, Anomion, Homuſion, Homiuſion. 305.

CAP. II. *Recensentur errores præcipui circa Trinitatem.* 306.
Art. I. *Errores negantium unicam divinam Naturam subsistere in tribus Personis realiter distinctis.* 307.
Art. II. *Errores negantium has Personas esse inter se conſubstantiales & æquales.* 308.
Art. III. *Errores negantium secundam Personam a prima generari, aut tertiam spirari a prima & a secunda.* 309.
CAP. III. De *Veritate & cognoscibilitate hujus Mysterii.* ibid.
Art. I. *Agitur de illius veritate.* 310.
Art. II. De *illius cognoscibilitate.* 322.
DISSERTATIO II. De *iis, quæ generaliter spectant ad* Divinas *Personas.* 323.
CAP. I. De *Divinis processionibus.* ibid.
Art. I. *Ostenditur dari in* Deo *processiones.* ibid.
Art. II. *Quot sint.* 326.
Art. III. *Quodnam sit illarum principium.* 327.
Art. IV. *Quænam sit illorum conditio.* 331.
Art. V. *Quodnam sit objectum cognitionis, qua Pater Filium producit, & amoris, quo Pater & Filius producunt Spiritum Sanctum.* 333.
CAP. II. De *divinis relationibus.* 335.
Art. I. *Ostenditur dari in* Deo *relationes.* ibid.
Art. II. *Quot sint relationes reales Originis.* 337.
Art. III. *An hæ sint de ratione divinæ essentiæ.* ibid.
Art. IV. *Utrum sint perfectiones.* 338.
Art. V. De *illarum distinctione.* 340.

CAP.

CAP. III. De *divinis perſonalitatibus in genere*. 341.
ART. I. *Quomodo ſint in* Deo *tres perſonalitates, & in quo ipſæ conſiſtant*. ibid.
ART. II. *Quodnam ſit illarum conſtitutivum*. ibid.
ART. III. *An in* Deo *ſit ſubſiſtentia abſoluta*. 345
CAP. IV. De *appropriatione, æqualitate, circuminſeſſione, notionibus, & miſſionibus divinarum Perſonarum*. ibid.
ART. I. De *appropriatione*. 346.
ART. II. De *æqualitate*. 347.
ART. III. De *circuminſeſſione*. ibid.
ART. IV. De *notionibus*. 348.
ART. V. De *miſſionibus*. 351.
DISSERTATIO III. De *Perſona Patris*. 353.
CAP. UNIC. *De characteribus & nominibus primæ perſonæ*, ibid.
ART. I. De *charactese, & nomine Patris*. ibid.
ART. II. *De charactere & nomine* Principii, Auctoris, Fontis, & Originis. 354.
ART. III. *De charactere & nomine* Ingeniti & Innaſcibilis. ibid.
DISSERTATIO IV. *De Perſona Filii*. 355.
CAP. I. De *characteribus. & nominibus ſecundæ Perſonæ convenientibus*. ibid.
ART. I. De *nomine & charactere* Verbi. 356.
ART. II. De *nomine & charactere* Imaginis. 358.
ART. III. *De nomine & charactere* Sapientiæ. 360.
CAP. II. *De divinitate Verbi*. ibid.
ART. I. *Prænotantur neceſſaria ad intelligentiam queſtionis*. ibid.

Pro-

Art. II. *Probatur Verbum eſſe Deum Patri conſubſtantialem.* 361.
Art. III. *Agitur de nomine* Homuſion *&* Homiuſion. 387.
Art. IV. *Oſtenditur Verbum eſſe veram Perſonam a Patre & Spiritu Sancto diſtinctam.* 391.
DISSERTATIO V. De *Perſona Spiritus Sancti.* 394.
CAP. I. *Agitur de nominibus & characteribus tertiæ Perſonæ convenientibus.* ibid.
Art. I. De *nomine* Spiritus Sancti. ibid.
Art. II. De *nomine* Amoris. 395.
Art. III. De *nomine* Doni. ibid.
CAP. II. De *divinitate Spiritus Sancti.* 396.
Art. I. *Probatur hæc divinitas.* ibid.
Art. II. *Probatur ipſum Spiritum Sanctum eſſe veram Perſonam a Patre, & Filio diſtinctam.* 401.
CAP. III. De *proceſſione Spiritus Sancti a Patre & Filio.* 403.
Art. I. *Probatur hæc proceſſio.* ibid.
Art. II. *Oſtenditur Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere, tanquam ab uno principio.* 412.
CAP. IV. De *additione particulæ* Filioque *facta Symbolo.* 413.
Art. I. *Prænotantur neceſſaria ad intelligentiam quæſtionis.* ibid.
Art. II. *Statuitur, & vindicatur aſſertio.* 415.
CAP. V. *Utrum Spiritus Sanctus, ſi a Filio non procederet, ab illo diſtingueretur, nec ne.* 418.
Art. I. *Præmittuntur neceſſaria ad intelligentiam Quæſtionis.* ibid.
Art. II. *Aſſertio ſtatuitur, & vindicatur.* 419.

DIS-

DISSERTATIO VI. De *modo loquendi circa Mysterium Trinitatis*. 425.

CAP. I. *Agitur de vocibus adhibendis, & de modo illas adhibendi*. ibid.

ART. I. De *vocibus adhibendis*. ibid.

ART. II. De *modo illas adhibendi*. 427.

CAP. II. *Quædam propositiones examinantur notatu digna*. 429.

ART. I. De *hac propositione*: Pater est principium & fons totius Deitatis, vel totius Trinitatis. ibid.

ART. II. De *hac Propositione*: Pater est Sapiens Sapientia genita, *ubi etiam de hac*: Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto. 430.

ART. III. De *hac propositione*: Pater genuit Filium non necessitate, sed voluntate. 432.

FINIS

MAG- 2008883